3.4.420

4.4.

420

Google

62

Ex Bibliotheca Equitis
Antonj Francisci Marmi.

Z 7. 10

IX
SPIZEL

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INFELIX LITERATUS,

LABYRINTHIS ET MISERIIS SUIS CURA POSTERIORI EREPTUS, ET AD SUPREMÆ SALUTIS DOMICILIUM DEDUCTUS,

SIVE DE

VITA ET MORIBUS LITERATORUM COMMONEFACTIONES NOVÆ HISTORICO-THEOSOPHICÆ,

QVIBUS MYSTERIUM INFELICITATIS LITERARIÆ, EXTREMAQ; VITIORUM DOCTOS HOMINES INFAMANTIUM PERNICIES EXPRESSIUS DETEGITUR, PRÆTERMISSA IN OPERE ANTERIORI EXEMPLA ET DOCUMENTA EXHIBENTUR, ATQVE ERUDITIS CULPA SUA ÆRUMNOSIS, VIA AD VERÆ BEATITUDINIS PORTUM, NEC NON RATIO EXPEDITISSIMA COPULANDÆ CUM DOCTRINA EMINENTIORI VIRTUTIS SOLIDÆ OSTENDITUR.

AUTHORE

THEOPHILO SPIZELIO,

AUGUSTÆ VINDELICORUM,

APUD THEOPHILUM GOEBELIUM,

LITERIS KOPPMAYERIANIS,

M. DC. LXXX.

Ex legato Dni. Equitij Antonii
Francisci de Marnij

DEO
TRINUNI,
ET
UNITRINO,
PANTOCRATORI,
ÆTERNOQ; SECULORUM REGI,
HUNC LITERATORUM HOMINUM HODEGUM,
TANQVAM TALENTI GRATIOSE SIBI CONCREDITI
USUM-FRUCTUM
DEMISSISSIME OFFERT ET CONSECRAT
AUTHOR.



INFELIX LITERATVS LABYRINTHIS ET MISERI

H. E. Raidel. d:



SERIIS SVIS EREPTVS, AVTHORE TH. SPIZELIO.

G.A. Wolfgang. f.



QVo enim aliò me vertam, & qvem potiori compellem jure, qvam TE FELICITATIS omnigenæ fontẽ, nec non BONORUM & DONORUM qvorumvis inſignium collatorem liberaliſſimum, meæ adhæc largitorem ſalutis, & benigniſſimum PARENTEM. Non alio eqvidem opus mihi Protectore, nec alio Liber qvem offero, Patrono indiget, pleriſqve Terræ Magnatibus ita affectis, ut clientes ſuos extremis anguſtiis preſſos, penitus deſerant, & conſilii æq; ac ſubſidii omnis vacuos relinqvant; neq; LABYRINTHIS miſeriisq; humanis infelices illos eripientes, nec ad veræ & imperturbatæ Salutis ſedẽ deducentes: O terq; qvaterqve calamitoſos, qvi præſidiis fre-

ti tam ficulneis, optimum tuum PATER CLEMENTISSIME, neqve expetunt, neqve acceptant oblatum, deqve ſorte cultorum tuorum feliciſſimâ conſeqvendâ minimè omnium ſunt ſolliciti! O divites eos atqve ſecuros, qvi non niſi Tuo patrocinio innituntur, atqve firmiſſimam in cœleſti Providentia & gratiâ ſpem collocantes, tantas indies colligunt vires, qvantas humana natura ſibi relicta, nullo ſtudio & labore attingere potuiſſet. Qvid obſecro adverſi ſub potentis adeò Patroni umbone timeam? Cur animum deſpondeam inter ſpineta licet adfligentis & pungentis miſeriæ habitantem? Qvid non auxilii & ſubſidii infirmitati meæ pollicear ab eo, qvi pro immenſâ clementiâ & benignitate ſuâ, extremis miſeriarum labyrinthis errabundam meam animam eripuit, &

in

in viam deduxit optatæ tranqvillitatis? Qvid non beneficii expectem à Paſtore tam fideli & ſollicito, qvi qvæſivit & invenit me ovem perditam, pericula qvæ ſubieram graviſſima, ante oculos colluſtratæ mentis clariſsimè poſuit, & ſupereminentis ſuæ gratiæ funiculo ad eum traxit beatitatis portum, à qvo toto qvod ajunt cœlo diutius aberraveram.

Qvamprimum gratioſo Tuo, EVERGETA OPTIME MAXIME, inſtinctu, PIUM meditari SECESSUM cœpi, & Sacram ejuſmodi excolere ſolitudinem, qvæ utili admodum divortio à Mundo immundo ſejungeret; Roſetum qvaſi & violarium mihi ingreſſus eſſe videbar, atq; à turba, non niſi turbida & noxia proſeminante amotus, carpebam lilia, floſculos nectebam, atq; ſvaviſſimâ fructificantis Tuæ clementiæ

ſcatebrâ recreabar. Tum roſa, patefacto calyce, ſenſim ſeſe aperiebat, ad ſurgentem auroram concipiebat rorem, & claudebat ſinu: Gratiæ inqvam humor irreqvieto antehâc animo compunctionem ingerebat, odiumqve peccati, hortabaturq; aſſiduè, ut in SECESSU SACRO poſitus, cuſtos ſim & inſpector diligens mei ipſius, cunctas ut obſervem animi inclinationes, vigilem mihi ſtudioſius, & qvo remotior turbis, eo attentior eſſem maculis abradendis & præcavendis. Cæterum monuit, ne malè-curioſorum me porrò implicē labyrinthis, qvin potius vitarem noxia & ludicra omnia, peſtesq;, qvibus Orbis Literatus ſcateat, toto pectore averſarer, deniq; ut irritamenta ad malitiam, & ambages ad perditionem fugerem, ubi vix evadendi locus reperiatur. Procul à me ſit odio-

odioſa omnis & evanida gloriatio; *Non jactatum eſt* (ſcitè ait Cyprianus) *ſed gratum, qvicqvid non Virtuti hominis adſcribitur, ſed DEI munere prædicatur.* Tuum TER-MAXIME DEUS, cum omne illud ſit, qvod boni meditor, & ex gratiæ tuæ favonio unicè vivam, unicè pendeam, nec aliunde ſumto & concepto vigore, vitam hanc mortalem tranſigam; ingratiſſimus profectò terrigenarum ſim, nî Tibi in ſolidum bona & dona omnia vindicarem, nec majori etiamnum flagrarem teſtandæ gratitudinis deſiderio, qvam ejus qvidem præſtandæ polleam facultate. Hinc eſt, qvod HODEGUM huncce HOMINUM LITERATORUM, tanqvam Talenti cœlitus collati lucellum, OPUS inqvam hoc HIEROSOPHICUM, qvoſ infelices docti Orbis incolas, Labyrinthis ac miſe-

riis ſuis ereptos, ad ſupremæ ſalutis domicilium deducere inſtitui, TIBI ſoli, PATER COLENDISSIME in laudis & gloriæ perennis libamentum duxerim conſecrandum. Suſcipe id ipſum, SUPREME RERUM HUMANARUM ARBITER, eâdem, qvâ hactenus me proſecutus es benignitate, & Tuâ effice clementiâ, ut meditatam illam à Mundo perverſo ſejunctionem, deinceps magis ſollicita morum & actionum vitioſarum emendatio, nec non diligentior vitæ ad verbi Tui amuſſim conformatio excipiat, irreqvieto alienæ ſalutis deſiderio ſociata. Nec minus offero partum huncce Divinæ Majeſtati Tuæ veluti LIBELLUM qvendam SUPPLICEM, enixèqve efflagito, ut ſollicitam mei curam toto vitæ mortalis decurſu habere, & ad fructum feliciter in agro tuo faciendum largiſſimam

bene-

benedictionis Tuæ ſcatebram concedere velis; cavere ad hæc clementiſſimè, ne ad privatam unqvam reſpiciam utilitatem, neqve Sacrum Miniſterium ad ambitionis vel glorioſæ vanitatis argumentum vertam, ſed de Nominis Tui gloriâ & proximi mei ſalute adaugendâ & procurandâ ad vitæ uſqve terminum ſim ſollicitus. Fac obſecro, ut alios atqve alios errones, & devios Literatos, cœlo operâ hâcce meâ redonatos videam, & ad ſvaviſſimum optimi Salvatoris mei jugum adductos.

Et cum lynceis plerumqve oculis ſint mortales, & aqvilæ ipſæ in alienarum macularum obtutu, in nævorum verò propriorum perveſtigatione talpæ & Hypſeâ cœciores, (qvo etiam fit, ut perniciosâ hypocryſi obcœcati & philautiâ, praviſſimas etiam affectiones, qvibus ſcatet animus, Virtutum tincturâ & coloribus non rarò illuſtrent, ſpecioſo utplurimum titulo, rem in ſe malam peſſimè indigetantes;) Tuâ qvæſo gratiâ efficias Clemen-

mentiſſime DOMINE, ne commatis & farinæ ejuſce prævaricator unqvam inveniar, qvin potius à pudendis iſtis Vitiorum inqvinamentis liber vivam, qvæ in Literatis devitiis utroqve meo Opere Hieroſophico vehementiſſimè ſum deteſtatus. Cum deniqve Oceanus miſeriarum ſit enavigandus ſingulis, portus unus & meta qvo tendimus MORS, omniſqve dies velut ultimus ordinandus, & flectendus oculus ad illum ſcopum, qvem non poſſumus declinare; rogo Te, NAVCLERE SAPIENTISSIME, clavum ut porrò teneas naviculæ meæ, ac per ſyrtes eandem ad ſupernæ Patriæ ſtationem feliciſſimè deducas, cujus poteſtatem jam pridem fidelibus cunctis adoptionis jure feciſti: Hoc unicum ſolatium reſtabit, fulciendo ac firmando animo meo, ne vortex TENTATIONUM abſorbeat fluctuantem, atqve pondere ſuo depreſſum miſerè tandem peſſundet. Eluctabor Tua gratia ſublevatus, neqve ſuccumbam in acerrimo etiam conflictu malorum, indubiâ hæreditarii Regni ſpe confovendus. Certamen illud erit nonniſi ad gloriam, lucta ad triumphum, ut victor æternum regnem, conſors & cohæres auguſtiſſimæ illius poſſeſſionis, qvam

Tu

Digitized by Goo

Tu potentiſſime Rex, Paterqve communis fidelium, PHILOTHEIS cunctis præparaſti. Ad hunc FELICITATIS ſupremæ portum adſpiro unicè, hunc ut tandem aliqvando attingam, & Cœlum, qvod nunc ſuſpicio, depoſitâ mortalitate conſeqvar, etiam atqve etiam rogo, æternas olim Tibi cum angelis & beatis animabus prò tanto beneficio grates decantaturus.

Auguſtiſsimæ & Sempiternæ Majeſt. Tuæ

Servorum omnium infimus

THEOPHILUS SPIZELIUS.

RATIONARIUM OPERIS HUJUS HISTORICO-THEOSOPHICI:

AD LITERATOS EX ANIMO FELICES SERMO PRÆLIMINARIS, QVO RESUMTI LABORIS RATIO, ET NOVARUM COMMONEFACTIONUM HIEROSOPHICARUM INSTITUTUM EXPONITUR.

COMMONEF. I. LITERATUS CULPA SUA ÆRVMNOSUS, *SIVE MYSTERIUM INFELICITATIS LITERARIÆ DENUO REVELATUM.* pag. 1.

COMMONEF. II. LITERATUS VIRTUOSUS, FELIX REIP. SUÆ (*A BEATA OLIM SORTE, AD PRÆSENTEM INFELICITATEM TRADUCTÆ*) RESTAURATOR, *SIVE ARCANUM PALMARIÆ FELICITATIS LITERARIÆ DETECTUM.* 19.

COMMONEF. III. LITERATUS VITIOSUS, GENTIS MENTIS ET ARTIS SUÆ INFAMATOR, *SIVE DE EXITIALI DOCTORUM HOMINUM CORRUPTIONE.* 42.

COM-

COMMONEF. IV. LITERATUS EXEMPLARIS; ſive Vitæ Literato-Chriſtianæ idea memorabilis, artificioſo Joh. Lud. VIVIS penicillo expreſſa. 63.
COMMONEF. V. LITERATUS EX MISERO FELICISSIMUS; ſive de admirandâ eruditorũ hominum (à profanâ vanitate ad pietatis ſinceræ ſtudia & exercitia converſorũ) metamorphoſi, ſummaq; beatitudine. 103.
COMMONEF. VI. CEBES CHRISTIANUS, DUX LITERATORUM AD VERÆ FELICITATIS PERENNISQVE SALUTIS DOMICILIUM TENDENTIUM; ſive Tabulæ Cebeticæ, arduam per anguſta ad auguſta viam præmonſtrantis commendatio, & ſupplementum chriſtianum. 134.

COMMONEF. VII. LITERATUS VALETUDINARIUS, & LONGÆVUS; ſive de adfectuũ corporaliũ, eruditos viros inſeſtantium curâ, regimine item ſanitatis perqvã neceſſario, atqve verâ producendæ vitæ literato-chriſtianæ ratione. p. 152.

COMMONEF. IIX. LITERATUS ΦΙΛΑΤΤΟΣ, geminâ peſte correptus & corruptus; ſcilicet pertinaci ſententiæ male-receptæ defenſione, atqve infelici captatione Novitatum. p. 170.

COMMONEF. IX. FAMILIARIS FELICIUM LITERATORUM SPIRITUS; ſive de intima & perpetua Sancti diviniqve Spiritûs cum piis & virtuoſis Doctorib' colocutione. 188.

COM-

Digitized by Google

COMMONEF. X. ANGELUS SATANÆ COLAPHIZANS; ſive de graviſſimis Literatorum, ad felicitatis perpetuæ ſedem adſpirantium tentationibus. 203.

COMMONEF. XI. MISERIA FELIX; ſive de Literatis calamitatum & miſeriarum occaſione felicibus. 228.

COMMONEF. XII. COLLEGIUM HIEROSOPHICUM in Academia ſinceræ Pietatis fundatũ; ubi de prima ejus inſtitutione, Rectore perpetuo, ſingularum Facultatum Profeſſoribus, libris item, lectionibus, alumnorum ſive auditorum officiis, viâ deniqve & ratione expeditiſſima diſſeritur, qvâ Virtus cum eruditione copulari, atqve vita & con-

verſatio Literatorum hominum mundana in ſpiritualem commutari qveat. 245.

COMMONEF. XIII. ALUMNUS DOCILIS; ſive de inſigni Literatorũ, in Collegio Hieroſophico degentium profectu, & ſollicita captatione cujuſvis bene agendi Opportunitatis. 272.

COMMONEF. XIV. FELIX LIBRORUM HELUO; ſive de ſum̃a lectionis ſacræ neceſſitate & inſigni utilitate; uná cum Bibliotheca Sancta Literatorum ex animo felicium. 295

Notet L. B. ſubſeqventes Commonefactiones, juxta ſeriem Commentationum noſtrarum de Vitijs Literatorum, ſive materiarum in anteriori noſtro opere hieroſophico pertractatarum conſcriptas fuiſſe.

COM-

COMMONEF. XV. LITERATUS ATHEUS; NOVA CURA DETECTUS & DEIECTUS; ſive Antitheiſmi, apud eruditos qvoſdã nimioperè regnãtis arcanum peculiare revelatũ. 359.
COMMONEF. XVI. SPIRITUS ELATIONIS LITERARIÆ TURPITER SEIPSUM DEJICIENS; ſive de extremâ Literatorum & Clericorum ſuperborum calamitate, ingentiq; gloria Doctorum humilium. 371.
COMMONEF. XVII. GLORIOSA VANITAS CONCULCATA; ſive de miſera & exitiali Literatorũ hominum per fatuos umbratilis gloriæ igniculos deceptione. 298.
COMMONEF. XIIX. INFELIX FAMÆ CAUPO, FUNESTO ALPHONSI CICCARELLI ITALI CASU EXITIOQVE MISERA-

BILI PRODITUS; ſive Literati Impoſtoris & nugivenduli tragœdia memorabilis. 422.
COMMONEF. XIX. CACOETHES SCRIBENDI SANATUM; ſive de prima librariæ infelicitatis origine & opportuno remedio. 447.
COMMONEF. XX. PESTIFERA LIVORIS LITERARII MALIGNITAS, CURA POSTERIORI DETECTA. 473. ubi etiam de Genio Patriæ novercantis. 486.
COMMONEF. XXI. SYMMYSTA LIVIDUS; ſive Speculum Invidiæ Eccleſiaſticæ; exhibens qvinqve Doctores Veteres, malignitate pſeudo-fratrum graviſſimè infeſtatos. 495.
Utpote: Q. SEPTIMIUM FLORENTEM TERTULLIANUM. 498.

BASILIUM MAGNUM. 509.
GREGORIUM NAZIANZENUM. 527.
HIERONYMUM STRIDONEN. 544.
JOHANNEM CRYSOSTOMUM. 564.

COMMONEF. XXII. LIVOR PRÆCONUM MAGNANIMORUM CARNIFEX; ſive Hieronymi Savonarolæ, Prædicatoris ferventiſſimi (Anno CIↃ CCCCXCVIII. invidiâ urgente, in Urbis Florentinæ foro ſuſpenſi & combuſti) juſtiſſima defenſio. 620.

COMMONEF. XXIII. SALAMANDRA LITERARIA, ET DOXOSOPHUS LITIGIOSUS; ſive de extremâ Contentionum & vitilitigationum literariarũ pernicie. 676.

COMMONEF. XXIV. CONVICIATOR INFAMIS; ſive de ſummo Mordacitatis literariæ dedecore

core, & pœna Scriptorum Maledicorum. 719.
COMMONEF. XXV. LITERATUS LORICATUS; ſive Hoplotheca Chriſtiano-theoſophica advers' ictũ Maledicentiæ. 737.
COMMONEF. XXVI. STELLA ECCLESIASTICA CADENS; ſive extremæ Clericorũ qvorundã ambitioſorũ miſeriæ. 774.
COMMONEF. XXVII. CACUS MONSTROSUS PROSCRIPTUS; ſive Avaritiæ infrunitæ, è Literaria & Eccleſiaſticâ Republica eliminatio. 795.
COMMONEF. XXIIX. LITERATUS MALE-CURIOSUS ET POLYPRAGMON; ſive improſperæ ac exitioſæ Curioſitatis literariæ documenta & nocumenta qvædam evidentiora. 816.

COMMONEFACTIONUM.

Acceſſit Appendix gemina; I. JOHANNES BAPTISTA HELMONTIUS; ſive Speculum Literatorum, vana primùm, dein ſanæ Curioſitati litantium. 842.

II. De Literatis, ex functionum publicarum temeraria mutatione infelicib⁹. 857.

COMMONEF. XXIX. ÆSTUS INGENIORUM TEMPERATUS; ſive deſiderii ſciendi inſatiabilis & noxii chriſtiana refrœnatio. 864.

COMMONEF. XXX. SOLERTIA JUGIS; ſive Literatorum, ingenio pariter ac laborioſa ſedulitate ævo noſtro maximè illuſtrium Quadriga nobiliſſima. 885.

I. JSAACUS CASAUBONUS. 888.

II. GERARDUS JOH. VOSSIUS. 895.

III. JOHANNES SELDENUS. 908.

IV. SAMUEL BOCHARTUS. 916.

COMMONEF. XXXI. GENIUS ERRANS ET FIDUS ACHATES;

ſive de noxâ & pernicie præſentiſſimâ deſultoriæ in ſacro & literario campo levitatis; nec non de arcanâ felicium qvorundam literatorum in ſtudia meliora & ſanctiora propenſione; 928. Unà cum Appendice de verâ literatorum hominum Nobilitate. 971.

COMMONEF. XXXII. SYNCRETISMUS SALUTARIS; ſive de ſvaviſſima Pietatis & Doctrinæ multijugæ conſociatione. 977.

COMMONEF. XXXIII. THEMIS & JATRIA EUSEBIÆ CONTUBERNALES; ſive de JURECONSULTIS & MEDICIS EX PIETATIS & VIRTUTIS STUDIO FELICIBUS. 1029.

COM-

COMMONEF. XXXIV. ET ULTIMA: FELIX CONCIONATOR; ſive de arte ſalubriter & fructuosè dicendi in ſacris fidelium conventibus; ubi etiam de genio, prudentia & dotibus priſcorum HOMILETARUM. 1075.

ANACEPHALÆOSIS ALPHABETICA; ſive Index rerum notabilium, qvæ toto opere continentur. 1137.

AD LITERATOS EX ANIMO FELICES SERMO PRÆLIMINARIS,

QVO RESUMPTI LABORIS RATIO, ET NOVARUM COMMONEFACTIONUM HIEROSOPHICARUM INSTITUTUM DISERTE EXPONITUR.

Nihil freqventius in monumentis eorum,qvi primi Sapientiæ Magiſtri, & divinæ mentis interpretes olim dicebantur, occurrit, qvam ſermo velut ex tripode Phœbi deromptus, qvo Gentem humanam,& LITERATORUM cumprimis Nationem,ad Virtutis ſolidioris ſtudium & exercitium ſunt cohortati: nimirum ut exaſciatæ probitatis officia præ cæteris colant, & pravos affectus, aviditatem cumprimis, & omnem animi impotentiam moderarentur ij, qvi abſtruſioris doctrinæ theſauros poſſideant, qvi munere fungan-

Digitized by Google

gantur didaſcalico, atqve morum alienorum cenſores & animarum errabundarum Daduchi vulgó nuncupentur. Haud alio eqvidem inſtituto fingitur Orpheum cantu traxiſſe arbores, ſtitiſſe curſus amnium, permulſiſſe ſenſus atq; animos brutorum animalium, qvam qvod homines ferino ritu viventes, ad cultum civilitatis, & humanioris vitæ traduxerit, ob eandem cauſam

Dictus & Amphion Thebanæ conditor urbis
Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blanda
ducere qvo vellet.

Taceo effata ſapientiorum alia, cum mihi decretum jam minimè ſit, ea prolixè perſeqvi, qvæ à veteribus ad reprimendam furialem vim vitiorum ſunt excogitata; nam nec modum ſic inveniret oratio, & voces ſapientiæ in medio ſunt poſitæ, unde cuilibet fas eſt haurire qvæ ex uſu fore videbuntur. Ad Vos potiꝰ ſermonem meum rurſus dirigo, O FELICISSIMÆ ex Pietatis & Doctrinæ

emi-

eminentioris conſortio ANIMÆ, qvæ fronte adeò facili & benignâ curas excepiſtis anteriores, atqve FELICE meo LITERATO qvaleſcunqve faces præferente, nullarum non calamitatum & miſeriarum, DOCTOS HOMINES adfligentium cauſas, & remedia opportuna planiſſimè perſpexiſtis; cæterum, neutiqvam offenſi cenſuris Literatorum flagitioſorum acrioribus, avido ſatis pectore excepiſtis conqviſita pridem [ad animorum ſc. eruditorũ emolumentũ & literatæ pietatis incrementũ] EXEMPLA & DOCUMENTA ſelectiora. Animadvertiſtis opinor, qvam deteſtabilis macula pudendaq; labes univerſo Literatorum hominum Ordini EX VITIORUM avernali confluxu accedat, quam putidus ex eo ulcere erumpat fœtor; nimirum qvod ſublatâ cœleſti gratiâ, deſtructoq; ſupremæ Sapientiæ habitaculo, neceſſum ſit, in animos INFELICIUM ejuſmodi, h. e. VITIOSORUM, & culpâ ſua ærumnoſorũ Literatorũ induci enormem qvandam turpitudinem, labem, peſtem,

fœ-

fœditatem, horrendamqve adeò ἀναι-σθησίαν, ut oculis qvaſi capti, ac ſenſibus penè deſtituti, nec qvicqvam videant, aut percipiant, eoſqve veluti phreneticos, aut peſte infectos ſani boniqve omnes deteſtentur. Qvid mirum [diceba-tis forſitan] ſi DIVINA MAJESTAS ex infamibus adeò proſtibulis, ſingularem ſuam præſentiam, gratiam, donorumqve eminentiam ſubtrahat, mox verò tartarei dæmones, monſtra illa tetra & horrida, in vacuas τῶν δαιμόνων, h. e. profanè & ſapientium & viventium literatorum ædes ſubintrent, teterrima ibi tyrannide dominaturi, & miſeros Muſarum filios, in ſtygia mancipia, execrabili planè metamorphoſi commutaturi. Exarſiſtis ſcio animis, quoties extremas iſtas maledoctorum & malecoctorum hominum miſerias ad animum veſtrum revocaſtis, atq; de exuendâ qvantocyus indigniſſimâ illa ſervitute, & ſorte beatiſſimorum pectorũ conſeqvendâ, ſeria vobiſcũ conſilia agitaſtis. Inſuper, cum è FELICIS LITERATI (*infelicium PERICU-*

 LIS,

LIS ET CASIBUS edocti indicio intellexeritis, *qvam pulchrum & ſalutare ſit* (ut Diodorus loqvitur) *ex ALIORUM ERRATIS in melius vitam inſtituere, & qvid appetendum fugiendumqve ſit, ex aliorum exemplis atqve documentis illuſtrioribus poſſe cognoſcere*; hinc amplius duxiſtis deliberandū, qvâ ratione Fortunæ Novercantis ludibria, & calamitatū eruditos homines infeſtantiū impetus, Sapientiæ ſtudio ſuperare, atqve in ipsâ infelicitate veſtra feliciſſimi evadere poſſitis, in egeſtate Domini auguſtiſſimi, atqve triumphatores vitiorum illuſtres; poſteritati ſplendidiſſimum ſpeculum relicturi, in qvo elegantiſſimæ Virtutum Chriſtiano-literariarum ideæ compareant. En, nova vobis calcaria, ad feliciorem in Virtutis ſinceræ ſtudio progreſſum faciendum! *NOVAS* inqvam *COMMONEFACTIONES Hiſtorico-Theoſophicas*; qvibus tum alia atqve alia FELICITATIS æque ac INFELICITATIS LITERARIÆ exempla & documenta exhibebuntur, tū etiam curâ ſingulari promentur ea, qvæ ad majorem

rem & copioſiorē in pietate ſincerâ profectum faciendum, & ad proſperitatem Eruditorum hominum ſuffulciendam maximè conducent. Nimirum, cum pleriq; eheu! Literatorum in caducis & fortuitis hiſce bonis potiſſimum ponant momentū, ac beatos eos cenſeant, qvibus ad votum parantur ſingula; miſeros verò, qvos qverela, defectus & egeſtas exercet; miſerrimos, qvibus ludibrio fortunæ de manibus excuſſa & ablata iterum, qvæ benignior olim, aperto & laxo ſinu indulſit; at verò præcipitis ævi lapſum, pronos ad interitum annos, ætatis præteritæ jacturam, vitiorumqve doctos homines turpiter infamantium noxam pauciſſimi ad animum ſibi revocent; hinc curâ poſteriori id cumprimis agendum duxi, ut Literatis, damnificarum ejuſmodi umbrarū tenebris aliqvandiu detentis, expeditiſſima ad veræ felicitatis ſedem via magis innoteſcere, temporiſqve optimè collocandi ratio exactius conſtare poſſit. Vererer certè, ne laborarim in vanum, aut ſurdis ce-

cinerim fabulam, ſi ingenuitas veſtra minus mihi perſpecta eſſet atq; explorata. Equidem, cum COMMENTATIONIBUS hieroſophicis antehàc evulgatis, faciles adeò aures commodaveritis, ſpero me novis hiſce COMMONEFACTIONIBUS etiam atque etiam effecturum, ut reſumtus labor mihi facti ſaluberrimi occaſionem, Vobis fructum benevolentiæ ſatis abundè declaratæ deinceps ſit ſubminiſtraturus. Et qvemadmodum Vobis animum meum, qvem ad conſcribendas Theoſophicas de VITIIS Literatorum COMMENTATIONES quondam attuli, ſatis ſuperqve perſpectum eſſe arbitror, ita benignum Veſtrum ergà me affectum huc uſque exploratiſſimum habui, qvem etiam inſtar pretioſiſſimi theſauri, & ampliſſimi patrimonii non immeritò facio plurimi. Qvum igitur divinâ benignitate utriqve jamjam conſecuti ſimus, qvod communiter erat optandum, non utar nunc ambagibus longioribus, nec ex alto petitis verborum

blan-

Digitized by Google

blandimentis, ut ſermo meus in animos veſtros amicâ qvâdam vi rurſus influere poſſit. Sed primo hocce congreſſu invadam in arcem ipſius cauſæ, ſimpliciterqve ac ſine artificio planum faciam reſumti ejuſce laboris inſtitutum. Optima principiò, O MEI, & tutiſſima ratio monſtrabitur Reformandæ & Reſtaurandæ REI P. LITERARIÆ; tum FELICITATIS æq; ac INFELICITATIS, doctis viris obviæ arcana nova curâ detegentur, & peſtes Orbis eruditi atrociſſimæ ſuis coloribus dabuntur expreſſæ, ut devitentur eò felicius; deniq; rationes promentur paulò uberiores, qvibus VITIA literatos homines infamantia magis magiſque profligari, uberior in Virtute profectus acquiri, præprimis autem latens illud, & ex innumeris naufragiis infame ſaxum, RELAPSUS ſcil.devitari qveat. Et qvæ cura pridem me verſavit atqve cogitatio, ut doli & fraudes, qvibus callidus dæmon pectoribus cultiſſimis huc uſqve impoſuit, fideliter detegantur; ea hoc tempore

acrius ſollicitavit, ut ad copioſiorem in Pietatis ſinceræ campo meſſem faciendam novas conſcribam, inque publicam lucem emittam COMMONEFACTIONES. Non mihi (DEUM teſtor!) conſilium eſt, alienam ſcabiem Neo-ſatyrico perfricare ſale, non carpere qvempiam temerè aut lædere; *Procul hoc vitium* [verba uſurpo P. Cunæi, in ſeculi hujus homines pleroſqve ineptè eruditos ſcribentis] *non à chartis modo iſtis, ſed à pectore quoqve noſtro abeſſe, palam omnibus teſtatum facimus, ſi quis aliter cenſuerit, injuriam faciet ſimplicitati meæ*: Publicis emolumentis potius, qvam privatæ obtrectationi, aut pudendæ nocendi libidini litandum eſſe, ſacratior philoſophia jam pridem me commonuit; eaqve propter ad eum optatæ beatitatis ſcopū novo hoc opere ſum collimaturus, qvem antehàc reſpexi unicè, nec aliud magis COMMONEFACTIONIBUS meis hieroſophicis inculcaturus, qvam PIETATIS CHRISTIANÆ CUM DOCTRINA EMINEN-

P. Cunæus in ſatyræ Menipp. præf.

NENTIORI CONSOCIATIONEM; Cæterùm clariſſimè oſtenſurus, omnem DOCTORUM HOMINUM FELICITATEM in probitate, & Sapientiæ ſupremæ ſtudio; omnem miſeriam & calamitatem in ignorantiâ & contemptu rerum divinarum, in pudendâ ab ultimo doctrinarum ſcopo aberratione, inqve flagitio execrabili eſſe conſtitutam. Miramur meritò & indignamur, nugis plerumqve ſeria poſtponi, & ſcientiam omnium pulcherrimam ac utiliſſimam, quæ in SUI COGNITIONE conſiſtit, negligi penitus; qvaſi ſaluberrimum illud priſcorum philoſophorum effatum, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, NOSCE TE IPSUM, Hominis Chriſtiano-Literati pectori neutiqvam ſit infigendum, aut è Regenitorum Lyceis, Diſciplina omnium maxima [uti Clemens Alexandrinus AUTOGNOSIAM meritò ſalutavit] eliminanda veniat. Coarguendi itaqve poſtliminio, & imprudentiæ maximæ convincendi fuêre LITERATI,

Clem. Alex. L. ... Pædag.

qui ſui cognitione * neglectà, inutili qvandoq; & futili Scientiæ ſeſe mancipare non dubitant, à vero doctrinarum ſcopo longiſſimè aberrantes: Inſurgendum meritò in eos fuit pſeudoſophos, qvos ipſe Seneca ut fatuos duxit perſtringendos; *Fatuum* [inqvit] *eſt ſtudere diviſionibus terrarum, & SE NESCIRE METIRI*; & alibi: *Metiri me Geometres docet latifundia; potius doceat, quomodo metiar, quantum homini ſit ſatis.* O miſeros & verè calamitoſos illos Literatos, qvi Cœlum & Terram ingenio complecti volentes, propriam ſuam vilitatem non capiunt, extremamq; exilitatem; cum Archimede lineas in pulvere ducentes, nec ultimam rerum lineam unqvam ſibi ad ani-

Sen. lib. de liberal. ſtudiis ſub init. idem Ep. 88.

* Scitè admodum Hugo de S. Victore in lib. de Clauſtro animæ; *Melior eſt* (ſcribit) *Scientia ſi Te ipſum cognoſcas, quam ſi Te neglecto, curſum ſcias ſiderum, vires herbarum, complexiones hominum, naturas animalium; & cœleſtium, terreſtriumque omnium cognitionem habeas: Multi enim multa ſciunt, & SEIPSOS neſciunt, cum tamen ſumma Philoſophia ſit SUI cognitio.*

Digitized by Google

animum revocantes. Eqvidem, cum etiam poſt evulgatum FELICEM meum, & miſerorum periculis edoctum LITERATUM, mentis conſpectui aliæ atque aliæ obveniſſent Doctorum ejuſmodi infelicium ruinæ, acremqve Magni Bernardi cenſuram † (qvâ P. Abaëlardum, ſubtilem ætatis ejuſce Doxoſophum, nihilqve omnium, qvæ in cœlo & terrâ ſunt, PRÆTER SE IPSUM neſcientem exagitavit) in plurimos ævi noſtri Literatos cadere animadvertiſſem, qvinimò perſpexiſſem planiſſimè, nullarum non miſeriarum & calamitatum, Literatos Viros undiqve prementium origines, in animis ipſorummet malè affectorum Doctorum, inqve naturâ ad vitium procli-

 viori

† *Nihil eſt* (ita de Abaelardo Bernardus Epiſt. 191. & 192. ad Innocent.) *quod lateat eum, ſive in profundum inferni, ſive in excelſum ſupra -- Facie ad faciem omnia intuetur, ambulans in magnis & mirabilibus ſuper ſe, melius illi erat, ſi juxta titulum libri* (quem inſcripſit SCITO TE IPSUM) *Se ipſum cognoſceret, & ſaperet ad ſobrietatem.*

viori reſidere: hinc operam diligentiorem intendendam eſſe reputavi, ut maximum illud *INFELICITATIS* Literariæ myſterium penitius cognoſcatur, curaq; poſteriori Eruditis culpâ ſuâ ærumnoſis viæ & rationes è Labyrinthis ſuis emergendi tutiſſimæ præmonſtrentur; nec minus miſeris iſtis, & peſſimè ad animum qvod attinet ſeſe habentibus, optima & ſaluberrima qvæqve remedia commendentur, qvibus ab extremæ perditionis periculo (cœleſti adſpirante clementiâ) liberari, & perpetuæ vindicari poſſint incolumitati. Ne infauſti illi Thaletes, maleſano auſu ſupra ſe rapti, atqve imminentia pericula haudqvaqvam ad animum ſuum revocantes, extremæ perditionis puteum incurrant, vel ad Plinii [flammas Veſuvii minus capientis] exemplum, miſerrimè pereant, ſaltem inutili & futili labore turpiter confundantur; omni virium, cœlitùs conceſſarum niſu, in novo hocce opere hieroſophico duxi præcavendum. Non niſi inexhauſtæ Ter

Opti-

Optimi, Ter-Maximi NUMINIS benignitati feram acceptum, ubi largiores ex ea ſemente ſpirituali accepero fructus, oleumq; & operam poſteriori huic ſcriptioni impenſam; neutiqvam perdidero, qvin potius id gaudii & lætitiæ genus fuero aſſecutus, cui neqvaqvam conferenda, ne dicam anteponenda ulla voluptas alia; nimirum ſi *COMMONEFACTIONIBUS* meis, Viri Literati *LABYRINTHIS* & miſeriis ſuis erepti, ad *SALUTIS SUPREMÆ DOMICILIUM* devenerint, atqve ex *VITIIS* ad *VIRTUTEM*, ab impietate ad Pietatem converſi, vel in ipſo Virtutis curſu alacriter proficientes, de Muſis EUSEBIÆ SANCTÆ magis magiſqve ſociandis jungendiſq; etiam atqve etiam fuerint ſolliciti; RELAPSUM ad hæc cane pejus & angve devitaverint, ſcopulum illum pernicioſiſſimum, in qvem graviſſimè hactenus impegêre, qvi [ut alibi ſcripſimus] arreptâ qvidem pœnitentiæ tabulâ, ex priori jacturâ in portum enatarunt, aſt nave refectâ, recu- *Conf. Diſ præ-lim. Fel. Lit. p.* 8 ſ.

c 5 pe-

peratiſqve mercibus, non providam ſatis curam, juſtamqve ſollicitudinem adhibuêre, perpetuæ tandem juſtiſſimo ſupremi Vindicis judicio dati internecioni. Felicem me, imò terq; qvaterq; beatum reputabo, ubi qvalicunq; meo miniſterio Literati, ſaltem aliqvi, PROSELYTI evaſerint POENITENTIÆ ſeriæ, nec minus ad ſolidæ perennantiſq; virtutis culmen adſpiraverint, atqve bonum ſupremum feliciter fuerint conſecuti, nihil amplius adverſi exhorreſcentes, cunctaſqve illas calamitates evadentes, qvæ doctos maleſanos freqventiſſimè concomitantur. Non eqvidem occumbent pectora ex Virtutis ſinceræ ſtudio feliciſſima, etiamſi vehementiſſimis jactentur procellis, ſed læto ſemper inter adverſa animo triumphabunt. Rogatus ab Hajmerico qvodam ante laudatus Bernardus, ut *DEUM AMANDI* ſimul ac *VARIAM ERUDITIONEM* è monumentis Veterum, & philoſophorum Bibliothecis comparandi rationem ſibi perſcriberet; haud diſſimulanter negavit, poſſe ſe de alio argumento, qvam

Bern. in prolog. tract. de diligendo Deo.

qvam

Digitized by Google

qvam prorſus divino & ſalutari cum ipſo colloqvi: Miſſo itaqve ad eum tractatu pie-erudito, *DE CHARITATE IN CONDITOREM*, minus ſanctarum diſciplinarum argumenta omninò duxit prætereunda, monuitqve Hajmericum, ſibi ut profanæ eruditionis præſidia aliunde conqvireret, & eorum ſcriptorum, qvibus plurimum otii, majorqve à curis eccleſiaſticis immunitas eſſet, operâ, in aſſectandis literariis iſtis delitiis uteretur: *AD ID SOLUM* [ajebat] *qvod de DILIGENDO DEO qværitis, reſpondeo, qvod ipſe dabit; hoc enim & ſapit dulcius, & tractatur ſecurius, & auditur utilius, RELIQUA DILIGENTIORIBUS RESERVATE.* Nemo itaqve vitio mihi vertat, qvod Bernardum imitatus, Literatis Viris PIETATEM potiſſimum, novo hoc Opere Hieroſophico miniſtrare, atqve viam ad veræ beatitudinis portum, rationemqve expeditiſſimam copulandæ cum doctrinâ eminentiori Virtutis ſolidæ oſtendere conſtituerim; illud Ber-

nardi-

nardinum avidis inanium curioſitatum ſectatoribus, etiam atqve etiam ingerendo: *Ad id qvod de diligendo DEO, deqve conſeqvendâ verâ felicitate literariâ quæritis, toto hoc opere reſpondebo; hoc enim & tractatur SECURIUS, & auditur UTILIUS; Reliqva diligentioribus, & profanæ eruditionis ſcrutatoribus indefeſſis erunt committenda.* Qvodſi inſatiabiles librorum doctrinarumqve profanarum Heluones, Commentarios deſideraverint, ut cupiditatum ſuarum ardores, aut elationis ambitioniſqve machinamenta felicius inde promoveant, vel neglectâ pietate, ſolam indipiſcantur eruditionem abſtruſiorem; neceſſe foret, ut Athenas remigrent, in Areopagos adſcendant, & alios atqve alios incurrant labyrinthos, non ea intrent Collegia, ubi unà cum doctrinâ ſolidiori, præcepta ſalutis hauriuntur, cœlo redonantur Literati devii, & ad ſuaviſſimum Salvatoris optimi jugum adductis, fores perpetuæ panduntur FELICITATIS. Tantum verò abeſt,

Digitized by Google

eſt, ut opere hocce meo, literis elegantioribus labem, ſeverioribuſqve epiſtemophilorum Muſis contemptum aliqvem inferre ſtatuerim, vel ad prolácerandas Scientias & artes liberales [qvippe qvæ maximis ſeſe emolumentis commendant] calamum duxerim ſtringendum; ut potius de illis magis magiſqve ſublimandis, exornandis, atqve Pietatis Chriſtianæ acceſſione in immenſum locupletandis, fructuoſa huc uſqve conſilia agitaverim. Et cum Bernardo ſæpe laudato dicente, ſcientia multijuga apprimè cibo reſpondeat, ex qvo poſt nimiam in ſtomachum ingeſtionem [calore nativo deficiente] cruditates plerumqve & morbi exitioſi procreentur, nec raro nimiam repletionem, extrema hominis pernicies excipiat; igitur toto hoc opere hieroſophico oſtendendum putavi, qvà ratione doctrinarum ſecularium delitiæ, Chriſtianæ Pietatis igne concoqvi, atqve nativi ejuſce caloris vi ita ſubigi debeant, ut maxima inde corpori univerſo com-

mo-

moda & emolumenta accedere, malaqve nimiam & noxiam repletionem, vel ut vulgò loqvuntur, *HELUATIONEM LIBRARIAM & LITERARIAM* utplurimum concomitantia evitari poſſint. Sollicitè inqvam commonendi erunt Literati ſupremæ felicitatis deſiderio æſtuantes, ne Scientiarum ſubſidia contemnant, qvin potius AMIDEXTRI † ſint, ſive DIVINA æqve ac HUMANA eruditione conſpicui; cæterum Ægyptiorum opibus ad Templi Dominici ornatum utantur, nulliſqve non studiis & actionibus ſuis, ad veræ beatita-

† Id qvod de fratre ſuo Baſilio Magno Nyſſenus (*Orat. in ejus laudem conſcriptâ*) literis prodidit ad h. m.: *Moribus canus à Juventute, in omni ſapientia tam HUMANA, quam DIVINA, veluti AMBIDEXTER per utramqve eruditionem in adverſarios ſe armans. Hinc igitur habemus ſublimem illum ET VITA & SERMONE Baſilium, ſtrenuum Chriſti militem, cui ſecundas poſt Apoſtolos partes tèmpus ſolum dat, &c.*

Digitized by Google

titatis ſcopum colliment, atqve perpetuæ Salutis indeptionem. Neutiqvam ſanè lectoribus meis lautiores interdicam menſas [ſiqvidem ipſe Salvator cum Phariſæis inire convivia non dubitaverit] dummodo dapes noxias & animæ ſaluti officientes devitent; cæterum in id incumbant potiſſimum, ut ad Chriſti epulantis exemplum, non niſi ampliorem animorum qvæſtum conſectentur. O felices, ô ſummè beatos illos Literatos, qvi immenſis doxoſophorum damnis, & caſibus triſtiſſimisedocti, huc omne ſtudium conferunt, ut Labyrinthos eorundem periculoſiſſimos, & miſerias undiq;fulminantes non ipſi ſolum feliciſſimè effugiant, verum fluctuum atrociſſimorum, & procellarum pluſqvam typhonicarum impetui eripiantur etiam alii, ERUDITIO deniqve edecumatior, Virtuti & Pietati Chriſtianæ ſociata magis magiſqve efflorеſcat. Et qvem demum fructum SCIENTIÆ ſibi promittat Literatus, ſi nullum habeat cum Cœlo commercium, & fre-

qvens

qvens inter pietatem ac doctrinam divortium faciat; cum non niſi ex inexhauſto Divinæ benignitatis fonte, ſacræ doctrinæ fluvii in nos deriventur? Qviſqvis exundantis eloqventiæ, & eruditionis multijugæ Rhodano fauces ita immergit, ut fontem in vitam æternam ſalientem præ flumine illo ſpernendum ducat penitus, id ſibi ab induſtriâ ſuâ promittens, qvod nonniſi DEI munere obtinetur; cæterum per ſacrilegam idololatriam, debitum PIETATI tempus, eruditionis profanæ ſimulachro immolans; expectet tandem exactorem, qvi guttur invadens, ſeveri Judicis nomine ipſum compellet: REDDE QUOD DEBES: neqve horrendi ejuſce maledicti aleam ſubire detrectet, cui divina Juſtitia cunctos ſubjecit; qvi infrunitæ cupiditatis œſtro perciti, ipſum Sanctuarium legitimis decimis qvondam ſpoliare non dubitarunt. Idem illi tandem eveniet, qvod Iſraelitis, theſauris Ægyptiorum ditatis; niſi divinæ literaturæ mannâ animum

Digitized by Google

mum repleverit, raptumqve profanæ ſcientiæ aurum, non in torqves, qvibus ſemetipſum exornet, ſed in Tabernaculi cœleſtis conflaverit uſum. Qvod ſi vel ipſi Aqvinati in Theologicis qvæſtionibus, aut Philoſopho in texendis ingeniosè ſophiſmatis palmam ille præripuerit, parum tamẽ inde conſeqvetur emolumenti, niſi de jungendâ *ERUDITIONI EMENDATIONE* ſeriâ fuerit ſollicitus: Profanæ qvidem cultoribus ſapientiæ venerabilis erit ob ingenij perſpicaciam, Cœlo verò exoſus; & velut *INFELIX NOCTUA* ad ſacrorum oraculorum Solem caligabit, maximas olim decoctæ virtutis, violatarumqve legum divinarum pœnas ſubiturus. Nec eſt, qvod Eruditionis interitum metuamus, ſi Virtus & Pietas ſincera conſervetur; cum eo ipſo momento ſapientiam veram & fructuoſam evaneſcere neceſſe ſit, qvo ſacræ devotionis flamma extingvitur. Si Scientiarum incrementa ſeriò efflagitaverimus, pias adaugeamus exercitationes, atqve primævæ Chriſtianorum

 ſtu-

ſtudeamus integritati, planiſſimè nobis perſvadentes, Sapientiam veram Lilium illud eſſe inter ſpinas [juxta Hiero-Cantici tenorem] ſuccreſcens, atqve Margaritam Evangelicam, cunctis doctrinarum gazis pretioſiorem. Qvantò præſtaret univerſam ignorare eruditionis encyclopædiam, dummodò *CHRISTI CRUCIFIXI* pleniorem cognitionem, ſolidæqve Virtutis decus fuerimus conſecuti!

Accipite igitur NOVAS haſce COMMONEFACTIONES, O feliciſſima pectora, eodem vultu affectuqve, qvo ipſum antehac FELICEM LITERATUM, veluti ſingularem amoris & obſervantiæ erga Vos meæ interpretem eſtis proſecuti: Ne ſpernatis obſecro, novam hanc mentis officioſæ teſſeram, & debitæ Vobis benevolentiæ ſyngraphum. Si alter nunc vobis Sinæta occurram, qvi cum Artaxerxem qvo munere proſeqveretur non haberet, ad proximum fluvium curſu contendit, & utrâqve vo-

lâ hauſtam aqvam, cum fauſtiſſimâ acclamatione obtulit, *parvo ſcil. munere officioſum animum oſtenſurus*; Vos, COMMONEFACTIONES meas, bono non niſi Veſtro conſcriptas ne contemnite, qvin potius de fructu ex iis uberiori conſeqvendo, majoriqve indies in Virtute chriſtianâ profectu faciendo etiam atqve etiam eſtote ſolliciti. Et ne Vos diutius à lectione ipſa detineam, præliminarem hunc finio ſermonem, poſtqvam cunctos Sapientiæ ſupremæ Candidatos verbis Magni Syracidis compellavero, & ad Pietatis cum Doctrinâ auſpicatiſſimam conſociationem hunc in modum fuero cohortatus: *Audite Filii* [fratres] *mei, & eligite ſententiam meam, neqve abjicite conſilium meum, ſed inferte pedes veſtros in pedicas Sapientiæ, & in collare ejus colla veſtra. Subdite humeros veſtros & bajulate eam, neq; ægrè feratis ejus vincula. Ex toto animo Veſtro accedite ad eam, ex totis viribus veſtris conſervate vias ejus. Inveſtigate & qværite, & innoteſcet Vobis, deinde compotes facti*

Syrac. VI. v. 24. ſeqq.

eam ne dimittite. Tandem enim conſeqvimini reqviem ejus, & vertetur vobis in lætitiam. Erunt vobis pedicæ illius pro tegumento roboris, & collaria ejus pro ſtolâ gloriæ, nam ornamentum aureum eſt ei (junctæ ſcil. PIETATI DOCTRINÆ) *& vincula ejus ſunt glomus hyacinthinum. Ut ſtolam gloriæ induetis eam, & corona exultationis vos per ipſam circumdabit.* En Vobis expeditiſſimam conſeqvendæ FELICITATIS ſupremæ rationem: Si nimirum maximo animi niſu ad Sapientiæ perennantis arcem acceſſeritis, omniqve STUDIO vias ejus cuſtodiveritis, nec ægrè tuleritis, qvicqvid inde vexationis moleſtiæqve obvenerit. Cæterum, majori indies curâ gazas cœleſtes inveſtigaveritis, ſcil. [ut Hugo & Dionyſius ad iſtum Syracidis locum notavêre] STUDENDO, INTERROGANDO, LEGENDO, ORANDO, OPERANDO; nec enim deſidiâ torpentes ad tantæ proſperitatis ſedem facilè pertingent. Impigrè inqvam, LABORANDUM æq; ac

ORAN-

Digitized by Google

ORANDUM Vobis erit, ſiqvidem ſaluberrimos COELESTIS SAPIENTIÆ fructus percipere, & CORONAS ejus GLORIOSAS aſſeqvi cupiatis. Nemo ſperet, lucidiſſimas auguſtæ adeò FELICITATIS portas ſeſe ultrò recluſuras intuentibus: Non tam obſeratæ illæ ſunt, qvam præſtructæ muro, pluraqve eas repagula, qvam Regum Perſicorum gazas communiunt. Neceſſe igitur eſt, ut Chriſti monito obedientes, PULSETIS * fortiter, ut VIM FACIATIS haud mediocrem, atq; Ezechielis qvaſi dolabrâ inſtructi, regiam VOBIS, cœleſti ope, ad intaminatæ ejuſce voluptatis Paradiſum muniatis viam. *APERIET Vobis diligentiâ jugis* [ut ſcitè in Lucam ſcripſit D. Am-

Matth. 7. ℣. 7. *Matth.* 11. ℣. 12.

* *Ante omnia DEUM deprecare* (ita Juſtinum Martyrem in pio ſuo ſeceſſu, Vir ſpecie venerandâ commonuit,) *tibi ut PORTAS LUCIS aperiat; neque enim conſpici iſta, neque intelligi promiſcuè poſſunt, ſed ab ijs duntaxat, qvibus ea facultas à DEO ſit conceſſa &c.* conf. Juſt. Dial. cum Tryph. Jud.

Ambroſius,] *JANUAM VERITATIS, neqve enimotioſè dictum eſt homini, qvod nulli aliorum animantium: IN SUDORE VULTUS TUI manducabis panem tuum,&c.* Non ſecus ac Lux,qvæ Moyſi in Horebi monte apparuit, ſplendor ille ſupremæ Sapientiæ Veſtro tandem obtutui obveniet,atqve pectoribus gratioſè colluſtratis, exoptatiſſimam BENEDICTÆ TERRÆ poſſeſſionem præmonſtrabit, qvinimò cavebit ſollicitè, ne ullo tempore partâ excidatis FELICITATE. Sic ſtolâ GLORIÆ [ut Syracides ajebat] verè induemini, & coronâ exultationis ampliſſimæ toto vitæ mortalis decurſu gaudebitis, PERPETUÆ BEATITUDINIS BRABEO olim certo certius circumcingendi.

HIE-

HIERONYMUS CARDANUS, LIB. III. DE SAPIENTIA, fol. 172. edit. Norimb. 1544.

Adeò ERUDITI Vitiorum ac flagitiorum opinione apud Magiſtratus laborant, ut nihil in his niſi pudorem reqvirant. Nam cum publicè mala hæc perpetraverint, exemplo ſuo Rempublicam non parum offendunt, ex qvo potentioribus invidia conflatur illorum levitate. Sed tamen falluntur & in his, qvod VITIA ſint SAPIENTUM: Nam non horum ſunt, ſed eorum qvi FINGUNT SE SAPIENTES. Etenim neqve Socrates, neqve Ariſtoteles, nec Diogenes vel Crantor

tor, non Antiſthenes, non Cato, non Phocion, non Ariſtides, non Hippocrates, non Galenus, non Democritus, non Euclides, non Ptolemæus, & ſi qvi alij VERE fuerunt SAPIENTES, VITIIS ac ſordibus coinqvinati erant; ſed unus Ariſtophanes, Naſo, Catullus, Terentius, Chryſippus, Cæſar, Xenophon, & qvicunqve Sapientiâ humanâ floruêre, ijdem & labe ſcelerum dehoneſtabantur: qvanqvam occultè qvantum poſſent illa perpetrarent.

Idem l. c. lib. I. fol. 4.

ET SAPIENS FELIX, & FELIX IDEM SAPIENS EST.

COMMONEFACTIO I.

LITERATUS CULPA SUA ÆRUMNOSUS,

SIVE

MYSTERIUM INFELICITATIS LITERARIÆ DENUO REVELATUM,

Ad Fel. Lit. Diſſert. Prælim. Num. III.

I.

NOn poſtremam INFELICITATIS LITERARIÆ cauſam inde qvidam putant arceſſendam, qvod Viri doctrinæ excellentioris, ob morum aſperitatem ad functiones & converſationes civiles utplurimum ſint ineptiores, atq; gratâ ſermonis ſvavitate, pariter ac cæteris humani favoris illiciis deſtituantur. Qvemadmodum Socratem Gorgias apud Platonem ſeveriſſimè reprehendit, qvod nimio Philoſophiæ ſtudio

Plato in Gorg. *Ariſtot. VI.Eth.*

præpeditus, *forenſem Rhetoricam* neglexiſſet, eâqve deſtitutus, extremum aliqvando periculum incurriſſet. Qvin imò ipſe Philoſophus, Thaletem cum reliqvis ſapientiæ gloriâ celebribus Viris σοφοὺς μὲν, ἀλλ' οὐ φρονίμους, vulgò vocatos fuiſſe memoravit, qvod ea, qvæ ſibi vel in Civilibus, vel Oeconomicis conducant, videre neqviverint, qvorſum & tritum illud Græcorum pertinet; μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Tantum verò abeſt, ut Literatos propterea INFELICIUM albo ducamus inſcribendos, ut potius ſummoperè laudandos atq; commendandos exiſtimemus, qvod plebeis curis abjectis, deliciarum literariarum ſint appetentiores, cæterum optatæ Muſarum tranqvillitati, neutiqvam præponere ſtatuant vitam politicorum hominum anxiam & ærumnoſam, neqve vaſtâ illa & hianti auræ popularis cupiditate ſeſe abripi patiantur. Qvidnî civilis etiam doctrinæ vitæqve ornamentis, præ cæteris illi ſint conſpicui, qvi meliora longè, & præſtantiora aſſeqvuntur, neqve ingenio ad ea, vel otio, nec voluntate, aut facultate deſtituti. Et cum vix uni homini detur in pluribus ſimul excellere, atqve adeò præſtabilius ſit, uni duntaxat vitæ generi, eidemqve honeſtiori ſeſe addicere, qvam variis ſtudiis diſtrahi, & negotiorum obrui multitudine; hinc nemo facilè vitio vertet eruditis pectoribus, ſi politioris converſatio-

nis

nis lenociniis, non æqve ac doctrinæ profundioris copiis delectentur, neqve divitiarum & commodorum temporalium curâ adeò, qvam opum literariarum deſiderio tangantur atqve abripiantur. Non eſt verò, ut aliunde malorum & calamitatum, doctos homines prementium, originem arceſſamus, qvam ex fœtulento illo, ſucciqve avernalis pleno puteo, Philautia ſcilicet, adfectioni VITIOSÆ nunqvam non ſociatâ, cum planiſſimè conſtet, plerosqve eruditi Orbis incolas, culpâ non niſi propriâ extremæ miſeriæ barathrum incurriſſe, ſaltem graviſſimas ſubiiſſe tempeſtates.

II. Non infeliciter illo ipſo tempore, qvo novas ad FELICEM ex animo LITERATUM Commonefactiones parare, & miſeriarum, doctos homines freqventiſſimè exercentium, cauſas atqve arcana magis magisqve in apricum producere inſtitui, in memorabilem qvandam DES. ERASMI ROTERODAMI epiſtolam * incidi, qvâ prælustre illud Orbis eruditi decus, malorum & calamitatum ſuarum, qvas maximo cum animi dolore ſubiit,

* *Extat ea Eraſmi epiſtola non qvidem in volumine magno Epiſtol. ſed inter eas, qvas multo poſt Viri obitum tempore, P. Merula ſingulari ſtudio conqviſivit, & edidit Lugduni Batav, 1607. legiturq́ʒ fol. 214. & 215.*

Iliadem, Gvilelmo cuidam (alias atqve alias afflictiſſimo Eraſmo afflictiones addenti) expoſuit, ac ſimul Literati (ſi humana reſpiciamus,) verè INFELICIS ideam, proprio ſuo, & omninò miſerabili exemplo dedit conſpiciendam. *Vis ſcire*, (ita Eraſmus Gvilelmo) *qvemadmodum hic vivat ERASMUS? Vivit, imò neſcio an vivat, ſed vivit prorſus MISERRIMUS, omni lachrymarum genere confectus, qvot inſidiis petitus, qvoties amicorum perfidiâ deluſus, qvot caſibus ſurſum ac deorſum jactatus! ſed vivit innocentiſſimus. At ſcio me vix harum rerum fidem Tibi facturum, veterem enim adhuc Eraſmum, atq; libertatem, & ſiqvid eſt ſplendoris cogitas. Verum ſi coram loqvi liceret, nihil mihi facilius fuerit, qvam id tibi perſvadere. Qvare ſi verum tibi ERASMI ſimulachrum fingere voles, finge non ineptum, non commeſſatorem, non amatorem, ſed afflictiſſimum, ſed lachrimoſum, ſed inviſum ſibiipſi, cui jam nec vivere libeat, nec mori liceat; deniq; miſerrimum: at fortunæ iniqvitate, NON SUA CULPA; Miſerrimum tamen - Ita velint ſuperi, has meas ærumnas aut in melius mutari, aut maturâ morte finiri.* Qvis obſecro tanti viri, tam acerbas tamq; enormes non lugeat calamitates? qvis maximum fortunæ in Eraſmum inde non perſpiciat odium? Eqvidem, ſi ullius Viri Eruditi vita ærumnoſa fuit, fuit Magni illius

Deſi-

Deſiderii, ut planè cento qvidam infelicitatis, invidæqve (dicam an infidæ?) fortunæ materies ac theatrum dici potuerit, humanâ digniſſimum commiſeratione, cum omni (ut modo ajebat) lacrymarum genere confectus, ac infinitarum miſeriarum procellis ita ſit jactatus, ut parum abfuerit, qvin extremæ calamitatis aleam ſubiiſſet, ac ſuam ſibimet inviſam animam projeciſſet. Utut verò graviſſima fuerint ea mala, qvæ Virum de literariâ re præclariſſimè meritum, toto propemodum vitæ ſuæ curriculo exercuerunt; non omne tamen infelicitatis Literariæ punctum ille tuliſſe videtur, eò, *qvod fortunæ iniquitate potius* (uti ſcribebat qvidem) *qvam CULPA PROPRIA* tantis tempeſtatibus expoſitus fuerit. At verò longè conſpectioris infelicitatis barathrum illi incurrunt literati, qvi ob pudendas animi ſui labes iratam habent Nemeſin, & qvi flagitiis ſuis concatenatis, Sanctiſſimi Numinis juſtitiam, in temporale pariter ac ſempiternum ſui exitium, ac perennans ſupplicium ducunt provocandam. Operoſum nimis foret, omne infelicitatis ejuſce ſeminarium vel poſtliminiò excutere, atqve Literatorum, *Culpâ ſuâ* miſerrimorum novam dare conſignationem. Sufficiat ſaltem qvorundam ævi Veteris Literatorum, ac poëticâ & oratoriâ facultate præ cæteris illuſtrium ruinas (ſilentio antehac

à nobis prætermiſſas) cōmemoraſſe, qvarum ipſi qvidem fabri & architecti extitêre.

III. Prodeat è cineribus ſuis *ÆSCHYLUS*, & malorum graviorum, qvæ malitiâ obfirmatiori incurrit, fide digno interprete uſus, ſummam commemoret. Ita autem de eo Ælianus: *Æſchylus Tragœdus in qvodam dramate IMPIETATIS damnatus erat, cum Athenienſes jam parati eſſent eum lapidibus obruere, Amynias junior frater, detectâ veſte cubitum oſtendit manu vacuum. Fuerat autem Amynias in Salamine unus ex primoribus, ubi manum amiſit, & primam palmam ex omnibus Athenienſibus conſecutus eſt. Ubi ergò judices hominis incommodum, & damnum aſpexerunt, repetentes facinorum ejus memoriam, Æſchylum abſolverunt.* Neq; verò impietatis duntaxat nomine, tantam Æſchylus ſubiit tempeſtatem, ſed graviorem qvoqve ſuorum indignationem inde incurrit, qvod vanus nimis, & grandiloqvus eſſet, atqve vini plus qvam decebat appetentior. Hinc Ariſtophanes Æſchylum appellare non dubitavit κρημνοποιόν, qvaſi præcipitiorum authorem, ob grandia vocabula qvæ data operâ adhibuit. Vini verò appetentiorem inde fuiſſe ſtolidi gentiles cenſuêre, qvod à Baccho per ſomnium tragœdias ſcribere juſſus ſit, cum adhuc adoleſcens in agro uvas cuſtodiret. Extrema autem pernicies ei obvenit, poſtqvam

Ælian. de var. Hiſt. lib. V. cap. 19.

Conf. Suid. in Æſch.

Digitized by Google

qvam inanis gloriæ amore ac ſtudio ita eſſet occæcatus, ut grandis natu, cum Sophocle puero certare, deqve palmâ contendere non dubitaſſet; Tum enim victus, judicum vel invidiâ, vel odio, qvod ſc. myſtica qvædam [dicente apud Svidam Euſtratio] in ſcenâ patefeciſſet, ad Hieronem Tyrannum in Siciliam migravit, ubi cum in agro nudus ſederet, aqvila ſupernè volans, teſtudinem marinam in caput ejus calvum demiſit, ſaxum eſſe arbitrata, eumq; interfecit, cum annos LVIII. natus eſſet. Sed & ÆSCHYNEM (etſi majori virtutis, doctrinæ ſociatæ, gloriâ conſpicuum) notabilis qvædam animi labes dedit præcipitem, atqve Literatorum infeliciſſimorum albo inſeruit. *Cum enim* (inqvit Philoſtratus) *cauſæ cujusdam advocatus, JUDICES CORRUPISSET, unâ cum eis in carcerem conjectus, hauſtu aconiti interiit.* Atq; hoc triſtiſſimum fatum ſubiit non niſi culpâ ſuâ Orator (ut vulgo audit) ille dulciſſim⁹, qvi Dorica Atticis cōmiſcendo, extemporalemq; orationem cum copia inveniendo, maximam laudē fuerat conſecutus. Is ipſe juſtitiæ leges violare tandē non dubitaverat, qvi prim⁹ Cteſiphonē violatarum legū reum duxerat peragendum. Utrum juſto ſupplicio affectus ſit, diſqvirant alii, nos planiſſimè habem⁹ perſpectum, calamitatis ejuſce cauſam palmariam in ipſo Æſchine, utpote *Judicum corruptore*

Philoſtr. in Sophiſtis, conf. Svid. in Æſchin. & Volaterr. lib. 13. c. 3. Anthrop.

reſediſſe. Qvemadmodum ipſum qvoqve, DEMOSTHENEM, fortunæ ſibi novercantis fabrum extitiſſe, & miſeriarum extremarum architectum, clariſſima ſcriptorum monumenta loqvuntur. *Fœderis enim* (uti Svidas ait) *cum Thebanis ineundi auctor fuit Athenienſibus, atq; adeò cladis ad Chæroneam à Philippo acceptæ. Adverſatus eſt etiam Alexandro Philippi filio. Cui qvum Harpulus magnam pecuniã ſurripuiſſet, ad Athenienſes confugit; Demoſthenes, qvi, & ipſe partem accepiſſe putabatur, Trœzenem in exilium profugit, Alexandro Babylone mortuo, in patriam revocatus; ſed Antipater, ſuſcepto Græciæ principatu, decem oratores ſibi dedi per legatos poſtulavit. Demoſthenes in Calauriam fugit, & ne ab Archiâ Antipatri legato, per vim ex Neptuni Æde extraheretur, qvæ aſylũ erat, veneno, qvod ſub annuli pala habebat, exſucto, mortuus eſt anno ætatis octuageſimo ſecundo, cum per viginti duos annos in Rep. verſatus fuiſſet.*

Svid. in Demoſth.

Hic nimirum eſt ille Demoſthenes, qvi in artẽ dicendi (Plutarcho teſte) contulit, qvicqvid ei, vel natura, vel exercitatio ſolertiæ & eruditionis tribuit, qvi nervis, & vi dicendi cunctos ſuos æqvales eſt transgreſſus, qviq; argutia & arte nullos non ſophiſtas ſuperavit. Nec minus culpâ ſuâ DEMADEM Athenienſem (Oratorem æqve egregium) periiſſe, eò qvod *Demagogus* eſſet, inqve lacum Amphi-

Plut. in vitis.

phi-

Digitized by Google

phipolitanũ, Antipatri juſſu conjectum fuiſſe, ex ante laudati Suidæ indicio accepimus. Qvantumvis HYPERIDES ad tantũ eloqvẽtiæ culmen devenerit, ut à multis ipſi Demoſtheni fuerit antepoſitus, qvamprimum tamen mulierum amori fœdo nimioperè indulſit, innumerarum afflictionum tempeſtates ſuſtinuit, donec ejusdẽ Antipatri mandato ex Æde Cereris, per Archiam eſſet eductus, lingvâq; reſectâ miſerè tandem trucidatus. Omnium verò juſtiſſimas, ſimul ac atrociſſimas neqvitiæ pœnas dedit LUCIANUS ille Samoſatenſis, cognomento blaſphemus, ſive maledicus, atheus vulgo dictus, eò qvod in Dialogis ſuis ridicula etiam illa eſſe pronunciaſſet, qvæ de rebus divinis & ſacris eſſent prodita. Obiiſſe illũ conſtans fama fert *canibus laceratum*, qvoniam & contra veritatem Chriſtianam, deſertor, & apoſtata neqviſſimus extremam rabiem exercuiſſet. *Nam in vita peregrini* (ita Suidas) *Chriſtianiſmum qvoq; inſectatur, & ipſum Chriſtum contumeliose ſceleſtus ille inceſſit, qvare & rabiei iſtius pœnas ſufficientes in præſenti vita dedit, & in futurum hæres æterni ignis, una cum ſatana erit.* Additqve Volaterranus, eundem Chriſtianæ fidei deſertorem factum, dictitaſſe, *nihil ex eá profeſſione ſe conſecutum, qvam qvod nomen ſuum corruptum inde fuiſſet, ipſeq; ex Lucio Lucianus evaſiſſet.* Extremæ etiam calamita-

Suid. in Luc.

 mita-

mitatis aleam culpâ ſuâ olim ſubiit APULEIUS ille Madaurenſis, poſtqvam Magiæ noſcendæ cauſa Theſſaliam deveniſſet, indidemqve ad ſerviles voluptates, ſeu infauſtos Fotidis cujusdam amores eſſet delapſus; improſperumqve adeò curioſitatis & proterviæ ſuæ præmium reportavit, ut in ASINUM magicâ arte ſit transmutatus, uti prolixè ipſe in metamorphoſ. libris commemoravit.

IV. Sed qvorſum (dicat aliqvis,) vetera illa? annon recentiora in propmtu nobis ſunt calamitatum, vitioſos Literatos, juſtiſſimo DEI judicio prementium exempla & documenta? Qvis dubitet. Viſum tamen fuit, ſepoſitis aliqvantiſper propinqvioribus, remotiora illa, & vetuſtiora pandere, ut periculis & caſibus priſcorum Literatorum perſpectis, tandem aliqvando ſapiant & intelligant ævi labentis eruditi homines, caneqve pejus & angve VITIOSAS (qvibus miſerrimi illi perpetuæ perditionis barathrum ſubierunt) devitent actiones. Non abhorruerunt à pudendis animi labibus celebres qvidam ætatis noſtræ philomuſi, poëtica pariter ac oratoriâ facultate apprimè illuſtres, eaqve propter conſimilis propemodum infelicitatis aleam ſubierunt. Veluti (ut alios plurimos prudentis ſilentii peplo involvam) DOMINICUS BAUDIUS, Vir ſi proſam & vorſam eruditionem ſpectemus, prioris meliorisqve ævi ſcri-

Digitized by Google

ſcriptoribus haud abs re accenſendus. Sortem Baudium iniqviſſimam pertuliſſe, ipſiusmet Epiſtolæ, pariter ac alia eruditorum hominum monumenta loqvuntur, qvæ doctiſſimi *Biblioſophiſtæ Gedanenſes*, in ſpecimine ſuo haud ita pridem evulgato, duxêre exhibenda. Res ſiqvidem ejus domeſticæ ita attritæ fuerunt, ut debitorum laqveis * extricare ſeſe haudqvaqvam potuerit; loco etiam, & jure ſuffragii ferendi in Senatu Academico eſt dimotus, donec ad longè periculoſiores nave ſuam ſyrtes ſcopulosqve miſerrimè afflixit, cum ſcilicet exiſtimationis, & dignitatis profeſſoriæ penitus oblitus, ſubitisqve & importunioribus animi motibus in devia abreptꝰ, non Baccho ſolùm litare cœpit turpiter, verum illicitâ etiam Venere ſeſe contaminavit**, dumq; pudendis ſuis actionibus conſilium rectæ rationis peſſimè antevertit, cita-

Videatur Specim. Biblioſoph. Gedanenſ. à Clar. Schelgvigio edit. 1675. cap. IV. & Baud. Cent. III Ep. 65.

* Baudii in Epiſt. ad Braſſerum (qvæ eſt Cent. III. trigeſima ſeptima) hæc verba leguntur: *Nihil eſſet mea ſorte felicius, ſi ſemel amolitus eſſem importunos creditores. Ne Regibus qvidem ſupplicare vellem, ut me aureo imbre perpluerent. Nunc anguſtæ res non patiuntur ut tollam ingentes animos.*

** Confer librum P. Scriverii, cujus tit. eſt *Dominici Baudii amores*, Edit. Lugd. 1638.

citato curſu in exitium miſer ille ſeſe præcipitavit, eaqve malorum lernâ tantum non penitus fuit abſorptus. Qvid, qvod aures infelices aculeatis ſarcaſmis ubivis ſint obtuſæ, adeoqve malis mala indies graviora acceſſerint, ſiqvidem in deteſtandos illos concubitus *Daniel Heinſius* carmine luſerit, cui in Dornavii Amphitheatro talis inſcriptio præfigitur: *Cento Virgilianus, ad amicum conſcriptus, qvi poſtqvam ignarus cum ancilla publico ſcortillo, cum qvâ tum alii, tum plurimi ſcholaſtici conſveverant, congredi ſoleret, ſolus præter expectationem, prole ab eâ eſt donatus.* Scriverius, ne qvod res literaria detrimentum caperet, vulgaturus horribile arcanum, *Dominici Baudii* nomen adjecit, qvi etiam neſcio cujus genii impulſu, in amorum libro [titulo qvidem Epitaphii] infelicem iſtum, hunc exagitavit in modum:

Dornav. Amph. Tom. II. p. 12.

BAUDIUS *hic ſitus eſt. Ceſſas qvid flere, viator?*
An fles, conjugium flevit ut ille ſuum?
Protinus Indidomum fertur guſtaſſe Lyæum;
Non alio ſiccas rore notaſſe genas.
Hoc conſtantis erat. Non degener incola Mundi
Paſſim inæqvales eſt in amore thoros,
Degeneresq́; faces: qvas ventilat improba Juno,
Et malè concuſſas faſcinus ultor alit.
En, cum jure trium natorum ducitur uxor;
Et ſimul in barathrum præcipitatur amans.

Sic

Digitized by Google

Sic labuntur opes : ſic nil ſtipendia proſunt,
Penſio ſic Domino ſapè negata ſuo.
Pallia ſic alius, Cajaq; monilia ſervat :
Æra fugant inopem ſic aliena famem :
Proſilit & duris urgens in rebus egeſtas ;
Pignora ſtant, vacuâ non redimendâ manu.
Curatoris eget regalia munia prenſans,
Neſciat, heu, rebus qvi ſupereſſe ſuis.
Et viduus nunc hâc Dominâ, nunc luditur illâ,
Eſtq; qvod in Maja *(DI prohibete!) placet.*
Parvulus Æneas : & mox veſanus Oreſtes,
Hæc in fœmineo condita pœna ſinu.
Qvisqvis es exemplo tanti moveare mariti :
Parce libidinibus, luxurioſe, tuis.
Addita ſit potius laſcivo fibula membro,
Ut vindicta tuam tranſeat iſta domum. **

V. En hominis literati, culpâ ſuâ miſeri & infelicis graphicam deſcriptionem, qvam ſi P. Scriverius malevolo evulgaſſet animo, atqve

* *Ipſiſſima hæc Maja eſt, qvam paſſim in Epiſtolis ſuis Baudius, ingenti tædio ejus affectus exagitavit, ac peſtem, & perniciem famæ, ſcortum diffamatum, exoletumqve propudium appellavit. Conf. epiſt. 60. 67.*

** *Complures Literatos, inſano mulierum amore correptos atq; corruptos, tandemqve miſerrimè poſtratos, J. N. Erythræus in* Pinacothecâ *ſuâ, Orbis conſpectui exhibuit.*

qve è vitiorum Baudianorum cœno aliqvam hauſiſſet delectationem, non leve & ipſe literati vitioſi documentum dediſſet, & libidine propriâ apprimè pollutus fuiſſet, dum alienam ſibi ſumſit exagitandam. Legant interim Epitaphium illud eruditi Viatores, caveantq́; ſollicitè, ne & ipſi conſimilibus animi depravati moribus in devia abripiantur, atqve infelicitatis extremæ barathrum incurrant. Baudio, culpâ ſuâ infeliciſſimo, haud abs re sociãdus venit M. ANTONIUS MURETUS Lemovix, publicus qvondam in Romano Gymnaſio Profeſſor, cui ſingularem gloriã æq; ac Belgico illi ſopho inſignis facultas oratoria, multiplex ſcientia rerũ, reconditæ & exqviſitæ literæ, & incredibilis memoriæ felicitas paraverat. *Qvid enim* (ait Erythræus) *ejus orationibus inveniri perfectius poteſt? qvi flos, qvod lumen, qvis naturalis, non autem fucatus in eis nitor deſideratur? qvis humilia ſubtilius, ampla ſublimius, mediocria temperatius potuit dicere? qvibus virtutibus perfecti oratoris laus continetur. -- Qvamobrem illud aſſecutus videtur, ut non hujus modo ſeculi, ſed multorum etiam ſuperiorum oratorum princeps habeatur.* Sed tanto vir ingenio atqve facundia, (pergit author laud.) Toloſæ, criminis cujus inſimulatus fuerat (*Sodomitici ſc.*) paratum feré ſibi ſupplicium evaſit. Nam fuga ſibi conſulens, ex illo periculo, Venetias evolavit,

Erythr. Pinacoth. I. p. 13.

lavit, ubi cum in ejusdem ſuſpicionem criminis poſt aliqvanto veniſſet, literis ad Dionyſium Lambinum datis, eam eſt à ſe propulſare conatus. Verum illud ei Toloſanum incendium, ex qvo evolaverat, ſive verum ſive fictum exprobravit Joſeph Scaliger, cui ille verba dederat, atqve epigramma recens à ſe compoſitum, pro vetere obtruſerat, hoc diſticho:

Qvi flammas rigidæ vitaverat ante Toloſæ,
Muretus, fumos vendidit ille mihi.

Cæterum enorme illud Mureti crimen, & qvod in Gallia hominem occiderit, & vino interdum ad ebrietatem ſeſe onerarit, juventutis excuſatione defendi poſſe, nemo pietatis & honeſtatis amantior Erythræo conceſſerit. Planiſſimè eqvidem conſtat, Muretum illum, (etiamſi literis excultiſſimum) non niſi ſuâ culpâ miſerum evaſiſſe, atqve ob pudendas animi ſui labes iratam habuiſſe Nemeſin. Utinam uterqve Literator, Baudius pariter ac Muretus miſeriis ſubacti, ad frugem tandem rediiſſent, & propriis potius, qvam alienis caſibus ac periculis edocti, felicitatis literariæ iter rectius ante finem vitæ ſcandere cœpiſſent, neqve eos miſeriarum laqveos incurriſſent, qvibus non incelebris ætatum ſuperiorum Doctor fuit conſtrictus, cujus tragœdiam, extremamq; & ſempiternam infelicitatem Petrus Venerabilis (horrendum divi- *Pet. Vener. l. 1. Miracul.*

divinæ derelictionis exemplum daturus) ſtylo prolixiori eſt proſecutus, nos potiora duntaxat delibabimus: Vixerat is Petri ævo ad caſtrum Lizimacum, atqve Ordinis ſui dignitatem perditæ vitæ actibus adeò deturpaverat, ut bonorum omnium execrationi propterea expoſitus fuerit. Territus nonunqvam conſcientiæ aculeis, piorum virorum appetierat familiaritatem, nulla tamen eorundem admonitione, nullis exemplis probatioribus revocari poterat ad frugem, donec in lethalem morbum incidiſſet, eoqve indies ingraveſcente ad extrema perveniſſet. Terribili tunc æger voce, aſſidentem lectulo amicum compellabat, *Succurre, ſuccurre dicens; Ecce duo expavendi Leones in me faciunt impetum, & biante ore ac rictu feroci, per fruſta me decerpere, totumq; conſumere conantur. Deprecare qvæſo Dominum, ut horum faucibus eripiar.* Tremens hoc dicebat, & velut devoraturos fugiens, cum autem ferventiores pro miſero illo preces ad DEum fuſæ fuiſſent, mutata is voce *BENE*, inqviebat, *benè, receſſerunt crudeles beſtiæ, jamq; nuſpiam apparent.* Aſt vix horulæ ſpatio elapſo, longè terribilius qvam antea aſſidentes inclamabat: *En, en ignis de cœlo ut torrens inundans deſcendit, lectoq; appropinqvans, in cineres me rediget, atq; favillas. Feſtinate obſecro, orate, ut ab extremâ hâc liberer pernicie.* Ingeminatis rurſus ad

ad DEum ſuſpiriis, moribundus preces adſtantium, vocibus in ſpeciem gratulatoriis interrumpebat: *Jam ab igne tutus ſum, jam huic qvoq; periculo ereptus, oro tamen, ne diſcedatis a me, qvousq; qvis vitæ meæ exitus futurus ſit, probè agnoſcatis.* Subitó ægrotus ad inviſibilia raptus obmutuit! Tandem ad ſeſe rediens, & miſerabiliter ingemiſcens, Ah! Ah dicebat ad judicium æternum raptus ſum, & eheu! miſer æternâ morte damnatus! traditus horrendis tortoribus, igne inextingvibili, cum diabolo & angelis ejus perpetuo cruciandus: *Ecce, ecce ignita ſartago plena bulliente adipe, qvam coram me tormentorum miniſtri detulerunt, eamq; ad me frixandum undiq; ſuccenderunt.* Porrò, intentum orationi amicum, hunc compellabat in modum: *Ceſſa, ceſſa pro me orare, nullatenus exaudieris;* qvo dicto ignis de illa qvam videbat ſartagine exiliens, cutem & carnem ad intima usqve conſumſit. Tunc ille acri cum gemitu; *En* inqvit, *indubia rei fides, ſicut ignis delapſus partem corporis afflixit, ſic confeſtim me ignea vorago conſumet: Huc, huc Sartaginem ipſam miniſtri infernales propius afferunt, jam jamq; adaptant manus;* & levi interpoſitâ morâ; *Ecce* clamabat, *linteum ſubſtratum, undiqve concurrentes arripiunt, in igneam ſartaginem me miſerum projecturi.* Hæc Cygnea qvaſi, vel corvina potius hominis miſerrimi vox,

qvam exitus ex hâc vita deteſtabilis excepit. Non ſperent Literati, culpâ ſuâ infeliciſſimi, vitiorumqve turpiſſimorum ſordibus inqvinatiſſimi, alium (nî ſeriò reſipuerint) poſt fata ſua eventum. Eadem planè ipſos conditio, idem ſupplicium manebit, ſubtractâ tandem voce & ipſi peribunt, ſpiritum æternùm puniendum, condemnatis ſpiritibus tradituri, continget illis obitus, vitâ qvam egerunt fœdiſſimâ dignus, eundemqve ſempiterna animæ perditio comitabitur, ut proin ſine fine illi futuri ſint, qvod ſupra de ſe Eraſmus etiamnum ſuperſtes pronunciavit, ſcil. MISERRIMI, omniq; calamitatum genere afficiendi.

COM-

COMMONEFACTIO II.

LITERATUS VIRTUOSUS, FELIX REIP. SUÆ

(à Beata Olim Sorte, ad Præsentem Infelicitatem Traductæ)

RESTAURATOR,

SIVE

ARCANUM PALMARIÆ FELICITATIS LITERARIÆ DETECTUM,

Ad Diſſert. Prælim. de Origine & Remedio Literar. Infelic.

I.

VEnuſtiſſimam primùm, atqve elegantiſſimam REIP. LITERARIÆ faciem, tum horrentem ac ſqvalidam, miſereqve deformatam, Threnodiâ peculiari, ſub vitæ ſuæ exitum deploraturus Theophilus RAYNAUDUS*, viſionem illam memorabilem ad animum

* *Extat Threnod. Reſliter. inter opp. Rayn. Tom. XI. p. 423. & ſeqq.*

mum ſuum revocavit, qvâ Monacho cuipiam Claravallenſi, Status Eccleſiæ adumbratus fuit ſpecie muliebri, à parte anteriori qvidem nitentiſſimâ, cum tergum adeò verminaret, atqve puteret, ut horrore percelleretur, qvi ad pulchritudinem anticam ſtupore defixus hæſerat: *Sum mater* (ajebat femina illa umbratica) *Eccleſia, qvæ in primo ſtatu, ac veluti in parte antica, in ſanctis inqvam Apôſtolis, & primorum Chriſtianorum temporum roſis atq; liliis, gratiſſime efflorui, & omnem venuſtatem ac pulchritudinem pratuli; A parte autem poſteriori, ad putorem & horrorem per ebullientes undiqve vermes, & ſcaturientem qvaqvaverſum ſaniem, miſerè ſum redacta. Argentum meum verſum eſt in ſcoriam, & aurum meum æruginavit.* Talis planè Raynaudi ſagacis animo obverſabatur deploratiſſima REIP. LITERARIÆ conditio, qvippe qvæ primum valde ſpecioſam & renidentem, deinde putentem ac horrentem faciem oſtenderit, tandem nemini non facta ſit execrationi. *Nam primum qvidem* (ſcribit notanter laudatus Polyhiſtor,) *Literæ magno in pretio ac honore erant, etiam apud magnos, qvi ſunt in terra; ita ut capita qvoq; populorum, Reges inqvam, & Principes, gloria ducerent doctrinæ nomine celebrari. Erat una & ſumma nobilitas lite-*

rario

vario ſtemmate honeſtari: pro ingentibus opibus, & cenſu immenſo doctrina erat, proqve omnibus glorioſis titulis ſapientia, & ſcientia. Poſtea verò (ſed nunc maximè) in ſqvalorem & horrorem verſa ſunt omnia; ita ut nihil ſit abjectius, nihil ignobilius, ac vilius videatur qvam tractare literas. Jacet, ac ſordet, qva pridem glorioſè ſplendebat RES LITERARIA, obſcuritate poſt tantam lucem damnata. At Judice Seneca, ſummum infelicitatis genus eſt, fuiſſe aliqvando felicem -- Tolerabilius eſt, faciliusq́ non acqvirere qvam amittere; ideoq́ lætiores videbis, qvos nunqvam fortuna reſpexit, qvam qvos deſeruit. Eundem fuiſſe Ariſtotelis ſenſum, retulit Ælianus; fuiſſe Xenophontis & aliorum, notavit Stobæus, fuiſſe deniq́ Beliſarii, prodidit Procopius. Eo igitur triſtius videri debet præſens Rei Literariæ infortuniũ, qvò ſors ejus fuit anteriori tempore felicior atq́ beatior. Miſeræ itaq; EX FELICI, penitusqve proſtratæ Rei Literariæ planctum atqve lamentum depenſurus Raynaudus, eam (PANSOPHIÆ titulo decoratam) doctè non minus qvam ingenioſè per proſopo-

pœiam induxit, anteriora ſua ornamenta, & poſteriora dedecora recenſentem.

II. Non eſt profectò, ut in perveſtigandis extremæ hujus miſeriæ Literariæ cauſis multum ponamus operæ, aut pridem à Ludovico Vive traditas Artium ac diſciplinarum corruptarum rationes nobis revocemus ad animum, cum ſatis ſuperqve conſtet, ipſos eruditæ Reip. incolas, pudendis inqvinatos VITIIS, primos triſtiſſimæ illius metamorphoſeos authores extitiſſe, atqve indomitorum ſuorum affectuum impetu, matrem communem (Rem puta Literariam,) de priſtinæ felicitatis throno deturbaſſe, Orbisqve univerſi ludibriis & ſannis expoſuiſſe. Sicuti Sophiſtæ litigioſi olim in culpâ fuêre, qvod tantos, tamque atroces innocua Philoſophia oſores & roſores habuerit, eaq; propter non inſcitè Lucianus, alicubi illam multa qverentem, ac Sophiſtarum peſſimos mores deteſtantem duxerit introducendam; ita degeneres Muſarum filii haud abs re incuſandi, qvod Doctus Orbis deplorandæ adeò miſeriæ barathrum incurrerit, tantumqve non extremam ſubierit infelicitatem. Hinc putens illa atqve horrida, qvæ primam, valdeqve ſpecioſam & renidentem (Raynaudo gemente) excepit facies poſtica, qvâ viſâ eruditus ille ævi noſtri Heraclitus, *Pax* (ait) *ſit oculis, pax naribus, claudantur lumina, nam qvæ apud omnes in* *pre-*

Theoph. Rayn. l. c. p. 427.

pretio erat, ipſisq; Magnatibus ac Regibus Venerabilis, nunc omnibus retrò ſublapſis, facta eſt cadaver verminans. -- Perierunt caſta illa tempora. -- Vinum in vappam degeneravit, undiq; leſſi & Threnodiæ, -- Adſint præficæ, vocentur lamentatrices; inſonent lugubres modos tibicines. In domo pulveris, pulvere vos conſpergite. Et qvemadmodum perſpicaciſſimus Verulamius, horrendam illam, qvâ Literaria res exercetur, tempeſtatem, non aliundè originem trahere judicavit, qvam ex pudendâ literatorum hominum ab ultimo doctrinarum fine, deviatione, ſiqvidem *alii ſcientiam* (verba Baconis adſcribo) *ex inſitâ curioſitate & irreqvieta, alii animi cauſa & delectationis appetant, alii exiſtimationis gratia; alii contentiõis ergò, atq; ut in differendo ſuperiores ſint; pleriq; propter lucrum & victum; pauciſſimi, ut donum rationis divinitus datum in uſus humani generis impendant &c;* ita nullus dubio locus relinqvitur, qvin impotentes illi animorum pſeudoſophicorum motus, malorum ſuorum alluvione, munitiſſimam Literariæ felicitatis arcem hactenus ita inundarint, ut omnimoda ejus deſolatio ſive devaſtatio ſit metuenda. Non mirum profectò, qvod Corpus publicæ Rei integrum, adeò ma-

Verulam. init. librr. de augm. ſcientiar.

lè ſit conſtitutum, pernicioſaqve cacochymia laboret, cum membra ejus conſpectiora continuis intemperiis agitentur, vel efferantur faſtu, vel inflammentur iracundiâ, vel extrema corrumpantur impietate, vel invidiâ contabeſcant, vel denique omni furiarum aut furorum incurſu divexentur. Siqve non alio morbo docti Orbis incolæ laborarent, qvam PHILAUTIA, ſeu præpoſtero & damnifico illo amore proprio, nec gravioris in ſe vitii admitterent tyrannidem, vel ejus ſolius cauſa, planctus & lamentum proſtratæ Reip. Literariæ (præcinente Raynaudo) eſſet dependendum. Ex putidiſſimo ſiqvidem illo fonte, originem ſuam trahit PSEUDO-SCIENTIA illa, ſapientiaqve carnalis, veram Chriſti ſapientiam omnibus modis deprimere ſtudens & ſuffocare, nec non impediens, qvo minus vitæ melioris documenta homines alioqvin eruditiſſimi percipiât, vocantisqve Domini nutibus atqve monitis promtè reſpondeant, eaqve propter de veræ & imperturbatæ felicitatis ſede, certo certius tandem aliqvando ſint deturbandi.

III. SCIENTIAM hominis, philautiæ exitiali morbo laborantis, inſignis qvidam Theoſophus meritiſſimo jure *ARROGANTEM* vocavit, *procacem*, & *inverecundam*, *SE IPSAM EXAGGERANTEM, novitates conſectantem, Magiſtros ac Præceptores* par-

parvipendentem, eosq; aut minus ſubtiles, aut nimis ſcrupuloſos accuſantem; Scientiam inſuper dixit *libertatis amantem, obſervantiæ inimicam, relaxationis cupidam, ſeniorum monitiones averſantem, non ſapientiam deſurſum deſcendentem, ſed terrenam, animalem, diabolicam*; porrò *ſcientiam* nuncupavit *alienæ laudis invidam, ac cæterorum ingenio & profectibus mœrentem, ſolam ab omnibus laudari, & in univerſorum ore verſari ſtudentem*; *Scientiam denìq; nimis curioſam, nihil niſi ea quærentem, quæ intellectûs intemperantiæ ſatisfaciant & oſtentationi ac plauſui deſerviant &c.* Nec eſt, qvod alios à perniciosâ adeò arbore fructus expectemus, qvam æqve pernicioſos, atqve graviſſimam afflictionem corpori literario attrahentes, nullo lacrymarum imbre ſatis deplorandam. Ipſa Theologia in matæologiam (horrenda metamorphoſi) tandem abibit, ſi ſubtilitatibus duntaxat & logomachiis inhiet, *ſi* (qvemadmodum notanter nonnemo fuit conqveſtus,) *eò deducatur, ut veterem non retineat faciem, ſi ſordeant antiqva dogmata, & pro ſolidis animorum dapibus, chymæræ proponantur, novæ & inauditæ antehac definitiones, diviſiones, diſtinctiones promantur de ſinu phantaſiæ, miſerè*

ludificantis &c. Tunc eqvidem argentum ejus vertetur in ſcoriam, & aurum ejus æruginabit, atqve diſciplinarum omnium Regina & Magiſtra, ad putorem & horrorem extremũ redigetur. Qvod ſi verò eò uſq; dementiæ proceſſerit, ut [humanis nixa decretis] de ſapientiâ ſanctorum deſtruendâ, pietateq; ſolidiori enervâdâ extingvendâq; unicè ſit ſollicita, non aliã profectò, qvam ſcientiæ ex orco prorumpentis, & à ſpiritu maligno inſpiratæ appellationem merebitur, qvippe qvæ hominẽ, ejus nimioperè ſtudioſum, in extremæ perditionis barathrũ olim ſit depreſſura.

IV. Num vero aliqvis medelæ ſupereſt locus? num ſpes qvæpiam Literariæ emendationis affulget? num reſtitutio corporis malè adeò ſe habentis expectanda? Anne proſtrata, & ſanie qvaqva verſum ſcaturiens eruditio, faciem priſtinam amiſſamqve venuſtatem & pulchritudinem denuo recuperabit? Eſſet eqvidem reſtitutioni optatiſſimæ locus, dummodò remediorũ, in præliminari diſſertatione *Felicis Literati*, & toto paſſim opere præſcriptorũ major haberetur ratio, malorũ itẽ radices conſiderarentur & extirparentur diligentius, & depreſſâ carnali illa, procaci, & inverecundâ ſcientia, (qvam pudendæ philautiæ cœno obductam dixim⁹) VERA, infucatataqve Doctrina, ac cœleſtis planè ſcientia ardentius excoleretur, nec minus ſi ipſi Reip. Lite-

Literariæ principes cogitarent penitius, qvomodo moleſtiſſimi Orbis profanè docti labyrinthi, ſaxa eruditorum hominum ſiſyphea, & pluſqvam Tantaleæ illuſiones, per Salvatoris ſaluberrimam de UNO NECESSARIO regulam evitari atqve emendari poſſint; deniqve ſi Sapientiæ, divino verbo traditæ, & benigniſſimè ad ſe inſipientes ac ſtolidos invitanti, Literati carnales auſcultarent lubentius, *accipientes ſcil. diſciplinam ejus, & non pecuniam, doctrinam* (veram ſc.) *præ auro eligentes, &c.* adeoqve monitis ejus ſaluberrimis obtemperarent. Tum ſanè poſt putentem ac horrentem illam, ſpecioſam rurſus, ac renidentem faciem univerſa Res Literaria conſeqveretur, & priſtinæ felicitatis ſedem, ſummæqve Majeſtatis thronum certo certius conſcenderet. Nullus amplius planctui aut lamentis eſſet locus, ſed ampliſſimæ exultationis materiam cuncta Deo ſacrata pectora invenirent. Utinam VERÆ illi, ac cœleſti calculo toties probatæ ſapientiæ, docti Viri diligentiorem navarent operam; Utinam rerum abſtruſarum cognitioni, legum divinarum obſervantiam lubentius ſociarent, ac de Virtute cum Scientia conjungendâ magis eſſent ſolliciti! Non aliud enim (*dicente Bernardo*) Vera & conſummata eſt ſapientia, qvam declinare â malo & face- *Bern. Homil. 1 in Cantic.*

re

Gregor. Nazian. in Apol. re bonum ; *Et Gregorio Nazianzeno teſte;* Prima ſapientia eſt (*non qva vulgò* METAPHYSICÆ *titulo ſuperbit, ſed*) vita laudabilis, & apud DEUM pura mens, per qvam puri (*Literati*) puro junguntur, & ſancti ſancto ſociantur. *Idem Orat. XV.* PRIMA Sapientia (*inqvit idem alibi*) eſt vita proba & honeſta, DEOq́ve perpurgata, vel certè ſe purgans. Deo inqvam, qvi puriſſimus & ſplendidiſſimus eſt, ſolumq́ve purgationis ſacrificium à nobis reqvirit, qvod qvidem cor contritum, & laudis ſacrificium, & novam in Chriſto creaturam, & NOVUM HOMINEM aliaq́; id genus appellare Scriptura conſvevit. PRIMA SAPIENTIA EST, ſapientiam in ſermone ac dictionum ſtrophis, atqve adulterinis ac ſupervacaneis diſputationib⁹ ſitam, aſpernari; mihi autem utinam potius qvinqve verba cùm prudentia eloqvi contingat, qvàm ſexcenta in lingva, & voce tubæ obſcura, militem meum ad ſpirituale certamen haudqvaqvam excitante. Hanc ego ſapientiam laudo, hanc complector, per qvam ignobiles gloriam conſecuti ſunt, & ad-

& ad qvam ii, qvi nullo in pretio erant, cæteris prælati ſunt,& cum qvâ piſcatores univerſum Orbem, Evangelii vinculis tanqvam retibus implicuerunt, ac per conſummatum, & abbreviatum verbum,ſapientiam eam,qvæ deſtruitur,ſuperarunt. Nec enim qvi in ſermone ſapiens eſt, hic mihi ſapiens eſt; nec qvi volubilem quidem lingvam, imperitum autem animum habet; illis utiqve ſepulchris non abſimilis, qvæ cum foris pulchra & decora ſint, intus tamen cadaveribus ſcatent, atqve ingentem fœtorem tegunt: verum is demum, qvi pauca qvidem de virtute verba facit, cæterum per ea, qvæ agit, multum demonſtrat,ac fidem & authoritatem ſermoni ſuo per VITAM conciliat. Præſtantior meo qvidem judicio eſt pulchritudo ea,qvæ oculis cernitur, qvam qvæ ſermone pingitur; & divitiæ qvas manus tenent, qvam qvas ſomnia effingunt, & ſapientia qvæ per opera demonſtratur, qvam qvæ ſermone nitet ac ſplendeſcit. Intellectus enim bonus, inqvit ille, omnibus FACIENTIBUS eum, non autem PRÆDI- *NB.*

CAN-

CANTIBUS. Ita Nazianzenus, qvo cum cuncti Theoſophi veteres, nihil eo homine, ſapientius eſſe judicarunt, qvi ex ſincera ſe gerat virtute, & ſacro-ſanctæ Chriſti Salvatoris ſtudeat imitationi. Sine hac, *Sapientia Mundi* (uti pientiſſimus Thomas Kempenſis præclare ſcribit) *mera vanitas eſt, & ſtultitia reputatur apud DEum. Decipit ſuos amatores, & in fine torqvet ovantes -- Trahitur autem Vera Sapientia de occultis verbis, & ſacris actibus Chriſti, qvi ſvadet ſpernere mundum, fugere delicias, domare carnem, pati dolores, ſubire labores, amare Virtutes.* Nec minus notanter idem, in pio qvodam ad Sacro-ſanctæ Theoſophiæ ſtudioſos ſermone; *Si qvis* (ait) *imperitus divinam ſapientiam habere concupiſcit, delicias carnis ſpernat, ſenſus exteriores ſtricte cuſtodiat, ne vanitates mundi hauriant. Ad interiora ſe convertat, defectus ſuos inſpiciat, conſcientiam per ſingulos dies examinet, commiſſa defleat, ad cœleſtia ſuſpiret, futurum judicium metuat, præſentem vitam carcerem reputet, à CHRISTO elongari pœnale ſentiat, omne gaudium temporale luctum æſtimet, ac præ deſiderio æternorum, omnem copiam rerum, egeſtatem computet. Beatus ille Religioſus* (FELIX ille Literatus) *in cujus corde Lex DEI requieſcit, cujus os meditatur ſapientiam Sanctorum, non ſeculi vanitatem, cujus LINGVA ERUDITA, rectum judicium*

Thom. Kemp. in Hort. Roſar. c. 3.

Kemp. Sermon. ad Novit. p. II. Serm. 3.

cium in omni cauſa tractat, ne qvid fruſtra qvaſi inventum producat, cujus bona opera ad DEI placitum ſemper tendunt, cujus greſſus intus & foris ſecundum eloqvium divinum diriguntur in bonum. Primę itaqve huic, ſive ſupremæ, ac ſanctis hominibus propriæ Philoſophiæ, (qvam ipſe Chriſtus verbo nonminus qvam exemplo ſuo docuit) ſi literis bonis exculti mortales, majori ſtudio incumberent, ac præ ea, vanas profanasqve ſcientias contemnentes, cunctas etiam Orbis malè docti qviſqvilias, artes utplurimum illiberales, nullasq; non otioſas & infructuoſas vitilitigationes ſacro qvodam deſpicerent ſupercilio, maximo eqvidem cum animarum ſuarum emolumento, ſalutaris ac divinæ doctrinæ panem, & exqviſitas cœleſtis menſæ delicias deguſtarent, atqve REI LITERARIÆ, Sophiſtarum culpa à ſorte ſua priſtina miſerè dejectæ, Restauratores exaltatoresq; Felicissimi audirent. Et qvā, in divini illius Magiſtri Schola Philoſophiā, qvondam Sanctiſſimus ille Martyr JUSTINUS addidicit, ejus & ipſi qvoq;, ſummo cum reparatæ Rei Literariæ incremento & ornamento, Doctores Profeſſoresqve evaderent. *Pervelim* (ait notanter feliciſſimus ille Literator, in memorabili ſuo cum Tryphone dialogo) *profectò omnes* (Viros eruditos) *eandem mecum ineuntes animi rationem, non alienos eſſe à Salvatoris*

Confer. ſeceſſum pium homin. liter. p. 30. ſeqq. & Coronid. de literatis ex animo felicibus p. 1083.

ris doctrinâ &c. Timorem enim qvendam illa in ſe continet ſalutarem, plurimumq; ad eos (Literatos) *qvi à recto itinere deflexerint, in viam revocandos valet, præterqvam qvod iis qvoq;, qvi ſedulo ſermones iſtos meditantur, animi qvietem & tranqvillitatem conferat multò ſvaviſſimam.* Neqve verò ſubitò Juſtinus ad eum felicitatis optatiſſimæ gradum, ſed pedetentim & mente divinitus illuſtrata adſcendit, veramqve Philoſophiam è ſacris utriusqve fœderis fontibus ſtudiosè hauriendo, vitamqve ducendo virtuoſam, tum ſibi tum aliis rectiſſimè conſuluit, qvouſq; Reip. Chriſtiano-Literariæ, in priſtinam dignitatis ſedem collocandæ, viam ac rationem commodiſſimam invenit. Optandum eqvidem foret, ut cuncti cultores ſcientiarum, ad Juſtini illius exemplum de ſanctâ operatione, doctrinæ edecumatiori ſocianda apprimè eſſent ſolliciti, atqve divinæ gratiæ radiis colluſtrati, perpetuum & indiſſolubile SCIENTIÆ ET CONSCIENTIÆ conjugium meditarentur. *Si duo hæc* (eleganter ſcribit Laurentius Juſtinianus) *in uno conſentiant rationis* (eruditæ) *judicio, in omni negotio ſuo* docti *DEO placebunt, qvoniam conſcientiæ, & ſcientiæ ipſe eſt largitor. Utraqve uno ex fonte emanant, dummodo in ſuâ naturali puritate ſubſiſtant. Viciſſim ſibi famulantur*

Laurentius Juſtinian⁹ cap. II. de contemptu mundi.

tur ſcientia & conſcientia, & in uno charitatis connexæ ſunt vinculo, adeò, ut ſine alterutrius diſpendio ab invicem ſeparari nequeant. Conſcientiam optimè erudit ſcientia, quam, ne præcipitet, & à veritatis tramite deviet, conſcientia dirigit. Porrò ubi abſq; conſcientia adeſt ſcientia, fiunt fraudes, SUPERBIA PRÆSIDET, *dominatur cupiditas, veritas agnita impugnatur, ſubvertuntur judicia, fucata abundant eloquia, & graviſſima multifariè facinora perpetrantur. At verò, ubi ſola eſt conſcientia, frequentiſſimè error præcipitat, tentationes prævalent, ſeducit caro, immittuntur phantaſmata, confundit dubietas, & & in angelũ ſe jugiter lucis dæmon transfigurat, ut evertat ſenſum, & ſimplicitatis ſemitas invadat. Utrumq; quemadmodum innnumeris claret exemplis, ita ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis comprobatur. Qvis, oro,* SCIENTIA *ac* CONSCIENTIA *ornatus, damnabiliter cecidit? qviſve ſeductus gratiam* DEI *amiſit? Eqvidem hinc inde vallatus, peregrinationis hujus viam pergit intrepidus, hoſtium ſpiritualium caſtra ſecurus ingreditur, multosque* NB.

qve viriliter ſternit, qvisqvis ſcientiæ at conſcientiæ armis eſt accinctus. Arma inqvit Apoſtolus. militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia, & potentia DEI ad deſtructionem munitionum, evacuantes per CONSCIENTIÆ rectitudinem omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus charitatem DEI, & redigentes per SCIENTIÆ lumen omnem intellectum in obſeqvium Chriſti. Nullus ergò Chriſtianæ Religionis campum pugnaturus introeat, qvi horum caret munimine. Adverſus ſpirituum immundorum ſævitiam, & contra impiorum hominum fraudes, qvonam modo prævalere poterit, qvi SCIENTIÆ privatus eſt lumine? Verum ad debellandas concupiſcentias carnis, ad reluctandum vitiis, ſeculiq́ blanditiis, evaginatus ſemper conſcientiæ tenendus eſt gladius. Non qvaliscunq; Conſcientiæ, ſed ejus, qvæ rectitudinis ac charitatis eſt illuſtrata fulgore. &c. En exoptatiſſimum felicitatis eruditæ compendium, en rationem reſtaurandæ & ad priſtinum honoris gradum ſublimandæ Reip. Literariæ tutiſſimam

ſimam atqve evidentiſſimam! Aureum ſanè redibit ſeculum, ſi doctos homines cœleſtis ſapientia nutriat, ſiqve iidem nunqvam non de jungendâ SCIENTIÆ ſolidiori, CONSCIENTIA puriori ſolliciti fuerint. Id cum nullatenus ad animum ſuum revocare velint profani qvidam pſeudoſophi, parumq; cogitent, vel de purgandis animorum ſuorum vaſibus, vel de SCIENTIÆ cum VIRTUTE SOLIDIORI conſociatione; mirum adeò non eſt, qvod extremæ infelicitatis miſeriis illi undiqve pateant, Remp. Literariam peſſundent, ipſiq; tandē perpetuā [juſtiſſimo DEI judicio] incurrant perditionem. Qvod ipſum ſtipendii præmiiqve genus, certo certius manebit cunctos immundi Mundi ſapientes, qvi licet ſibi videantur omnem eruditionem exhauſiſſe, ſupremæ tamen ſapientiæ theſauris æternum deſtituentur, non ſolum in terris immenſarum calamitatum pondere premendi, verum etiam olim in abyſſi infernalis profundū miſerè deiiciendi; eò qvod pſeudo-ſcientiâ ſuâ veram Chriſti ſapientiā evertere, & qvantum in ipſis, ſuffocare extingvereqve auſu planè nefario conentur. Haud eqvidem ſcientiæ adeò contrariæ conſpirabunt amicè, nec benè unqvam alteri cum alterâ conveniet, ſiqvidem iſta, ſeu piorum & Chriſti ſpiritu agitatorum ſcientia, modeſta ſit, & humilis, qvæ ſui contemptum, proxi-

Digitized by Google

morum emolumentum atqve converſionem, cumprimis autem Sanctiſſimi Numinis gloriam avidiſſimè concupiſcat, charitatis plena appareat, de profectu gaudeat commilitonum, illos amet, laudet, ac ſi doctiores & meliores habeantur, non mœreat, ſed vehementer exultet; ſcientia ad hæc ſit diſcreta, plena prudentiæ, non violenta temporis deprædatrix, ſed ſpatiis ſuis contenta, horas qvasdam orationi cæterisqve pietatis exercitiis libentiſſimè concedat; ſcientia deniqve ſit verecunda & circumſpecta, non præmia & congiaria temporalia affectans, ſed ad æterna bona ſemper tendens, & præſcriptam verbi divini regulam ſtudiosè obſervans: Econtra verò profana illa mundanaq; ſapientia arrogantē [ut antea dictū] ſeſe præbeat atq; procacem, ſe ipſam exaggerantem, novitates conſectantem, ſuperiores, ipſosqve magiſtros ſuos parvipendentem; honorum inſuper, laudum, opumqve cupidam, correctionum verò & afflictionum, cunctarumqve pietatis Chriſtianæ legum inimicam. Nec mirum, cum ipſo dicente ſpiritu Prophetico-Apoſtolico, ſapientia non ſit deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, & diabolica. Qvod ſi ſcientia illa turgida, elata, & ambitioſa ad primas in Academiis atqve Eccleſiis ſedes, ad cathedras & pulpita conſpectiora adſcendat, maximo ſemper conatu ac ſtudio laborabit, ut

vera

vera Chriſti ſapientia omninò extingvatur, ſaltem impiorum ſannis atqve ludibriis exponatur. Et cum pſeudoſophia illa ſemper laudis alienæ ſit invida, ſolaqve laudari & omnium ore celebrari concupiſcat, oſtentationi ac plauſui unicè deſerviat, ſicqve omni charitate vivat deſtituta, non alio illa apud piè-doctos qvâ ABOMINABILIS STULTITIÆ nomine veniet, cujus ſectatores graviter tandem & miſerè ſint affligendi. Extremæ ejuſce infelicitatis pericula ſi etiam atqve etiam ad animum ſuum revocarent Chriſtiani philognoſti, haud ægrè adeò aut cunctanter darent infidæ illi amaſiæ repudii libellum, lubentes inqvam, volentesqve infatuatæ ſapientiæ mitterent nuntium, atq; ſincero, longè ſanctioris doctrinæ amore caperentur, illius ſc. qvæ divina potius myſteria, qvâ gentilia oracula æmulatur, qvæ ſinceræ charitati ſociata & humilitati, alumnos ſuos non inflat, aut reddit turgidos, ſed auræ benignioris perflat ſvavitate, perficit non interficit, adolet non abolet, qvæ non populare eſt artificium, nec oſtentationi paratum; qvæ non in verbis ſed in rebus eſt, qvæ non in hoc adhibetur, ut cum aliqvâ oblectatione conſumatur dies, ut dematur otio nauſea, ſed qvæ animum format & fabricat, vitam diſponit, actiones regit, agenda deniqve & omittenda planiſſimè demonſtrat. Ad talem igitur animi formatricem

Confer pium liter, hom. ſeceſſ. pag. 13.

cem ſapientiam adſpirent Chriſtiani Philoſophi, ad fideliſſimam hanc DOCTRINÆ & VITÆ ſanctioris magiſtram STIMULOS SIBI FORTISSIMOS ADHIBERI patiantur, hanc neutiqvam in pſeudoſophorum qværant congreſſibus, non in Gentilium Academiis, Stois aut Lyceis, ſed in ſacris potius Ædibus, in Cœleſtis revelatæqve veritatis ſacrario, in hominum mundo deſpectorum, & ſtultitiæ probro temerè exagitatorum pio ſanctoqve conſortio, nimirum ſtulti & ipſi propter Chriſtum & inſipientes vocari expetant, ut veræ perennantisqve ſapientiæ bonis tandem aliqvando potiantur. Qvod ſi antehac, ſapientes ſeſe reputando facti ſint ſtolidi, jam ſtultos ſe dicendo [Auguſtino monente] verè ſapientes evadant. *Qvid cauſa fuiſſe putamus* [ita præclarè Chriſtianus inqvit Lactantius] *cur tot ingeniis, totq; temporibus, ſummo ſtudio & labore quæſita ſapientia non reperiretur, niſi qvod eam Philoſophi extra fines ſuos quæſiverunt? qvi qvoniam per agratis & exploratis omnib⁹, NVSQVAM SAPIENTIAM comprehenderunt, & alicubi illam eſſe neceſſe eſt; apparet illic potiſſimum eſſe qværendam, ubi STVLTITIÆ titulus apparet, cujus velamento DEVS, ne arcanum divini ſui operis in propatulo eſſet, theſaurum ſapientiæ ac veritatis abſcondit. Teneamus igitur innocentiam* [ait alibi idem Lactantius] *teneamus juſtitiam, tene-*

Auguſt. Serm. 8. de verbis Domini.

Lactant. lib. IV. de verâ ſap. c. 2.

teneamus imaginem ſtultitiæ, ut VERAM ſapientiam tenere poſſimus. O felices, ô terqve qvaterqve beatas Literatorum, monito huic ſaluberrimo obedientium, animas! O verè exultantes mercatores ſpirituales, qvi incredibilis pretii margaritam ad eum modum invenêre, ejusqve puriſſimo capti amore, cunctas ſprevêre Orbis profanè docti qviſqvilias, *pluris unam ſapientiæ divinæ guttulam æſtimantes*, [ut ſcitè ait Theoſophorum qvidam] *qvam vaſtiſſimum illud ſapientiæ mundanæ pelagus*; ſed & ſtudioſiſſimè caventes, ne theſauri exoptatiſſimi triſtem rurſus ſubire cogantur jacturam, atq; perpetuæ proſperitatis [per dæmonis aſtutiā decepti, gravioriſq; culpæ ſtigmate notati] excidant bonis. Eſt qvidē proh dolor, ea corruptæ naturæ conditio, ut in peccatis concepti natiqve mortalium etiam doctiſſimi, ſine qvotidianis noxis vitam haudqvaqvam transigere valeant, pœnitentibus tamen, ac ſeriò deplorantibus paroramata ſua, vitæqve [qvantum fieri poterit] puritati apprimè ſtudentibus, ſanctiſſimum Numen copioſam adeò gratiæ ſalutaris ſcatebram largietur, ut qvotidianis noxis dignam mercedem haudqvaqvam ſint accepturi, ſed potius ad feliciſſimam piorum ſortem, & ſvaviſſimam cum DEO familiaritatem deventuri. Qvemadmodum Philothei illi non tantum levia qvædam devoti animi dant

Lactant. in epit. divin. inſtit. c. 1.

ſpecimina, ſed arborem cum fructibus, corpusq; pariter aç animam divinis officiis conſecrant; ita cœli Creator, non modo pœnam qvam merebantur æternam, in temporalem commutabit, uti aliis ſolet ſcelerum reis, verum etiam penitus expunget. O ſingulare Literatorum verè pœnitentium, & à profana doctrinæ & vitæ vanitate ad ſinceram pietatem tendentium privilegium! O favorem planè inæſtimabilem! Bonum hoc tam eximium eſt, atqve ſalutare, ut doctum qvemvis, ſalutisqve ſuæ cupidum pelliceat, & cunctis eruditi Orbis incolis, ſapientiæ veræ perqvirendæ, vitæqve ſanctius inſtituendæ, calcar STIMULUMQVE longè fortiſſimum addere qveat. Qvodſi Babylonis ſapientes, vanâq; ſcientia tumidi literiones, faſtuoſo ſupercilio extollantur, atqve ineptiarum ſuarum ac ſtultiloqviorum vanitatibus mirificè paſcantur & delectentur, illa fulgentiſſima Zionis & Heliconis (longè ſanctioris) ſidera, per ſacras meditationes, per librorum piorum pervolutationes, paræneſes item ſanctorum, & qvorumvis bonorum fructuoſiſſimas collocutiones, magis magisqve illuminabuntur, ita ut ſuo tempore ſuper cœleſtis gloriæ candelabrum poni qveant, ad ſummè glorioſa ſancte-doctorum ſubſellia certo certius ſublevanda. INSTILLA [dicant feliciſſima illa pectora, & perennis beatitatis candidati,] *inſtilla*

ſtilla benigniſſime ſcientiarum ſaluberrimarum Pater, veram illam, illam Tibi acceptam, mundo contemptam ſapientiam. Noverim Te DEus, ſpes mea, mea lux, meum deſiderium, noverim TE inqvam, noverim me; A Te ô beatâ Veritas [ita cum ſanctiſſimo pergant Aurelio] *doceri humiliter imploro, absq; Te enim ſapere, eſt deſipere; Te verò noſſe, eſt perfectè ſcire. Erudi me divinâ ſapientiâ, & doce me legem tuam, credo namq; beatus erit, qvem Tu erudieris & de lege Tua docueris eum.* Et pientiſſimo Kempiſio præcinente; *Cui Tu ſapis, qvid ei rectè non ſapiat? & cui Tu non ſapis, qvid ei ad jucunditatem eſſe poterit? Sed deficiunt in ſapientiâ Tua mundi ſapientes, & qvi carnem ſapiunt, qvia ibi plurima vanitas, & hîc mors reperitur.* Deniqve cum Doctore mellifluo, in miſericordiarum DEI antiqvarum, in amariſſimæ paſſionis vulnerumqve Chriſti jugi recordatione, ſupremam per omnem vitam qværant ſapientiam, in his cum eodem Bern. juſtitiæ ſummæ perfectionem conſtituant, omnem plenitudinem ſcientiæ, divitiasq; ſalutis. HÆC MEA SUBLIMIOR [ait ille] PHILOSOPHIA, SCIRE JESUM ET HUNC CRUCIFIXUM.

Auguſt. meditat. c. 5.

Kempis l. 3. c. 34.

Bernar. hom. 44. in Cant.

COM-

COMMONEFACTIO III.

LITERATUS VITIOSUS, GENTIS MENTIS ET ARTIS SUÆ INFAMATOR,

SIVE

DE EXITIALI DOCTORUM HOMINUM CORRUPTIONE,

Ad Fel. Lit. Diſſert. Prælim. Num. V.

NIhil æqvè deridiculum ac probroſum eſſe, qvam HOMINEM ERUDITUM, VITIORUM cœno immerſum, Doctoremve publicum, laxas animo ſuo habenas permittentem, & qvocunqve lubido vocat, licentiſſimè ſeſe effundentem, atqve in omnia flagitia ſeſe ingurgitantẽ, exploratæ adeò perſpectæq; eſt veritatis, ut nullâ id egeat demonſtratione prolixiori. Non niſi MAGISTRI VITIOSI in culpâ hactenus fuêre, qvod tantos innocua Eruditio oſores ac roſores habuerit, & multivariarum doctrinarum theſauros pleriqve ſint aſpernati. Meritò eqvidem Plato & Mer-

Mercurius (notante Marſilio Ficino) improbas pſeudoſophorum animas perpetuis cruciatibus addicendas exiſtimarunt. *Improbas* (en verba Marſilii Platonici ſignificantiſſima!) *eorum animas poſt vitam & Plato & Mercurius ajunt mutato ingenio incidere in mali dæmonis poteſtatem, ſcilicet poſtqvam ſuo genio ductæ fuerint ad judicem, qvi falli non poſſit, præſertim cum omnia appareant in animis ſeparatis, & quæ ex naturâ, & qvæ ex affectibus inerant. Hinc Socrates in Gorgiâ: Cæteris inqvit omiſſis id conſidero, qvemadmodum judici ſaniſſimum oſtendere animũ poſſim. Summum enim malorum eſt, animo* [erudito cumprimis] *peccatis referto ad inferos deſcendere. Addit tum ibi tum in Theæteto & Republicâ, hæc non eſſe tanqvam fabulas deridenda, ſiqvidem, qvicunq; talia negent, ridicula ipſi in medium ſemper adducant. Igitur præcipit hoc maximè contendendum, ut MORES optimi comparentur, mores enim eſſe inqvit vias vel ad inferos, vel ad ſuperos.* At verò pauciſſimos è priſcorum Philoſophorum cætu, commonitiones ejusmodi ſalutares ad animum ſuum revocaſſe, vel de bonis moribus doctrinæ excellentiori ſociandis multum ſollicitos fuiſſe, qvinimò nunqvam cum ſapientiſſimis Viris cogitaſſe, qvâ ratione judici integerrimum animum oſtendere qveant; varia antiqvorum monumenta, probatioraqve Græcorum

Marſil. Ficinus Theol. Plat. l. XIIX. c 10 de immort. an.

ac

ac Latinorum Scriptorum documenta loqvuntur, ex qvorum etiam indicio planiſſimè conſtat, olim ATHENIS pariter ac Romæ apud viros honeſtiores maximè inviſos Philoſophos, ipſumqve adeò Philoſophiæ ſtudium vulgi ſannis, ob profligatos docentium mores apprimè expoſitum fuiſſe, etiam tum, cum in illis civitatibus maximè floreret. *Indignabantur enim* [dicente nonnemine] *eos, qvos rerum & ſapientiæ cognitio meliores debuiſſet facere, pejores eſſe hominibus omninò imperitis. Et erat qvodcunq; vitium in illis notabilius, qvi formationem morum & ſcientiam omnium virtutum promitterent. Itaq; Athenis & Romæ, qvisqvis vituperare voluit vel Philoſophos, vel ipſam Philoſophiam, ſecundo admodum populo uſus eſt.* Neqve nunc verò (addit notanter Vives) repugnantem haberet multitudinem: qvanqvam populus noſter multò ſe habeat qvam ille priſcus moderatius. Nam qvum hujus ætatis Philoſophi, & utilitatis minus adferant, ſive ad loqvendum, ſive ad ſentiendum, qvam illi Athenis aut Romæ, nec probitate aut compoſitione morum antecellant: tamen populus ſervat adhuc non parum venerationis iis, qvi artes profitentur, etiamſi nullam præſtent.

Johan. Lud. Vives lib. 1. de cauſis corruptar. art.

Neſcio

Neſcio an ea ſit cauſa, qvod Athenienſis & Romanus populus, qvæ à Philoſophis dicerentur, intelligebat; ideò facilius poterat de illorum ingenio ac eruditione cenſere; noſter non intelligit, ideò nec judicat, ſed admiratur. Ita doctiſſim⁹ Vives. Dolendum profectò apprimè eſt, in Chriſtiano non minus qvam Gentili Orbe, freqventiſſimum hucuſq; fuiſſe Literatorum hominum, pudendâ vitiorum labe pollutorum conſpectum, nec paucos Muſarum Antiſtites, à longo annorum decurſo tempore extitiſſe, qvi inſolentiſſimo ſuo ſupercilio, & inuſitatâ neqvitiâ, priſcos illos, damnificisqve umbrarum gentilium tenebris obnuptos Philoſophos ſint ſupergreſſi; deniq; qvi ſordium ac impuritatum concatenatâ qvaſi ſerie ſupremi Numinis Majeſtatem læſerint graviſſimè, ejusqve juſtitiam, in temporale non minus qvam ſempiternum ſui exitium ac perennans ſupplicium provocarint. Oportunè huc veniet Vir doctrinâ morumqve compoſitione ſingulari conſpicuus, D. HIERONYMUS HIRNHEIMIUS, diſſertatiunculâ peculiari, nuper admodum evulgatâ oſtenſurus, DOCTOS PLERUMQVE MALOS ESSE, ET VITIIS SUBJECTOS; adeòq; peſſimos agere Gentis, Mentis, & Artis ſuæ infamatores. Accipe Lector amice capita mele-

letematis egregii ſelectiora, atqve exitialem (qvam author apprimè inſectatur) doctorum hominum corruptionem cane pejus & angve devita.

HIERONYMUS HIRNHAIM IN TRACT. DE TYPHO GENERIS HUMANI, CAP. XX. P. 209. SEQQ.

Scio Demadem pronuntiare ſolitum, doctos ab indoctis tantùm differre, qvantùm Deos ab hominibus. Ariſtippum verò dixiſſe, qvantùm eqvos domitos ab indomitis. Verùm ut cum venia ipſorum dicam, plerumqve ſecus accidit, & qvi alios continere & frœnare debuerant, ipſi per abrupta vitiorum paſſionibus ſuis acti omnium licentiſſimè proruunt, & ſe vel maximè homines, qvin potius eqvos indomitos eſſe demonſtrant.

Plato libro de Republica, paſſionibus iracundiæ doctos utplurimum docet eſſe ſubjectos: *Admodum difficile eſt,* inqvit *reperire hominem ingenioſum ſimul & præ cæteris manſvetum; nam acuti ſagaces-*

gacesq́, memorioſi & dociles, ut plurimum in iracundiam impetumq́ præcipites ſunt, proruunt etiam atq́ raptantur, qvemadmodum ſine retinaculis navis. Hæc divinus Plato. Audi qvoqve Senecam loqventem: *Liberalium*, inqvit, *artium conſectatio, moleſtos, verboſos, intempeſtivos, ſibiq́ placentes facit, & ideò non diſcentes neceſſaria, qvia ſupervacua didicerunt.* Et alibi: *Erubeſcimus dicere bonam mentem.* Notum eſt illud Catonis de Græcis profeſſoribus: *Qvandocunq́ gens iſta ſuas literas dabit, omnia corrumpet.*

Epiſt. 89.

Epiſt. 51.

Videamus modicè qvales fuerint veteres Philoſophi, & an virtutem, qvam plenis buccis ubiqve crepabant, opere fuerint ſectati. Scribit Laertius Pythagoram fuiſſe ſeditioſum & tyrannidis cupidum. Magicos illum artes didiciſſe teſtatur Plinius, uti & Empedoclem atqve Democritum. Socratis ſapientia qvantùm laudatur? Ille tamen ſi Ariſtophani credimus, docuit malam cauſam dicendo bonam facere. Eundem Porphyrius ſcribit libidinoſum fuiſſe, furentiſſimè iraſci ſolitum, parenti gravem,

vem, omnibus vitiis turpiſſimum. Scimus Ariſtotelem in libidines fuiſſe pronum, & Hermiæ concubinæ qvaſi Elevſinæ Cereri præ amoris impotentia ſacrificaſſe. Plato ille divinus fœdæ libidinis mancipiũ ab aliqvibus appellatur, iræ præterea dicitur fuiſſe obnoxius, & ſcurrili dicacitati; Convitiator, maledicus, vanus, gloriæ avidus, & Magiſter Tyrannorum, qvorum multi ex Philoſophorum ſcholis prodiverunt, qvos etiam cæteris crudeliùs imperaſſe docet Rhodiginus. *Qvotqvot*, inqvit, *ex Philoſophorum progreſſi ſcholis tyrannides arripuêre, crudeli⁹, avarius immaniusq; eas exercuiſſe comperiuntur, qvàm ignari prorſus literarum.* Qvamvis aliqvi ex SS. Patribus conentur Platonem ab his calumniis vindicare, dum ejus non tantùm ſapientiam ſed & vitam commendant.

Qvid hic dicam de Diogene Cynico, & aliis Epicureis? qvorum hic referre turpitudines vetat honeſtas. Ipſe Seneca, Romanus ille ſapiens, profeſſione Stoicus, qvi cæteros qvoscunq; Philoſophos loqvendi ſanctitate antecellit,

cujus

cujus etiam ſententiæ huic noſtro tractatui freqventer ſunt inſertæ, de qvibusdam criminibus apud Tacitum & Dionem accuſatur. Hos tamen ſapientiæ Profeſſores adorat vetuſtas. Vide jam qvalia ova mali corvi excluſerint. - - -

Cicero etiam doctorum hâc in parte Patronus, poſtqvam Philoſophiam parentem eſſe vitæ & magiſtram veritatis alicubi docuiſſet, graviter qveritur, extitiſſe aliqvos illius vituperatores: *Qvisnam*, inqvit, *vituperare vitæ parentem & hoc parricidio ſe inqvinare audeat, & tam impiè ingratus eſſe?* Cui in hæc verba Lactantius reſpondet: *Nos ergò M. Tulli parricidæ ſumus, & inſuendi te judice in culeum, qvi Philoſophiam negamus parentem eſſe vitæ; Magiſtram tu virtutis, aut parentem vitæ voces, ad qvam ſi qvis acceſſerit, multo ſit incertior neceſſe eſt, qvàm priùs fuerit? Cujus virtutis? qvæ ipſa ubi ſita eſt adhuc philoſophi non expediunt; cujus vitæ? cum ipſi Doctores ante fuerint ſenectute ac morte confecti, quam conſtituerint, qvomodo vivi deceat. Qvid te Magiſtra illa vitæ docuit; an ut potentiſſimum Conſu-*

Lactant. de falſa ſapient. c. 14.

D lem

lem maledictis inceſſeres, eumq́ hoſtem patriæ venenatis orationibus faceres? Salſe ſatis, verè tamen; & alio capite ejusdem libri ſic ait: Quod ſi Philoſophia vitam poſſet inſtruere, nulli alii niſi Philoſophi eſſent boni, & qvi eam non didiciſſent, eſſent omnes ſemper mali, cum innumerabiles exiſtant, & ſemper extiterint, qvi ſunt aut fuerint ſine ulla doctrinâ boni; ex Philoſophis autem perrarò fuerit, qvi aliqvid in vita fecerit laude dignum. Qvis eſt tandem, qvi non videat eos homines virtutis, qvâ ipſi egent, non eſſe Doctores? Nam ſi qvis mores eorum diligenter inqvirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinoſos, arrogantes, protervos, & ſub obtentu ſcientiæ ſuæ vitia celantes, domi facientes ea, qvæ in ſcholis arguiſſent. Fortaſse mentior accuſandi gratia, nonne id ipſum Tullius & fatetur & queritur? Qvotuſqvisq́ inqvit philoſophorum invenitur, qvi ſit ita moratus, ita animo & vitâ conſtitutus, ut ratio poſtulat? qvi diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? qvi obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis? videre autem liceat alios tanta levitate & jacta-

Digitized by Google

jactatione, ut his fuerit non didiciſſe meliꝰ, alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſervos, ut cum eorum vita & vitiis mirabiliter pugnet oratio. Neposque Cornelius ad eundem Ciceronem ita ſcribit: Tantum abeſt, ut ego Magiſtram eſſe putem vitæ Philoſophiam, beatæq́; vitæ perfectricem, ut nullis magis exiſtimem opus eſſe Magiſtris vivendi, qvàm plerisq́;, qvi in ea diſputando verſantur. Video enim magnam partem eorum, qvi in ſchola de pudore & continentia præcipiunt argutiſſimè, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere. Item Seneca in exhortationibus: Plerıq́; inqvit Philoſophorum ſunt diſerti in convitium ſuum, qvos ſi audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, judicium ſui putes profeſſos; Ideò redundant ad ipſos maledicta in publicum miſſa, qvos nos non aliter intueri decet, qvam medicos, qvorum tituli remedia habent, pyxides venena. Qvosdam verò nec pudor vitiorum tenet, ſed patrocinia turpitudini ſuæ fingunt, ut etiam honeſtè peccare videantur. Hæc Lactantius. Eſt hoc qvod poſtremo memoratur perni-

cioſiſſimum in Viris ſcientiâ pollentibus malum, qvod eâ freqventer abutantur ad patrocinia turpitudini ſuæ fingenda, ad excuſandas excuſationes in peccatis; illa extenuent, & mille diſtinctionum velis pallient, ac cum periculo ſalutis blandiantur Conſcientiæ, inutiliaqve ſibi texant perizomata foliorum, ne vulnera ſua videant. At DEUS qvi illa videt, cujus judicio judicia illorum non præjudicant, in confuſionem ipſorum palam ea faciet aliqvando, & hos malè-ſapientes deprehendet in aſtutia ſua, Juſtitias etiam illorum judicaturus, cum Jeruſalem ſcrutabitur in lucernis.

S. Bernard. Serm. 3. *Qvid ſuperbis O Homo, qvi te ſciolum jactas? inqvit Divus Bernardus, vide qvoniam beſtia factus es, cui venanda laquei præparantur. Sed qvi ſunt venatores iſti? Venatores utiq; peſſimi, & neqviſſimi, & callidiſſimi venatores, qvi cornu non ſonant, ut non audiantur, ſed ſagittant in occultis immaculatum.* Venatores iſti qvi cornu non ſonant, ſunt vitiorum dæmones, qvorum inſidiis docti præſertim ſunt expoſiti, qvi rarò ſe literatis cornu

ſuo

ſuo produnt, qvin potius illos ſub ſpecie virtutis fallunt, & dum inſuper ſub inutilium perizomatum umbra ab illis occultantur, ſubitò in occultis ſagittant incautos, & laqveo æternæ mortis implectunt. Rarò Literati D. Bernardum monentem audiunt; *Puta tibi non licere, & ſi aliis fortaſſe liceat qvidqvid male fuerit coloratum; Interroga majores tuos & dicent tibi: ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* 1. Theſſ. 5. Et D. Auguſtinum ſuadentem; *Nolite diligere vias latas, qvæ ducunt ad perditionem.* Qvin potiùs actiones ſuas mille inanium excuſationum fucis colorant, & vias ſuas dilatant, cùm tamen anguſtiſſimo incedant tramite, in gehennam, niſi præcaveant, ocyùs deturbandi.

Accedit illorum damnationi, qvòd peccata eorum, qvæ ipſi rarò magni pendunt, apud ſeveri tribunal Judicis ſemper graviora, qvam cæterorum judicentur, ac diſtrictius puniantur. Veriſſima eſt illa Salvatoris ſententia: *Servus* Luc. 12. *qvi cognovit voluntatem Domini ſui, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis.* Cognoſcunt docti, qvàm o-

ptimè Domini Dei ſui ſeverè præcipiĕtis voluntatem; optimè motiva penetrant, qvæ eos ad bonum inducere, ac à malo avertere deberent; Sciunt præmii cœleſtis excellentiam, & ſupplicia reprobis in inferno præparata; noverunt diſtrictum DEI judicium, apud qvod argumenta ipſorum nihil proderunt, nec qvicqvam valebunt excuſationes in peccatis. Horum omnium notitiâ plus cæteris inſtructi ſi nondum Domini faciunt voluntatem, annon meritò multis vapulabunt? *Ad majoris culpæ cumulum pertinet*, inqvit Iſidorus, *ſcire qvemqvam qvid ſeqvi debeat, ſeqvi nolle qvod ſciat.* Tales fuerunt illi, de qvibus ſcribit Paulus
Rom. 1. Apoſtolus, *Qui cum cognoviſſent DEum, non ſicut DEum glorificaverunt, aut gratias egerunt, ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt.*

Auget qvoq; illorum obligationem, beneficiorum ac talentorum, à DEO collatorum major copia, ob qvam eidem ſe gratos exhibere plus qvàm cæteri

ri obſtringuntur.-- Creſcit etiam criminum ab illis commiſſorum enormitas ex periculo ſcandali, qvod ex lapſibus vel malefactis ipſorum puſilli plerumqve concipiunt; accedit qvod ſæpenumero delinqventes corrigere, indoctos inſtruere, ipſis incumbat, & ſic plerunqve culparum alienarum participes reddantur, præſertim dum qvod ore prædicant, malo vitæ exemplo retractant.--- Qvantò igitur plus ſciunt docti, tantò gravius ſe noverint judicandos, niſi ſanctius vixerint. *Omni cui multum datum eſt, multum qværetur ab eo*, inqvit Salvator, *& cui commendaverunt multum, plus petent ab eo.* Qvanto pingvior arbor fuerit, niſi tanto largiores fructus dederit, excindetur, & in ignem mittetur. *Tribulatio & anguſtia*, inqvit Paulus, *in omnem animam hominis operantis malum, Judæi primùm & Græci, qvia* ut exponit Divus Chryſoſtomus, *Judæi excellebant in cognitione DEI.* Divus Bernardus in tractatu de præcepto & diſpenſat: Poſtqvam illud Crucifixi pro Crucifixoribus ſuis prolatum allegaſſet: *Pater ignoſce illis, non enim*

Luc. 12.

Rom. 2.

enim ſciunt qvid faciũt, ac ſi diceret, inqvit *eo digni veniâ, qvò & puſilli ſcientiâ ſunt*. Qvod adeò verum eſt, ut Theologi paſſim aſſerant, ignorantiam omnem, etiam qvantumcunqve culpabilem, gravitatem peccatorum imminuere. Notum eſt illud Pauli Apoſtoli; *Miſericordiam DEI conſecutus ſum, qvia ignorans feci*. Vides ergo, doctos ad majora longe obligatos & tantò pluribus vapulaturos plagis, ſi voluntatem Domini ſui non fecerint, qvantò eam melius perfectiusqve cognoſcunt.

1. *Tim.* 1.

Narratur de Azone Juris-Conſulto, quod vice qvadam cum alio qvodam Juriſperito diſputans, adeò fuerit contra æmulum ſuum irâ exacerbatus, ut arrepto cultro lethale ipſi vulnus inflixerit. Qvamobrem comprehenſus, & audiens contra omnem ſuam ſpem atq; opinionem, latam contra ſe mortis ſententiam, ſummè territus ac perturbatus exclamaſſe dicitur; *Ad Beſtias, ad Beſtias*. Qvod eſt legis cujusdam principium, per qvam Viris doctis, tametſi aliqvid morte dignum commiſerint, vita indulgeri vide-

l. 31. *ff. de pœnis*.

videtur. Sed cum Judices Juris adeò non eſſent periti, Azonis citationem non intellexerunt, qvinimò exiſtimarunt ſe ab illo *beſtias* appellari; qvapropter irâ correpti executionem ſententiæ in miſerum accelerari fecerunt. Qvidqvid ſit de vigore illius legis, meo tenui judicio non videntur docti præ cæteris ullâ venia digni, qvinimò ſi crimen qvodpiam perpetrant, duplicato ſupplicio plectendi, ad beſtias & rotas condemnandi, ſcientiâ ipſorum & lingvâ teſtimonium contra ipſos ferente, Qvanqvâ parum ſit pænalia hujus ſeculi tormenta evaſiſſe. Graviora longè ſupplicia illis imminent in altero, ubi circa ipſos nulla erit perſonarum acceptio, rigida tamen ponderatio delictorum, & juxtâ menſuram ſcientiæ creſcet pœnarum magnitudo.

Felicior eſt longe ſors ſimplicium, qvibus, licet in eadem cum doctis peccata labantur, longè minor accidit damnatio. *Qvi* enim *nõ cognovit & fecit digna plagis, vapulabit paucis*; Qvinimò ſæpius opera, qvæ ſi à doctis fierent, iram DEI *Luc.* 12.

 adver-

adverſum ſe provocarent, ab indoctis & ſimplicibus commiſſa, DEUM nullatenus offendunt. Multi apud Cæſarium leguntur ſimplicium errores peccaminoſi aliàs, ſed ipſis minimè imputati. Nam ut idem autor lib. 6. ſub finem capitis noni ait : *Simplex, qvandoqve mimo vel joculatori comparatur. Sicut illius verba vel opera in eorum ore vel manibus, qvi joculatores non ſunt, ſæpe diſplicent & pœnâ digni ſunt apud homines, qvæ tamen ab his dicta vel facta placent; ita eſt de ſimplicibus, qvi ut ſic dicam, joculatores ſunt, qvorum opera, ſi hi qvi ſimplices non ſunt, qvandoq; facerent, haud dubium, qvin DEUM offenderent, qvi in eis, dum per ſimplices fiunt, delectatur.*

Nota eſt fabula de Marſya tibicine, qvi non eſt veritus ipſum Apollinem ad cantus certamen provocare, ſed arrogantiæ ſuæ pœnas luit, nam victus ab illo & excoriatus eſt. Cogitabat Apollo fratrem qvoq; illius Babym in fraternæ temeritatis ultionem occidere, ſed ignorantia & inſcitia cantûs eidem profuiſſe legi-

Digitized by Google

legitur, ut propterea illum Apollo liberum dimiſerit. Per Marſyam docti, per Babym ſimplices figurantur; Illi ob ſuperbiam & arrogantiam ſuæ doctrinæ meritas à DEO luunt pœnas, hos verò ſæpius excuſat humilis inſcitia. O igitur miſerandam Doctorum ſortem! quibus peccantibus non tàm facilis datur venia, & longè durius, qvàm cæteris inſtat judicium, potentiora tormenta, fortior cruciatio. O ſimplicium magnam felicitatem! quorum peccata freqventiſſimè ante thronum diſtricti Judicis excuſationem inveniunt, & qvorum humilis ignorantia, DEI gratiam & miſericordiam ſibi conciliat. Sed ideò dilatavit Infernus tam ſpatiosè os ſuum, ideò tot animarum doctarum millibus Plutoni ſacrificatur, qvia qvæ dicta ſunt, non eſt qvi recogitet corde. O qvot formidanda habent literati ſalutis ſuæ pericula, qvam anguſtam cœli portam expectandam, ut melius ſit ſcientiâ nondum maturâ mori, qvàm doctum vivere. --

Gratulatur D. Auguſtinus, Adeodatum puerum è vitâ raptum, priusqvam ſcien-

ſcientia mutaret intellectum ejus, dum ſic ait: *Horrori mihi erat illud Ingenium, & quis præter te talium miraculorum opifex? citò de terra abſtuliſti vitam ejus, & ſecurior eum recordor, non timens quidquam pueritiæ, nec omninò homini illi.* *Confeſſ. lib. 9. cap. 6.* *Quò igitur docti*, ut cum Divo eodem vos alloqvar, *cum laboribus veſtris, quò ambitis pervenire? quid quæritis? cujus rei cauſa laboratis? quid in ſtudio veſtro ſcientiarum non fragile plenumqve periculis, & per qvot pericula pervenitur ad grandius periculum?* Qvod Ariſton de Dialectica, hoc ego de omni ſcientia veſtra pronuntio, luto viarum ſimilem eſſe, qvod inutile eſt, tranſeuntesqve commaculat & proſternit. Creditis hæc, ut opinor, creditis omnia qvæ fides docet, qvin etiam exactiùs qvam ſit neceſſe, illa calletis. Cui igitur niſi ſtultitiæ veſtræ, ſed nimium damnabili attribuam, qvòd his omnibus probè perſpectis, nondum ſapitis, nondum ad leges divinas vitam inſtituitis, intellectum ſemper literis, nunqvam voluntatem virtutibus adornatis; *ſemper diſcentes, & nun-*

Digitized by Google

& nunquam ad ſapidam ſcientiam pervenientes. ---

Quid igitur? an procellam hanc tenebrarum imminentem evadere non potestis literati? potestis ſecurè, nec enim omnibus imminet, & quibus imminet, ab ijs facile periculum ejus poteſt averti. Si ſapientes ſine damno eſſe cupitis, veram ſapientiam amate; amate ſcientiam, ſed anteponite Charitatem. Nam ut ait S. Ambroſius, *ante vitam, quam doctrina quærenda eſt.* Sint animarum ornatus, qvales in dilectâ Sponſus reqvirit: *murenulæ aureæ, vermiculatæ argento*, virtus ſcilicet, principalis & pretioſior animæ decor, ſcientiâ velut ornamento acceſſorio illuſtratur. Sicut ex argento & auro fit electrum, qvod eſt utroqve pretioſius; ita ex ſcientia & virtute naſcitur pretioſiſſimus & pulcherrimus animæ ornatus. *Parum eſt ſcientia*, ut ſcribit Lactantius, *niſi accedat & virtus; Virtus autem cum ſcientia conjuncta eſt ſapientia:* per ſcientiam qvis lucet, per Virtutem ſeu Charitatem ardet. *Lucere vanum, ardere parum;* *De falſa ſapient. cap. 8.*

Scientia per anagramma: IſteCain, In Te Sica.

rum; lucere & ardere perfectum, inqvit S. Bernardus. Cavendum verò ne virtutem SCIENTIA perimat, cautos & providos reddere poteſt duplex anagramma ex nomine illius deſumptum:

ISTE CAIN, IN TE SICA.

Qviſqvis te ſtudio eruditionis
Secluſa pietate tradidiſti,
Sicam præcave, qvâ tibi minatur,
Qvam ſic præcipiti labore quæris.
Ut fidam teneas ſalutis arrham,
Doctrinæ pietas ſodalis adſit;
Nec fidas tamen eruditioni,
Quæ vitæ inſidias doloſa nectit.
Germanum veluti Cain ſceleſtus
Mundi principio peremit Abel,
Sic Virtutem animi pioſq; mores
Doctrina interimit, qvibus peremptis
Damnum perpetuæ imminet ſalutis.
Ergo ſi ſapis, hoc cavebis unum,
Ne mentis probitate ſubjugatâ
Te Sicarius hic necando perdat.

COM-

COMMONEFACTIO IV.

LITERATUS EXEMPLARIS,

SIVE

VITÆ LITERATO-CHRISTIANÆ IDEA MEMORABILIS,

ARTIFICIOSO JOH. LUD. VIVIS PENICILLO EXPRESSA.

Ad Fel. Lit. Diſſertat. præliminar.

PErqvam egregiè PETRUS DAMIANUS, Virtuoſas Eruditorum hominum actiones VITALES LITERAS appellavit, qvibus felicius longè imperitiores doceantur, qvam exqviſitiſſimis verborum ſententiis, idqve memorabili Prot-eremitæ exemplo dedit demonſtratum: ANTONIUS (ſcribit notanter) *non rhetoricatur; ſed toto conſpicuus Orbe, Literis ut ita dicam VITALIBUS legitur,*

Petr. Dam. Lib. VI. epiſt. 17.

dem lapidem ſurſum ac deorſum vertentes. Egregiè admodum ad eruditum ejuſmodi prævaricatorem Greg. Nazianzenus :

Vel ne doceto, vel doceto MORIBUS,
Illac trahas metu, manu pellas at hâc.
Erit loqvendum; ſi probè vivas, minus
Sermone non, ſed manu pictor docet.

Scitè profectò Gregorius deſumtâ à pictoribus ſimilitudine oſtendit, præcipuam doctrinam in moribus ſitam eſſe; ſiqvidem illi non tam ſermone qvam MANU docere ſoleant, ac feliciſſimè inſtruant, perfecta EXEMPLARIA manu qvaſi ſtrenuâ proponentes. Et qvemadmodum pravum pictoris exemplar tyronibus eſt impedimento, qvo minus feliciores in arte progreſſ⁹ facere qveant; ita Doctores lingvâ ſolum, non item manu erudientes, profectus diſcipulorum qvam maximè ſufflaminant, & vitioſiſſima exemplaria exhibentes, iisdem planè laqveis illos involvunt, qvibus graviſſimè ipſimet ſunt conſtricti. Cujuſmodi infelicitatis notam certo certius evitarent, ſi (ut ſcitè qvondam Pacatus dixit) *blandiſſimè juberent EXEMPLIS*, & jura non ſcripta, animatasqve dictorū ſuorum agerent leges. Qvamprimum multitudini perſpectum exploratumqve fuerit, tales Daduchorum mores eſſe, qvale dogma; tunc illuſtriſſimum exemplar communi obtutui obverſabitur, ad qvod rectiſſimè oculos popul⁹ dirigat, & vitam moresq; curâ admodū ſollicitâ componat.

Pacatus in Panegyr. ad Theodoſ.

Qvandoqvidem verò nec prolixum nimis, neqve intempeſtivum debeat æſtimari, qvod inſigni ſeſe fructu & emolumento commendat, tantiqve ponderis ſit ſeria ad vitam ſanctè traducendam exhortatio, ut pietati ſive excolendæ ſive propagandæ plurimum inſerviat; hinc non pigebit, vitæ melioris energiam, veluti poſtliminiò recinere, Exempliqve boni, à Doctoribus ſive Magiſtris præbendi exqviſitiſſimam vim, inſigni qvâdam JOH. LUDOVICI VIVIS Hiſpani Oratione, qvam de VITA & MORIBUS VIRI ERUDITI habuit, atqve qvinto de *Tradendis Diſciplinis* libro inſeruit, dare demonſtratam. Utinam cuncti doctrinæ ſublimioris alumni, ſermonem illum ſeriò ſibi revocarent ad animum, ne & ipſi VITA deſtruant, qvod doctrinâ extruxère; Utinam ſapientiſſimi VIVIS monitis obedientes, ad ea qvæ aliis tradunt benè vivendi præcepta, primi omnium ſeſe conformarent, haudqvaqvam propendentes ad pejora, nec ſimiles evadentes rivo per declivia decurrenti, ſed potius egregia virtutis cujuslibet exemplaria communi obtutui exponentes. Sole meridiano clarius ex ſubſeqventi doctiſſimi VIVIS opellâ eluceſcet, qvibus legibus Reſpublica Literaria ſit adminiſtranda, qvidqve ſive agendum, ſive omittendum ſit ipſis etiam eruditorum anteſignanis, qvæ vitiorum monſtra illis debellanda, qvæ virtutum ornamenta

con-

conqvirenda, ut LEGES & JURA NON-SCRIPTA (qvemadmodum Philo de Patriarchis V. T. loqvitur,) appellari mereantur, atq; ad ſortem verè felicium Doctorum tandem aliqvando deveniant.

DE VITA ET MORIBUS VIRI ERUDITI,

JOH. LUDOVICI VIVIS COMMENTATIO.

CONfecto curriculo artium humanitatis, declaremus jam, " qvid nobis videatur faciendum DOCTO VIRO, qvomodo reliqvum ætatis tranſigendum ſive ſeparatim ſecum, ſive cum " alijs: In uſu atq; exercitio ſuarum artium: " In traditione earum, quomodo inter profeſſos artem ac diſciplinam eandem: ut ille " ſe erga illos geret, eorumqve de ſe opiniones accipiet, & cenſuras: Quo pacto ſua " cõſignabit literis & traſmittet ad poſteros. " Non eo qvo ſingula perſecuti ſumus ordine percurret, ut ad poſterius ſtudium " tranſgreſſus, nefas eſſe exiſtimet prius re- "

„ſpicere: Miſcebit ſtudia, & prima in tertijs „repetet, tertia in ſextis. Nam connexio-„nem inter ſe habent omnia hæc & affinita-„tem qvandam: Alia in manus reſumet, „qvia neceſſaria præſenti uſui, alia qvia le-„vamenta præſentis laboris. Erit ſciendi „ſtudioſus. Nec ſe unqvam ad faſtigium „eruditionis perveniſſe arbitrabitur. Sen-„tentia Senecæ eſt animadverſa acutiſſimè, „potuiſſe multos ad ſapientiam pervenire, „niſi ſe jam perveniſſe crederent. Idem ad „Lucilium eſt autor, tam diu diſcendum, „qvam diu neſcias, & ſi proverbio credimus, „qvam diu vivas: Quandoqvidem nihil eſt „in universâ natura tam promptum & facilè, „qvod non totam ætatem hominis poſſit di-„ſtinere. Non erubeſcet homo ſciendi cu-„pidus à qvocunqve diſcere, qvi docere qvid „poſſit. Cur hominem ab homine pudeat „diſcere, qvum humanum genus multa à „beluis diſcere non potuerit? Ita verò ſtu-„dendum, ut non obruatur ingenium mole „operis. Valetudinis habenda inprimis ra-„tio, & eorum qui noſtræ ſunt curæ com-„miſſi. Docti homines qvum intelligunt ſe „ingenio, conſilio, cognitione rerũ præſtare „cæteris, aut certè ſic alios exiſtimare, in-„gentes attollunt ſpiritus, tanqvam ipſi ho-„mines inter pecudes vivant: unde incre-„dibile eſt dictu, qvantoperè arrogantia in-

valeſ-

valeſcat. Sanctè illud à Paulo Apoſtolo,, dicitur inflari homines ſcientiâ, charitate,, ædificari. Sed reflectet in ſe oculos ſapi-,, entiæ ſectator, nec plus aliorum de teſti-,, ſtimoniis, qvàm ſua ipſius acqvieſcet con-,, ſcientia. Reputabit qvàm multa ſibi eſt,, conſcius ſe ignorare, qvæ alii eum ſcire,, non dubitant: qvoties hallucinatur, labi-,, tur, fallitur, & à vero qvam longiſſimè diſ-,, cedit, ut non ſine graviſſima ratione &,, cauſa Socrates, qvem Græciæ conſenſus,, ſapientiſſimum nuncupavit, profeſſus ſit,, nil neqve ſe neqve alium qvenqvam ſcire:,, qvod placitum ingens deinde Philoſopho-,, rũ manus conſtantiſſimè tenuit: & profectò,, ſi qvis ritè expendat & reputet ſingula cõ-,, periet nihil certius à nobis qvam PIETATEM,, NOSCI. Theophraſti etiam ſententia,, jure laudatur, qvæ cuncti ſciant, minimam,, eſſe eorum qvæ ignorent portionem: qvod,, diffuſius perſeqvi non eſt inſtituti hujus.,, Qvid ſi excutiat ſingula, & ad ſubtile exa-,, men revocet, nę illi tam magnifici tituli ſor-,, dere incipient. Linguæ qvid aliud ſunt,, qvàm voces? aut qvid intereſt ſemotis di-,, ſciplinis, Latinè & Græcè noris, an Hiſpa-,, nicè & Gallicè? Dialectica & Rhetorica In-,, ſtrumenta ſunt artium non artes, meliuſ-,, qve à natura traduntur, qvam à Magiſtro:,, Philoſophia opinionibus tota & conjecturis,,

„veriſimilitudinis eſt nixa : ſed neqve hæc „ſigilatim exponere eſt hujus loci. Age „vero, donemus te aliqvid ſcire certum atqve „exploratum, an hoc ignoras alieni te habe- „re beneficii? Cur tibi accommodata veſtis „facit animos? Si qvid habes boni, alienum „eſt: ſi qvid mali, id verò eſt tuum unius. „Vides te eruditum, munus DEI eſt, cui di- „ſplices, niſi qvam inde Gloriam nanciſce- „ris, in illum refers. Eqvidem haud repugno „qvo minus Vir doctus talem ſe eſſe intelligat „& aliis ſapientiorem, ſed neqve eſſet doct⁹ „aut ſapiens, niſi id facilè perſpiceret. Volo „tamen agnoſcat, cuj⁹ ſit ea ſapientia, illi- „qve uni referat acceptam, à qvo velut fidu- „ciariam poſſidet : qvum ſe admirationi eſſe „conſpicit, ne ſiſtat in ſe, qvod eſt pericu- „loſiſſimum, nec oculos dejiciat in terram, ut „honore illo ab hominibus tributo ſibi ap- „plaudat ipſe, tanqvam operâ & merito ſuo „conſecutus, qvod eſt manum ſuam ipſius „oſculari, iniqvitas maxima, qvemadmo- „dum Jobus ait, & negatio contra DEum al- „tiſſimum. Qvatuor rebus conſtat eruditio, „Ingenio, Judicio, Memoriâ, Studio : tria „prima, cedo unde habes? nunqvid non ex „DEO? Si qua eſt Docti laus, de poſtremo „petitur, quæ res infima eſt omnium & leviſ- „ſima: Qvid qvod ad eam ipſam adjutus es „conſtitutione Corporis non gravi, nec tor- pida,

pida, tùm etiam valetudine, quæ DEI ſunt“
dona. Qvid ergo docti ſupereſt proprium, “
qvo gloriari poſſit? an qvod voluit? “
at qvam multi vellent, ſi tàm eis per DEI“
benignitatem liceret, qvam tibi. Itaqve “
inter laudationes ſui erigat ſe Vir ſapiens ad“
contemplationem ſanctæ illiꝰ & Divinæ Sa-“
pientiæ, ad cujus infimum, ut Paulus inqvit, “
humana omnis ſapientia comparata, mera “
eſt dementia. Veniat illi in mentem, ſi homi-“
nes unius aſpectu guttulæ tantoperè commo-“
ventur, qvid facerent, ſi copioſiſſimum illum“
& æternum fontem daretur intueri, unde “
manant univerſa? Tum adoret demiſſo ani-“
mo autorem bonorum omnium, & agat gra-“
tias, qvod munera ſua copioſius dignatus “
eſt ſibi, qvam aliis impartiri: Qvodqve “
voluerit ſe eſſe inſtrumentum alicujus par-“
tis conſilii atqve operis ſui. Nam nos o-“
mnes inſtrumenta ſumus voluntatis illius. “
Qvocirca nullus ſit tantâ eruditione Vir, & “
rerum peritiâ præditus, ut putet Deum in-“
digere ipſo ad effectum conſilii ſui. Pri-“
mùm qvod ſolutiſſimæ eſt arrogantiæ exi-“
ſtimare te aliqvid poſſe præſtare, qvod nul-“
lus alius poſſit, ſi eodem applicet animum. “
Deinde qvòd non magis inſtrumentis ullis “
DEus ad agendum indiget, qvam luto ad “
aperiendos cæci oculos. Ex lapidibus ſu-“
ſcitare poteſt filios Abrahæ: & infirma eli-“

„ git mundi, ut confunderet fortia. Qvod ſi
„ tu Vir ſapientia præſtantiſſimus & inclytus
„ beneficio DEI tantus evaſiſti, utiqve in
„ qvemcunqve ille favorem transtulerit ſimi-
„ lem, fiet ſimilis. Qvapropter rogandꝰ ille eſt,
„ qvi omnia largitur, & per nos operatur, qvæ
„ ipſi eſt viſum ut nobis potiſſimum eruditio
„ noſtra proſit: ne nos inſtrumentum faciat in
„ bonũ aliorũ, perniciem noſtram: ne idem ac-
„ cidat nobis, qvod vel malis medicis, qvi alios
„ curant, ſe non curant; vel tubicinibus, qvi
„ alios ad prælium adhortantur, ipſi non pu-
„ gnant: vel candelis, qvæ aliis qvidẽ lucent,
„ ſeipſas conſumunt. Itaqve qvoties ad ſtu-
„ dium accedimus, ab oratione auſpicandum
„ eſt, qvod feciſſe Thomam Aqvinatem, & a-
„ lios per multos ſanctos Viros Memoriæ eſt
„ proditum: Idqve eſt orandum, ut ſana ſint
„ noſtra ſtudia, ut nemini noxia, ut nobis &
„ omnibus in commune ſalutifera. Cæterum
„ ſi omnibus vitæ actionibꝰ propoſitꝰ eſſe de-
„ bet finis aliqvis, qvanto magis ſtudiis: Ut
„ conſtitutum ſit nobis, qvò pertineat labor
„ noſter. Neqve enim ſtudendum eſt ſem-
„ per, ut ſtudeamus ſolum, nec ut ſe animus
„ inani qvadam contemplatione ac cogniti-
„ one rerum exlex & immunis oblectet. Ne-
„ gat Socrates vacare ſibi ad interpretatio-
„ nem fabularum poëticarum, qvoniam non-
„ dum norit ſe: & ridiculum ſit eum, qvi ſe

non

non norit, aliena ſcrutari. Multò minus „
ſtudiorum fructus pecunia æſtimandus eſt ; “
Qvem unum eſſe arbitrantur homines inge- “
niis abjectis, qviqve plurimum a vera ſtu- “
diorum ratione abſunt : nihil eſt enim tam “
diverſum literis, qvam pecuniæ vel cupidi- “
tas vel cura : ut qvocunqve hæc incubu- “
erit, protinus ſtudium rerum cognoſcenda- “
rum expellat ; qvod ſe bona fide niſi liberis “
ac morbo illo ſolutis pectoribus non com- “
mittit. Ditandum inqviunt, poſtea philo- “
ſophandū, minimè gentiū: imò contra, phi- “
loſophandū prius, poſtea ditandum. Nam “
ſi prius ditêre, philoſophari mox noles, & “
de opibus ſolicitus, & in mille raptus vitia “
uſum divitiarum ignorans philoſophiæ ne- “
ſcius. Qvòd ſi ſemel philoſophêre, expe- “
ditum tibi erit poſtea ditari, qvantum ſat e- “
rit. Nullam allegare cauſam qvis poteſt, “
qvo minus in Philoſophia ponat operam, “
qvin ea ipſa ad ſtudium ſapientiæ illum im “
pellat : Philoſophandum eſt pauperi, qvia “
non habet, ut levior ei fiat paupertas : Phi- “
loſophandum eſt diviti, qvia habet, ut re- “
ctius opes adminiſtret : philoſophabitur fe- “
lix, ut felicitatem probe regat : philoſopha- “
bitur infelix, ut infelicitatem lenius ferat. “
At verò ex artibus ut qvæqve cum majore “
hominum malo venduntur, ita minimè o- “
portet ob qvæſtum exerceri, ut Jus, Medi- “
cinam, Theologiam. Non ingeret ſe Vir “
doctus

„ doctus ad capeſſendam rem publicam, & ſi
„ optare debet, prodeſſe qvam plurimis, nam
„ arbitrari ſe uni ſibi natum, qvod priſcus phi-
„ loſophus Platonem admonuit, unde eſt il-
„ lud Apoſtoli: qvi Epiſcopatum expetat, bo-
„ num opus expetere: tùm ut occupet bonus
„ eum locum, qvem occuparet malus. Sed
„ non habet idem & gratiæ & virium inge-
„ ſtus qvod aſcitus. Si accerſatur, contem-
„ pletur diligenter prius animos ſuorum ci-
„ vium, ſani ne ſint, an ſanabiles: ut ſi qva
„ parte prodeſſe qveat, non recuſet laborem:
„ Sin verò inanem atq; irritam ſumpturus eſt
„ operam, omninò abſtineat: qvod feciſſe
„ Platonem perhibent, qvia populi ſui men-
„ tes adduci ad ſanitatem aliqvam poſſe de-
„ ſperaret. Cordà verò plerumqve Prin-
„ cipum adeò ſunt corrupta, & magnitudi-
„ ne illâ fortunæ ebria, ut nulla arte refingi
„ qveant in melius, medentibus aſpera atqve
„ infenſa. Sinendi ſunt valere illi cæci, ut
„ Dominus dicit, & duces cæcorum: Curam
„ noſtram traducamus in populum magis tra-
„ ctabilem, qviqve ſe curandis manibus faci-
„ liorem atqve obſeqventiorem præbet. Qvod
„ & fecit idem Chriſtus, apud qvem non plu-
„ ris eſt plebeius qvivis, qvàm Princeps. Ni-
„ hil perinde artium omnium decus cunctæ-
„ qve eruditionis fœdavit, & abjecit, ut qvo-
„ rundam ſcioſorum levitas, qvi paſſim aſſen-
tatur

tatur qvibuslibet principibus potiſſimum, “
novo exemplo magis qvam vetere : ſed nec “
homines verè docti hoc faciunt, populus “
tamẽ id diſcrimen non capit, pro doctis ha- “
bent qvoſcunqve vident ſpecie aliqva ſer- “
monis latini vel ſcribere vel loqvi. Atqvi “
tuentur ſe, qvi id faciunt, hoc colore, ut di- “
cant, non ſe qvales illi ſint, prædicare, ſed “
qvales eſſe debeant, oſtendere : dilutus, ſane “
color, & qvem alii utiqve non diſcernant : “
qvare aſſentationis damnant literatum, at- “
qve adeò ipſas literas, illumqve abominan- “
tur, qvi ſceleroſum principem tanqvam o- “
ptimum commendet : qvin etiam princeps “
ipſe prava de ſe opinione imbutꝰ, talem ex- “
iſtimari ſe arbitratur, qvalis dicitur : unde “
arrogantior fit in dies & intolerabilior, in- “
qve inſtituto vitæ genere confirmatur, ex “
qvo videt ſe tantũ laudis nanciſci, ut id do- “
cti Viri monimentis literarũ impreſſum infi- “
xumqve oportere eſſe cenſeant. Si ſtudio- “
ſi aſſentare non conſueviſſent principibus, “
& eruditionẽ illi pluris facerent, & laudare “
ſe ab illis impenſiſſimè gauderent, videlicet “
juxta priſci Poëtæ dictũ, à laudatis Viris &c. “
tùm reprehenſio magni eſſet ponderis : “
nec aliter acciperetur docti hominis appro- “
batio, qvam religioſiſſimi teſtis teſtimoniũ “
graviſſimum. Nec minus Principes, qvam “
alius qvivis ampliſſimum virtutis ſuæ in hac “
vitâ

„ vitâ præmium duceret erudito ſe homini „ approbari. Nunc verò pili non faciunt, „ qvæ ſciunt ſe numo uno ſeſtertio, numo „ verò, imò fruſto panis empturos. Ergò qvſi „ res feret, ut ſint à nobis laudandi, parcius „ laudandum, & ita, ut ſentiant ſe potius ad- „ moneri, incitariqve ut pergant, qvam gra- „ tulationem cani tanqvam curriculo abſo- „ luto: qvumqve profecturum te ſperes, libe- „ rè ſunt reprehendenda vitia, modo acerbi- „ tas abſit & rabies: Sin odium ſolum qvæ- „ ras, neqve proſis, abſtinendum eſt ab irrito „ labore. Nec potentum, aut omninò cu- „ jusqvam vitiis offundendus color præmii „ ſpe, aut cupiditate alia: qvod eſt magnope- „ rè nefarium: nam efficis ut illi ipſi audacius „ malè agant, & alii qvùm illorum exemplo, „ tùm docti hominis aſſenſu. Sunt alii qvi ſtu- „ diis non pecuniam venantur, ſed gloriam; „ generoſius ſanè qviddam fateor, verum qvæ „ ut in adoleſcentiâ & juventute maximos „ ſubdit ſtimulos ad honeſtas actiones, ita „ multorum deinceps eſt malorum cauſa & o- „ rigo, ſicuti aliàs oſtendi: qvod omnia ocu- „ lis intuentium tribuimus, nihil conſcien- „ tiæ, qvâ non aliud qvicqvam de nobis ju- „ dicat incorruptius. Ideoqve ſpe jam per- „ ceptæ gloriæ ſæpenumero decidimus, qvòd „ qvi falsò de nobis judicarat, errorem ſuum „ poſt intelligit: aut falli incipit, qvi rectè:

etſi

Digitized by Google

“etſi crebrius evenit, ut deceptæ exiſtimati-
“ones vertatur in melius, qvippe res veras ſo-
“lidasqve tempus confirmat, inanes autem
“diſſipat, & abſumit. Qvocirca nemo ſe glo-
“riam in poſterum aſſecuturum confidat va-
“no viventium favore, & ſpecie qvâdam
“præclarorum operum. Nam extemplo ſi-
“mul affectus illi incitati ſubſederunt, in eo-
“rum locum judicium ſubit, & qvidem exa-
“ctius. Itaqve multos in vitâ honoratos ac-
“cepimus, ignobiles & contemptos poſt fa-
“ta: accedit húc, qvod uti dicebam modo,
“opinionum commenta delet dies, recta
“judicia corroborat. Age verò, qvàm incer-
“ta eſt fama, qvàm lubrica: multi immortali-
“tatem ſibi polliciti, ne diuturnitatem qvidẽ
“aſſeqvi potuerunt: ut Appion Gramaticus,
“qvi, (ut apud Plinium legimus) Imortalita-
“te donari dicebat à ſe illos, ad qvos aliqva o-
“pera componeret: at ipſius ne litera qvidem
“extat. Qvam etiam iniqva, ut benè meritis
“non contingat. Extant Ovidii opera, non
“extant Cryſippi nec Crantoris. Integer
“ad nos pervenit Vincentius Bellovacenſis,
“non T. Livius, non Polybius, non M. Var-
“ro, non ipſe idem M. Tullius, ut non teme-
“rè Martialis dixerit, libro victuro genium
“eſſe opus: adde his qvàm eſt varia: idem
“alio tempore & aliis locis pulchrum vide-
“tur & fœdum. Qvid qvòd præclara inventa
inge-

„ingeniis & diligentia ſeqventium obſcurā-
„tur, ut multis priorum poſteri magnitudine
„ſuâ & qvaſi altiſſimis ſubſtructionibus, lu-
„minibus obſtruant. Sed fac te nactum eſſe
„claritatem, laudem, gloriam, qvid tibi pro-
„derit mortuo? qvi nihil eorum ſenſurus es,
„quæ hîc agentur, utiqve non magis qvam
„eqvus, qvum in Olympiis victor prædica-
„tur, aut Apellis pictura, qvam cum admira-
„tione contemplamur. Qvid ad Ciceronem
„vel Ariſtotelem redit ex tanto nomine? qvid
„ad alios vel literis illuſtres vel bello? ſed in
„ipſa eâdem vitâ qvid ſenties abſens de glo-
„ria? qvid dormiens? In præſentiâ verò ne-
„ceſſe erit, vel eos qvi te in os laudant, eſſe
„vanos, vel te, qvi illa coram dicta libenter
„audias. Cedo autem, qvid tandem dicent?
„O doctum, ô facundum hominem, imò ve-
„rò ô levem, & vanum hominem, ſi tàm le-
„vem aurulam præmium tibi literati laboris
„proponis. Qvòd ſi tu neglectis humanis
„laudibus, conſcientiæ tuæ volueris ſervire,
„& per illam DEO, qvanto ſolidior tibi &
"diuturnior gloria continget? Si te lau-
"darit DEUS vivens viventem, præſens
"præſentem, immortalis immortalem: qvi
"te ſemper intuetur, qvi de te non ex fal-
"ſo pronuntiabit judicio, ſed ex tuo ip-
"ſius teſtimonio: non qvi ſe ipſum com-
"mendat, is probatus eſt, inqvit Paulus,
„ſed qvem DEUS commendat. Viro docto
cogi-

cogitandum eſt freqventer de migratione "
ex hoc ævo, deqve vitâ illâ ſempiternâ, & "
ita meditandum ſæpè ac multum, ut fami- "
liarem ſibi cogitationem mortis faciat, ne "
ad illius mentionem terreatur. Tum ve- "
niet illi in mentem Judicis illius, & remu- "
neratoris ſingularum actionum, ad qvem "
brevi veniendum ipſi eſt, finitâ ſcenâ & hy- "
pocriſi vitæ: cui ſe approbari unicum erit "
illius ſtudium. Nam cui ſe vindicare cu- "
piat vel reus vel Patronus, ſi ſapiat, niſi ſuo "
Judici? Cui athleta, cui pugil, cui omnis "
qvi aliqvid agit ſub judice? Poetæ olim "
Græco poema ſuum recitanti, qvem omnes "
deſeruerant, Plato inſtar fuit totius populi "
Athenienſis, non erit nobis Chriſtus DEI "
ſapientia? Magnum eſt, inqvit vetus pro- "
verbium, Athletam placuiſſe Herculi: qvan- "
tum ergò nos DEO? à quo toties lauda- "
bere, qvoties aliqvid egeris illi gratum. "
Porrò illi nihil eſſe poteſt gratius, qvàm "
ut eruditionem, & qvæcunqve ſua mune- "
ra in utilitates hominum proferamus, hoc "
eſt filiorum ſuorum, qvibus ille ingentia "
impartitus eſt commoda, ut mutuo proſint "
in commune: & vult nos gratuito diſtri- "
buere, qvæ gratuito à ſe accepimus, qvan- "
qvam ipſe pro eiſdem, quæ nobis eſt largi- "
tus, copioſiſſimè refert gratiam, admirabi- "
lem DEI benignitatem; qvæ ipſe gratis no- "
bis

„bis dedit, hæc eadem ſi ipſi reddamus, am-
„pliſſimè remuneratur. Hic eſt ergo ſtudio-
„rum omnium fructus, hic ſcopus, ut qvæ-
„ſitis artibus vitæ profuturis, eas in bonum
„publicum exerceamus, unde merces im-
„mortalis conſeqvitur; non ad pecuniam,
„non ad præſentem gratiam aut delicias, qvæ
„fluxæ & momentaneæ ſunt. An verò pec-
„cuniæ causâ rectè vivimus, rectè monemus,
„& tàm amplum DEI munus tàm vili &
„contemnendo pretio commutamus? An
„propter gloriam? miſer ſi illam tàm avidè
„conſector, qvæ per tot labores & curas ægrè
„retinetur, incerta, fugax, ut nulla ſit ſervitus
„cum hac comparanda: Miſerior ſi populi
„voculas re tàm præſtanti & ſacra mercor, &
„laudari à mortalibus malo, qvam ab immor-
„tali: ab ſtultis, qvam ab ipſa ſapientia: ô
„qvam aureo piſcamur hamo, & qvidem an-
„gvillas putres? bona ergò fide exercendæ
„ſunt diſciplinæ in eum ipſum uſum, ad
„qvem ſunt à DEO collatæ. Neqve enim
„diſcendum eſt ſemper, nec ad vitam trans-
„ferenda doctrina. Infinitum qvidem ex ſe
„eſt ſtudium qvodcunqve, ſed aliqvâ tamen
„ejus parte incipere debemus illud ad alio-
„rum comoditates ac emolumenta deduce-
„re; in qvo prudentiâ eſt opus, qvia exerci-
„tium circa ſingula & ſeparata verſatur, qvæ
„regit prudentia circumſtantiarum omnium
æſti-

Digitized by Google

æſtimatrix & arbitra. Proditurus ad homi- “
num occurſus & conſpectum Vir doctus me- “
ditatus & paratꝰ exeat tanqvam ad pugnam, “
ne qvâ à pravâ aliqvâ affectione capiatur. “
à qvibus oppugnamur undiqve atq; inceſſi- “
mur, & qvi toties ab aliis auſcultatur, au- “
ſcultet ipſe aliqvando ſe. Confirmet domi “
animum magnis & validis cogitatibus ad “
deſpicientiam honorum & dignitatum: “
meminerit ejus vocis qvam à Domino audi- “
vit, ſalem ſe eſſe terræ, lucem mundi: ni- “
hil convenire minus, qvàm vel fatuum ſa- “
lem fieri, vel lucem tenebroſam, cujuſmo- “
di illa exiſtimamus fore, quæ hoc ſale con- “
dientur, vel illuſtrabuntur hâc luce. Exeat “
ergò rationibus munitus ac armatus, qvi- “
bus reſiſtere oppugnantis aſſultui valeat. “
Præſtet revera ſalem & lucem compoſitione “
animi, & moderatione perturbationum, “
verbis ſapientiſſimis atqve oportunis, ne ſit “
importuna ſapientia, ac proinde putida & “
odioſa: ſed quæ qvoties ſe proferet, velut “
ſalus qvædam appareat ijs, qui adſunt. Ge- “
ſtum ipſius & corpus univerſum modeſtia “
& moderatio decorabunt, dicta verò & fa- “
cta gravitas ac conſtantia: ut aliis ad ſimi- “
lem vitæ rationem EXEMPLO eſſe poſſit. “
Multum qvidem perſvadebit oratione, ſed “
plurimũ Vitæ Innocentia. Et qvo ab illo “
accuratiora prodeant ac puriora omnia, il- “
lud animo ejus perpetuo ſuccurrat, nihil ab- „

Digitized by

„ eo vel dici vel fieri, qvod autoritatem non
„ habeat, & in exemplum à benevolis ſuma-
„ tur; putant enim eam eſſe legem vitæ: à
„ malevolis autem & invidis ad examen &
„ cenſuram ſiniſtram. Idcirco erit & in a-
„ gendo cautior,& in pronuntiando cunctan-
„ tior, & omninò in loqvendo circumſpe-
„ ctior. Propter hunc benè audient literæ at-
„ qve artes, multiqve ejus æmulatione ſtu-
„ diis ſeſe diſciplinarum dedent, qvarũ fructũ
„ tam pulchrum atq; admirabilem cernunt.
„ Qvã eſt pudendũ viris doctis, homines ſæpè
„ imperitos moderatiores habere animi mo-
„ tus, qvàm illos ſapientiæ præceptis conſti-
„ patos: qvâ de causâ literis freqventer gran-
„ de fit à pleriſq; convitiũ: multiſq; in odium
„ venerunt, qvi ſeſe prudentiores fore arbi-
„ trantur, ſi illarum nihil prorſum attigerint.
„ Cœterum ea bona qvæ Viri docti, aſpectui
„ exhibebunt hominum, verius re ipſa præ-
„ ſtent, qvàm oſtentatione. Prodit ſe tan-
„ dem malè ſimulatus animus, atqve eò fit
„ magis inviſus ac deteſtabilis, quo diutius
„ graviuſqve impoſuit. Veritatis porrò in-
„ gentes & ſolidæ ſunt radices: & lux qvan-
„ tumcunqve occultetur, ſplendorem ſuum
„ foras emittit. Sapienter Epictetus: Oves
„ non jactant apud paſtorem, qvantumquo-
„ qve die comederint, ſed id re teſtificantur,
„ lacte, lana, & fœtu. Turba ſtudioſorum
ſecu-

Digitized by Google

ſeculum vocat felix, in qvo multa ſit erudi-"
tio: non eſt verò id felix ſeculum, ſed illud, "
qvum homines docti RE IPSA PRÆSTANT "
qvod legerunt, qvod profitentur, qvod aliis "
præſcribunt: qvum qvi audiunt & vident, "
coguntur exclamare: hi ſunt qvi loqvuntur, "
ut vivunt: & vivunt ut loqvuntur, qvod "
philoſophos illos de Origene Adamantio "
dixiſſe Euſebius eſt autor. Ne erubeſcas pa- "
rum rectè facere, qvæ non potes melius: "
erubeſce malefacere qvæ potes benè. Præ- "
bebunt ſe docti mites, affabiles, modera- "
tos, pravis cupiditatibus invictos, & oſten- "
dent, qvantum in hominis corde efficere "
poſſit Sapientia, ſi regnet: qvanqvam lon- "
go interſtitio ſapiens ab inſipiente diſtet. "
In reb⁹ magnis & præclaris valere ac pollere "
ſit eis ſatis: ne cupiant in qvibuslibet haberi "
magni, non in armis, eqvis, venatione, "
piſcatione, ſaltationibus, luſibus, dicaci- "
tate procaci aut triviali: hoc ardelionum "
eſt, non ſapientum: & fiunt eruditi ridiculi, "
qvi de illis non minus volunt, qvam de ſa- "
pientia judicare. Nam quemadmodum "
à luce nihil in obſcuro cernimus, nec ab ob- "
ſcuro in luce: ita mirandum non eſt ſapien- "
tes hallucinari ad nugas translatos, utiqve "
& nugatores in ſapientia cæci ſunt. Eſt e- "
ruditi hominis opus eam ipſam eruditionē "
in alios transfundere, & qvaſi de ſuo lumi- "
ne lumē in aliorū mentib⁹ accēdere. Ideoq; "

„ in viſione Danielis dicitur, eos, qvi ad juſtitiā „ erudierint multos, fulgere ſicut ſtellas in „ perpetuas æternitates: & Dominus noſter „ magnum illum vocatum iri ait in regno „ Cœlorum, qvi Juſtitiæ præcepta & ipſe fe- „ cerit, & alios edocuerit. In docendo qvem „ potius Magiſtrum imitabimur, qvam illum „ ipſum Chriſtum, qvem Pater ad erudien- „ dum genus humanum cœlitus demiſit? poſt „ hunc magno intervallo eos, qvi Chriſtum „ ſunt ſecuti. Is verò qvum eſſet divina ſa- „ pientia, illa tamen protulit ſola, qvæ au- „ dientibus eſſent profutura, non quæ quan- „ tus ipſe eſſet, declararent: Nam ſi gloriam „ ſuam affectaſſet, aut ſeſe patefacere expe- „ tiſſet, qvæ eſſent ab illo, & qvàm admirabi- „ lia patefacta, ſed qvæ captum omnem ex- „ ceſſiſſent, etiam Angelorum. At verò nobis „ ſerviebat omnis illius oratio, non oſtenta- „ tioni ſui. Sed nec deliciæ qværendæ ſunt, „ vel oblectatio. Plinius peculiarem in ſtudiis „ ſentit cauſam illorum eſſe, qvi difficultati- „ bus invicti utilitatem juvandi prætulerunt „ gratiæ placendi. Paucitate diſcipulorum „ contentus fuit Dominus, qvum DEI ſapi- „ entiam & viam æternæ ſalutis monſtraret „ Mundo. Qvis poteſt de diſcipulorum nu- „ mero conqveri, qvum author humani ge- „ neris duodecim hominum ſcholâ acqvieve- „ rit? Freqventi auditorio ambitio magis ſer-

vit,

vit, qvam ſeveritas inſtitutionis. Cæterum de ſcholâ oracula hæc habentur veterum, docendum ſine invidiâ, abſqve rubore diſcendum, gratiæ ſemper habendæ docenti, aliena inventa ſibi non uſurpanda. Cogitabit vir ſapiens Mundũ hunc eſſe velut Civitatem qvandam: cujus ipſe ſit civis, aut magnam qvandam domum, cujus ipſe ſit de familiâ: non referre à qvo benè aliqvid dicatur, dicatur modo: hic parari opes illas, hic ad publicas relinqvi commoditates: parentur, & communicentur, à qvo autem, nihil intereſſe: Qvare & ipſe ſuâ pro virili parte conferet, & alios ut conferant, benignè adjuvabit, & qvatenus ſe ac ſuam imbecillitatem cognitam habet & perſpectam, alioqvi nec ſapiens dici poſſet, nec doctus: reputet cum animo ſuo, qvantam humano generi inferret injuriam, ſi neminem ſe vel meliorem eſſe, vel doctiorem vellet. Porrò de curſu inſtitutiotionis, Socratis ſententiam ex Platone adducit Cicero, qvem ſolitum dicere ſcribit, perfectum ſibi opus tum eſſe, ſi qvis ſatis eſſet cohortatione ſuâ concitatus ad ſtudium percipiendæ cognoſcendæqvæ veritatis. Sed nos ſimilitudine utemur notiore: tàm diu eſſe cuiqve opus duce, qvàm diu viam ignoret, eam ubi per ſeſe poſſit peragere, animo indigere magis, qvam magiſtro.

,,Docti inter ſe concorditer ac humanè con-
,,verſentur. Enimverò turpiſſimum eſt nobis,
,,latrones ac lenones majore inter ſe con-
,,ſenſione vivere, qvàm eruditos. Sed nec
,,eruditis unanimitas ac benevolentia dee-
,,rit, ſi diſciplinas integrè ac ſanctè coluerint
,,non ad gloriam, vel qvæſtum: Nam ubi ha-
,,rum rerum cupiditas invaluit, difficile eſt
,,ſanctam ſervare ſocietatem. In ſtudiorum
,,collationibus qui alteri melius dicendi con-
,,cedit, ne victus nominetur: alieniſſimum
,,eſt ab hâc re nomen illud, neqve enim pu-
,,gna eſt hæc, vel qvi diſſerunt, adverſarii: A-
,,cerbiſſima atqve inimiciſſima appellatio
,,in ſuaviſſimam rem, & benevolentiæ natura
,,ipſa plenam eſt translata. Nam qvæ poteſt
,,major inveniri conjunctio vel arctior,
,,qvam animi, & ejus, qvi illum ad pruden-
,,tiam ac virtutem excolit: non alia utiqve,
,,qvàm arvi & agricolæ, ut non immeritò pa-
,,rentes ſint animorum, qvi docent; & qvem-
,,admodum in oculorum ita in mentis aſpe-
,,ctu, qvi non ſatis cernit perſpicuè, acutè
,,cernentis cedat judicio, ſine indignatione:
,,oculos ille acutiores vel ſaniores eſt nactus,
,,hic ingenium vel natura perſpicacius, vel
,,uſu, ætate, diligentia expolitius: qvid qvod
,,interdum animadvertentiæ magis laus eſt,
,,qvam ingenii: caſus nonnunqvam, ſicuti
,,qvũ elapſus numus à multis qværitur. Sed
ut

Digitized by Google

ut nuncupent ſane, qvando ita inveteravit “
congreſſus & lucta, & pugna, & victoria, “
qvæſo expendat qvisqve ſecum, qvantum “
ſit beneficium liberari à tyrannide ignoran- “
tiæ: qvæ ſervitus eſt omnium graviſſima & “
teterrima. Sapienter Plato, tanto præſtat “
diſputatione vinci qvàm vincere, qvanto “
eſt melius magno malo liberari, qvàm libe- “
rare: qvid enim exitialius homini poteſt “
contingere, qvàm falſa opinio? Ut ſit hoc “
fortaſſe liberatori glorioſius apud nonnul- “
los, liberato certè utilius eſt. Verùm huic “
tanto ignorantiæ malo libentius eximere- “
mur omnes, ſi diſputationes minus eſſent “
ſcenicæ, nec tantum tribuerent coronæ, “
qvæ colluctantes cingit: eſſetqve amica “
potius ſermocinatio, qvàm pugna inimica: “
qvod cùm in genere omni diſciplinæ fieri “
decet, tùm potiſſimum in Theologia, ubi “
contra ſacram veritatem impiè confligitur, “
& ſcrupuli gignuntur in animis audientiũ “
de rebus, qvas certas, fixas, inconcuſſas ha- “
beri fas eſt: exaſperat porrò ſparſos ſcrupu- “
los dæmon hoſtis, atqve auget: accommo- “
dant etiam homines ſuas manus, dum unus- “
qvisqve de ingenii gloriâ laborat magis, “
qvam de veritate aſſerenda. Cedendum “
veritati omni non piæ modò & ſacræ, ſed “
prophanæ qvoqve; & præcepto ſapientis “
obtemperandum, qvo jubemur non con- “

 tra-

„tradicere verbo veritatis ullo modo. Can-
„didæ ac prudentes cenſuræ vehementer
„ſunt ſtudiis omnibus utiles, ſi animi judi-
„cium citra damnum affectus profertur, ut
„inqvit Tacitus: nec qvicqvam eſt in his da-
„mnoſius, qvam judiciorum confundi ſigna,
„ſicut in vita voluntatum: ut neſciatur qvid
„qvisqve aut probet aut improbet: qvod
„uſu venit hoc tempore, qvum periculoſiſſi-
„mũ eſt de qvoqvam loqvi, tàm irritati ſunt
„omnium animi, & parati ad pugnandum, ut
„vel attingere quemlibet leviter non ſit tu-
„tum, etiamſi aliò ſpectes: tenera atq; infir-
„ma conſcientia ilicò ſeſe peti ſuſpicatur,
„haud aliter qvàm ulceroſi eqvi actutum con-
„citantur, ſtrigile audito. Qvanqvam vitio
„huic incitaméta atq; incrementa præbuere
„qvàm plurimi, qvi acerbiſſimè alios per-
„ſtrinxerunt, non ut veritatam exprimerent,
„ſed ut ſugillarent, ac infamarent nomen a-
„lienum, vel odio impulſi, vel falſæ gloriæ
„ſpe adacti, exiſtimantes, tàm ſe habitum iri
„pulchros, & præſtantes, qvàm alios tetros
„eſſe ac viles oſtendiſſent: ſed illis multo ſe-
„cus, atq; ſperaverant accidit: nam cando-
„ris etiam inerudit ſua eſt apud omnes laus,
„malignitatis vel eruditiſſimæ vituperatio
„certa. Qvid, inter hæc odia qvantum ac-
„cipiunt plagam diſciplinæ? Detrahitur au-
„toritas tàm odioſè rixantibus, & tàm capita-
liter

Digitized by Google

liter inimicis : deſpondent animos excel- "
lentia ingenia, quum pertæſa rem adeò a- "
maram nempe digladiationes perpetuas ab "
ſtudiis reſiliunt, ac abhorrent : profectus "
inter hæc ſtudiorum amittitur, atq; obſcú- "
ratur veritas, dùm malunt qvidam corrum- "
pi literas, qvàm inſtaurari per ſuos inimi- "
cos. Qvantum ſcelus eſt eloqventiam, in- "
genium, & alia magna atq; admiranda DEI "
munera, hominibus à DEO ad utilitatem "
hominum conceſſa in eorum perniciem "
convertere : per bona malè facere, hoc ve- "
rò jam nec ferarum qvidem eſt, nedum ho- "
minum. Qvantò religioſius Qvintilianus "
Ethnicus, qvàm nos Chriſtiani : mutos na- "
ſci & egere omni ratione ſatius fuiſſet, qvàm "
providentiæ munera in mutuam perniciem "
convertere : qvid refert qvomodo impetas "
alium, ferro an ſtilo, ubi voluntas eſt eadem, "
& plerunq; lingua plus lædis, aut ſtilo, qvàm "
gladio : qvippe ferro corpus modò conſau- "
cias, linguâ verò etiam animum. Artes hu- "
manitatis nominantur, reddant nos huma- "
nos : à DEO optimo ſunt traditæ, reddant "
bonos. Nam qvi alteri invidet, qvod eſt "
ei DEUS largitus, qvid aliud, qvàm ſanctum "
DEI judicium improbat, & diſtributionem "
munerum illius condemnat : tametſi qvid "
eſt qvod qveri qviſqvam poſſit de DEO ? "
Annon tecum ille egit prolixè ? aliqvos ſu- "

„ pra tę vides, at quanto plures infra tę? Erit
„ Vir doctus in definiendo lentus, in aſſeve-
„ rando minimè pertinax: quæ reprobaturus
„ eſt, etiam atque etiam leget, verſabit, excu-
„ tiet, ne quid ab eo temerè in damnando af-
„ firmatur: minus circumſpectum eſſe velim
„ in laudando. Caveat ne non ſatis intelli-
„ gat, quæ damnat: ne cui notam inuſturus
„ eſt, majorem pro ſe rationem habeat, quàm
„ ipſe contra eum: conſultius fuerit nihil
„ pronuntiare, quàm ut condemnatio in ju-
„ dicem ipſum recidat. Quòd ſi hanc ſive
„ prudentiam, ſive benignitatem animi in
„ homine docto requiro; quid me ſentire
„ par eſt de illis, qui bene dicta invertunt &
„ depravant, quo cauſatius exiſtimentur con-
„ vellere: nam ſi flectere in melius & pium
„ & utiliſſimum eſt multis, profectò magnum
„ erit ſcelus in pejus detorquere. Ego Adri-
„ anũ Florentinũ illum, qui poſtea factus eſt
„ Summus Pontifex, quùm adhuc eſſet Deca-
„ nus Lovanienſis, in publicis ſæpè diſputati-
„ onibus quæcunque autorum dicta à diſpu-
„ tantibus citarentur, interpretantem pro ſe
„ audivi, nunquam aſpernantem, etiam ſi ex
„ iis eſſent, qui adhuc vivunt, nempe Jacobi
„ Fabri, aut Eraſ. Roter. De vivis cenſendum
„ cautius: de mortuis reverentius, qui ſunt
„ jam invidię exempti, & redditi ſuo judici:
„ eamque ſubierunt cenſuram, quæ omnes
manet,

Digitized by Google

manet, idque potiſſimum de illorum vita & “
moribus : nam de eruditione licebit paulò “
liberius. Eos per quos profecerit quis, ci- “
tet benignè, nec velit (ut ait Plinius) in fur- “
to deprehendi potius, quàm mutuum red- “
dere, præſertim quũ ſors fiat ex uſura. Olim “
adeò erant in ſuum cuique tribuendo æqui “
ac liberales, ut ne verbum quidem unum au- “
tori ſuo ſurriperent : declarant id Plato, “
Ariſtoteles, Cicero, Seneca, Plutarchus, & “
alii : nunc & verba & ſenſa & argumenta “
etiam integra, nonnunquam inventa & o- “
pera ſuberahuntur: quod ſervile eſt admo- “
dum, magnarumq; ſimultatum in ſtudiis o- “
rigo : cui enim non ſit grave ſervos ſibi ſuos “
abduci, nedum filios. Utinam & de hoc “
plagio aliquid cautum eſſet lege Fannia : “
nec ulla ſpectari convenit diſcrimina vel “
Patriæ Scriptoris, vel ſectæ, vel ætatis : quē- “
admodum ſtultus ille populus, qui ut pru- “
denter ab Horatio carpitur, redit ad faſtos, “
& virtutem æſtimat annis. Non qvin par “
ſit, ut libri plus auctoritatis mereantur, qvi “
jam tot ſeculis placuerunt, illiſqve tot inge- “
niorum conſenſus approbationis ſuæ calcu- “
lum adjecit : de qvibus omnibus una illa “
de ſcriptoribus ſententia proferenda judi- “
catur. Qvid qvod novitas omnis judicium “
præpedit, videlicet nondum benè cogni- “
ta. Qvi in verbo uno aut altero, aut multis “

etiam

„etiã qvempiam correxerit, ne continuò vi-
„deri poſtulet ſe illo eſſe doctiorẽ, aut ma-
„gis ad rẽ attuliſſe,qvod multi ſibi ipſi ſtultè
perſvadent: Ut ſi qvid in magnis auctorib⁹
„corrigant, illis ſe protinus anteponi opor-
„tere autument. Velut qvum memoriâ
„ſeu incogitantiâ magnus Vir labitur, nam
„Horatio vel Homerus ipſe dormitare non-
„nunqvam videtur: aut qvum lingvæ igno-
„rantiâ fallitur, qvæ errata græcè ac latinè
„ſemidocti captant, magna ſanè iniqvitate,
„qui à nobis eam cognitionem latini aut
„græci ſermonis exigunt alieni atqve inſiti-
„tii, qvæ in Cicerone aut Demoſthene vix
„fuit, vel in qvopiam ex illis, qvi lingvam
„ſuxerunt cum lacte, qviqve populo univer-
„ſo uti qvotidiè poterant magiſtro, & de
„quibus dubitarent, à cerdone vicino aut
„fabro admoneri. Qvod ſi iſti tam acres cen-
„ſores ſubituri eſſent eandem conditionem
„judicij, mitiores credo ſe præberent ſuis
„reis. Haud pauca iniqviſſimæ hujus ſeveri-
„tatis habemus exempla, non tàm priſca
„qvàm ſeculi hujus finitimi: Vallæ, Poli-
„tiani, Beroaldi, Mancinelli; non pauciora
„ætas noſtra tulit: ut prætercam in hoc gene-
„re calumnias, de qvibus qvum de corruptâ
„Grammaticâ dicerem ſum locutus. E-
„qvidem haud negaverim, qvin notari ma-
„gnos ſcriptores interſit eruditionis. Sed
„non protinus plus aut idem adfert qvi notas
& qvi

& qvi opus compoſuit. In autore alicujus “
diſciplinæ, boni conſuletis errores alterius: “
ut in Theologo hiſtoriæ, in Hiſtorico pri- “
mæ Philoſophiæ, modò muneri ſuo ſatisfa- “
ciat: multo benignius lingvæ peccata condo- “
nabitis: bonam ſententiam Gallicè aut Hi- “
ſpanicè dictam amplecteremur, non accipie- “
mus vitioſè Latinè? ego verò cum M. ipſo “
Tullio indiſertam malim ſapientiam, qvàm “
ſtultam loqvacitatem. Auguſtinus rectè, “
qvi eò magis ait ſolœciſmis & barbariſmis “
offendi homines, qvò infirmiores ſunt: & “
eò eſſe infirmiores, qvò doctiores videri ve- “
lint, non rerum ſcientia, qvæ ædificat, ſed “
ſignorum, qvâ non inflari difficile eſt, qvum “
& ipſa rerum ſcientia ſæpè cervicem erigat, “
niſi dominico reprimatur jugo. Nolim ta- “
men hoc ſibi nomine imperiti & ſordidi “
ſcriptores plaudant, tanqvam res habeant, “
qvia verbis carent: imò duplici crimine “
ſunt iſti damnandi, qvod qvum rerum eſ- “
ſent vacui, nitorem omnem atqve elegan- “
tiam verborum abjecerunt, nam ſi res eſſent “
penes illos, indocti profectò atqve iniqvi “
eſſet, de vocibus movere illis controverſiam “
ullam, aut qverelam omninò aliqvam: qvo “
appareat multa eſſe verba ne qvicqvam Jo- “
hanni Pico profuſa in illa ad Hermolaum “
epiſtola nobili: Non enim res ſunt apud “
Avenroem & Scotum, qvod ipſe ſibi ſu- “
mit,

„ mit, qvi à nobis non tàm ut ſpurci, qvàm
„ ut inanes culpantur, in ſcholis & tota vita
„ qvantumcunqve ob ingenium, judicium,
„ ſtudium, eruditionem multiplicem, cogni-
„ tionem variarum rerum latè patentem,
„ laudetur quis, de virtute certè ac pietate
„ laudari coram non oportet, ne levi illa ex-
„ tollatur aurula, & id ipſum bonum, de quo
„ laudatur, dùm laudatur, amittat: nec ab-
„ ſentem niſi parcè, & de operibus quæ vide-
„ mus. Paulus non vult quenquam de ipſo
„ judicare, aut ſentire, ſupra id quod videat in
„ eo, vel audiat: & ſapiens neſciri ait ab ho-
„ mine, odio ne an amore dign' ſit: videlicet
„ finis eſt expectandus in uno quoque homi-
„ num, animali ad mutationem promptiſſi-
„ mo. Viri docti eo inter ſe debent eſſe affe-
„ ctu, ut juxta Pauli ſententiam, nec invicem
„ judicent, nec judicari ægrè ferant: Sed u-
„ trique expectent patienter tribunal & fo-
„ rum illud Domini ſanctum & juſtum. Ju-
„ dicans dementer & flagitiosè agit, qui de
„ conſervo ſuo communi Domino præjudi-
„ cat: Judicatus autem tractet animo id, quo
„ ſe Paulus conſolabatur. Ego verò nihill
„ facio à vobis judicari, vel ab humano die:
„ Dominus eſt, qui verè & juſtè eſt de me ſen-
„ tentiā laturus: illius cognitionē reformi-
„ do, illi quantum poſſum, me ipſe paro. Non
„ deerunt magnæ eruditioni, qui invideant:
res

Digitized by Google

res altas & pulcherrimas morſu appetit li- “
vor, fœda & jacentia prætermittit illæſa. “
Themiſtocles Athenienſis homo, quod res “
ejus docuerunt, acutiſſimus, rogatus à quo- “
dam, an præclara jam ſibi videretur agere; “
nondum inquit, nam invidos non habeo. “
Quod ſi ea eſt lex, quam ſibi humana mali- “
tia impoſuit, ferat Vir ſapiens communem “
ſortem, nec indignetur ſibi accidere, quod “
omnibus. Nec adeò contendat impetrare, “
quod ab eo patre filius non impetravit uni- “
cus, chariſſimus, ut in ſuo mundo deeſſent “
ſibi calumniatores & malevoli, qui divinâ “
illius opera in partem peſſimam raperent. “
Vult ergo lege hâc ſervus nequam domi a- “
lienæ ſolvi, quâ filius domi ſuæ tenebatur? “
Sed nec eſt tamen à benefaciendo propter “
invidos & maleficos ceſſandum. Accipite “
Socratis Orationem, quæ eſt à Platone in e- “
jus Apologia perſcripta. Si mihi Viri A- “
thenienſes in præſentia concedatis vitam “
hâc conditione, ut ne poſthac in ſapientiæ “
inquiſitione verſer, diligo quidem vos: ſed “
DEO certum eſt parere potius quàm vobis, “
ac quamdiu vivam & valebo, philoſophari, “
atq; unumquemque veſtrum adhortari ad “
virtutem non deſiſtam. Et quando is qui “
eruditionem eſt nactus, non præſentibus “
tantummodo, nec iis quibus cum vivit, pro- “
deſſe volet, verum abſentibus quoq; & po- “
ſteris

„ ſteris, ſenſa animi ſui monimentis Litera-
„ rum ad diuturnitatem conſignabit. Princi-
pio noſcat ſe & vires ſuas expendat, quibus
„ polleat rebus, quib⁹ ſit ſcribendis idoneus:
„ aptiſſimi omnium ſunt ad monimenta inge-
„ nii tradenda poſteris, qui judicio præditi
„ vegeto & acri, ad conjectandum ſunt dex-
„ terrimi. Qui verò diligentia ſolum va-
„ lent, ingenio non item, ea ſibi deſumant,
in quibus diligentiâ ſit opus, non acumine:
„ abſtinebunt ab orationibus, ab hiſtoria, cui
„ conciones ſint admiſtæ, à primâ Philoſo-
„ phia, à præceptis morum: tractabunt obſer-
„ vationes, collectanea, nudos annales, emen-
„ dationes autorum, collatis codicibus, quod
„ fecit Valer. Probus, non addita ſua conje-
ctura: nam hoc munus eſt judicii. Non e-
„ jusdem eſt & multa colligere, & de illis o-
„ mnibus exactam ſententiam & judicium
„ promere. Idcirco ſtudioſi, qui nihil inter-
„ mittendo multa legunt, multa audiunt,
„ multa ſcribunt, & colligunt, judicio ferè ſe-
„ ipſos privant præcipuo bonorum omnium
in vita. Danda eſt ſua ſtudiis relaxatio, &
„ vividius eſt judicium animi non fatigati.
„ Curſus, ſaltus, deniq; labores omnes fortius
„ ac validius ex intervallo exequimur. Scri-
„ pturo multum eſt legendum, meditandum,
„ ſcribendum, emendandum, edenda pauciſ-
„ ſima: harũ actionũ hæc eſt, niſi fallor, pro-

portio:

by Google

portio : lectio ſit ut qvinq;, meditatio ut “
qvatuor , ſcriptio ut tria , emendatio redi- “
gat illa ad duo , ex his duobus unum profe- “
rendum in apertum. Ad hoc opus maximi “
momenti purior ab affectibus & ſedatior ac- “
cedat, qvàm ad aliud qvodcunq;, etiam pa- “
cem à DEO & veniam precatus. Veniet il- “
li in mentem vocem diſſolvi ſtatim , exaudi- “
ri à paucis, ſcripturam omnibus innoteſce- “
re, & ſemper : Idcircò nunqvam non læde- “
re, qvæ hic ſint mala : non ſument in ma- “
nus ſtilum, qvamdiu irâ vel odio, vel metu, “
vel ambitione, vel qva alia prava cupidita- “
te agitantur. Si eam deponere non poſ- “
ſint, ſtilum citius deponant , ne qvid vene- “
ni in opus transfundatur animo, id eſt ex “
fonte. Poſteaqvam ſcripſeris, oſtende iis “
opus, à qvibus rectè admoneri te poſſe con- “
fidas, eorumq; ſententiam attentus ac pa- “
tienter auſcultato, qvam tecum æqvo ani- “
mo reputes, ut qvæ videbuntur corrigas. “
Qvantò ſatius eſt ab amico privatim admo- “
neri , qvàm ab inimico publicè objurgari ? “
Sunt tamen nova qvædam inventa, qvæ me- “
lius poterit autor ipſe arbitrari ac judicare , “
qvàm alius qvivis. Primum cum pariet, “
ne afficiatur amore fœtûs nec dum viſi : qvæ “
res vehementer judicandi facultatem debi- “
litat, qvùm prius qvàm cognoſcamus, dili- “
gimus : qvod parentes in filiis faciunt , qvi “

„ nondum natos jam amant, qvò ſit, ut mox „ cenſere de natis non valeant. Hinc qvod „ Qvintilianus conſulit, opus aliqvantiſper „ ſeponat, ut ad illud poſtmodum refrigera- „ to jam inventionis ardore tanqvam alie- „ num redeat, lector, non autor: accedet „ multum judicio ex dilatione, tùm compa- „ ratione ſui atqve aliorum. Qvæ omnia ſi „ probè ſit executus, opus tamen pergat pla- „ cere, bonam debet autor ſpem concipere „ placitum qvoq; iri aliis. De emittendo in „ publicum verſiculus eſt Horatii, ne præcipi- „ tetur editio, nonumqve prematur in an- „ num: ex cujus duabus partibus priori „ conſentio, poſteriori non item. Neqve e- „ nim videtur mihi in tanta vitæ brevitate „ expedire, ut nonus demùm annus fœtum „ nobis pariat: ſed neqve in univerſum po- „ teſt dari certa regula propter varietatem in- „ geniorum & operum: ſatis fuerit admoni- „ tam eſſe cujusqve prudentiam, non oporte- „ re editionem tanqvam immaturum par- „ tum ante tempus ejici. Nam propoſita „ qvacunq; re, neceſſe eſt judicium anteqvàm „ ritè de illa ſtatuat, qvæ ad illam pertineant „ omnia attentè & ſubtiliter circumſpicere, „ qvod fieri cogitationes præceleres non ſi- „ nunt, ut qvæ intentionem mentis in unum „ aliqvid rapiunt penitus, & à contemplati- „ one totius avertunt: Itaqve fallitur ſcri-

bens

bens ipſe, & falſos alios qvi ſe illius commi- "
ſerunt fidei, in eundem ſecum errorem tra- "
hit: qvodqve ſemel erit pravum, ſi de eo "
admoneatur à qvoqvam, pertinaciter defen- "
dit, ne lapſus credatur, unde oriuntur ſe- "
ctæ, feraciſſimum rixarum ſeminarium. Sin "
ipſe errorem ſuum ſponte agnoſcit, non e- "
mendat ſimpliciter, ſed ambiguè & perple- "
xè, nomini magis, qvàm veritati conſulens: "
hinc ſunt editiones fictæ & refictæ toties, ut "
aliqvanto poſt neſciatur qvæ prima ſit illa- "
rum, qvæ altera, vel tertia, qvæ autoris ipſius "
ſententia, qva ſtandum: idqve fit tanto "
confuſius, & incertius, ſi qvo ſecunda aut "
tertia, & aliæ deinceps recognitiones non "
pervenerint. Neqve verò me fugit, eſſe "
nonnulla, qvæ primo qvoqve tempore ne- "
ceſſe erit evulgari: de qvo genere ſunt nar- "
ratio rei geſtæ ad plurimos viventium "
pertinentis, tùm qvæ inſectandi criminis "
in commune noxii, aut depellendæ à nobis "
calumniæ componuntur: ea ſatis fuerit di- "
ligenter eſſe à nobis excogitata & perſcri- "
pta, nam dilationem res non ferunt: nec "
qvæ ſunt ejuſmodi, præcipitata dici debent, "
ſed maturata. Non deſunt qvæ deterit "
cura, non emendat: ſunt enim ingenia "
tàm ſubiti ac vividi impetus, ut eorum ope- "
ra meliora ſint effuſa, qvàm refuſa. Qvæ "
poſt editionem videbuntur autori ipſi pa- "

„ rum rectè expenſa, corrigat planè, apertè, ſimpliciter, magis de claritate veritatis ſolicitus, qvàm de ſua ipſius: ſed nec ipſe jacturam ullam fecerit exiſtimationis: qvis enim eſt uſqvam adeò rerum humanarum expers, & ignarus, ut neſciat optimos qvosqve & ſapientiſſimos Viros tempore ac ſtudio in melius proficere? An ego excellentis ingenii Virum, nihil plus credam aſſecutum ſenem eſſe, qvàm juvenem? Iners profectò ac miſerrimum eſt ingenium, cui non plus poſterior dies, qvàm prior adfert. Si libri ſint dogmatici ſparſi jam & evulgati admodum, conſultiſſimum erit librum correctionum exemplo Divi Auguſtini componere: aut ſi qvid erit addendum, ſecundam editionem ſeorſim dare, ut feciſſe videmus Boethum Severinum. Sin opus vel non continet dogmata, vel non adeò eſt diffuſum, licebit, qvod eſt apud Poëtam, male tornatos incudi reddere verſus, & opus reconcinnare, atqve etiam ſi res ita ferat retexere de integro. Qvòd ſi ab aliqvo corrigatur, agnoſcat beneficium, & palam agat gratias. Veritas enim pro qvâ nos in acie convenit ſtare, nullius eſt propria, ſed communis omnium: Qvòd ſi iſte in eam inciderit, iraſci te non oportet illi, potius gratulare felicitatem, qvàm & tibi licet eſſe cum illo communem. Sed procul dubio ita res habet,

habet, qvi pro veritate certant, ſic ſunt ani- “
mati, ut eam à qvocunqve inventam com- „
plectantur, qvi autem pro ſuis inventis, id “
eſt pro ſuo nomine ac gloria, tanqvam aras “
& focos, qvicqvid ab eis prodierit tueantur: “
cujuſmodi ſunt in omni qvidem diſciplina “
complures, ſed in iis potiſſimum artibus, “
qvæ circa ſermonem occupatæ ſunt, Gram- “
matica, Poëtica, Rhetorica, & ea, qvæ cum “
his eſt conjuncta, Philologia: primum “
qvod peritia verborum, ut rectè eſt ab Au- “
guſtino ſcriptum, valde inflat: deinde “
qvod horum opera magis videntur eſſe il- “
lorum fœtus, qvàm qvæ Philoſophi aut “
Theologi conſcribunt; Orationem enim “
Orator peperit, Poëta Carmen: Veritatem “
non peperit Philoſophus; aut Theologus, “
ſed natura: ideoq; verax Philoſophus con- “
tradictionem opinionis ſuæ, naturæ potiùs “
interpretatur eſſe injuriam, qvàm ſui. At “
qvi falſum comminiſcitur, ægrius fert repu- “
gnari ſibi: qvàm qvi aſſerit verum: nam ve- “
rum nemo gignit, falſum ex mendace ipſo “
naſcitur: itaqve qvi verum affirmat, propu- “
gnationem ſui dicti naturæ, tempori, DEO “
committit, qvi falſum, ipſe ſibi illius tute- “
lam ſumit: Accedit his, qvod verba velut “
facies & forma qvædam ſunt exterior, ſen- “
ſa autem interiora illa referunt, ceu vale- “
tudinem & mentem: Indignius verò for- “

,, moſi accipiunt cutem & lineamenta ſua
,, perſtringi, quam boni ſuam virtutem: ci-
,, tiusqve Vir probus malum ſe appellari æqvi
,, boni faciet, qvàm ſpecioſus deformem.
,, Qvæ ad mores non pertinent, ea grave eſt
,, ad alienum nos ſtomachum aut judicium
,, formare. In iis verò, qvibus homines vel
,, meliores fieri vel pejores poſſunt, publicos
,, præfectos eſſe aliqvos examinandis libris
,, expedit, Viros judicio, doctrinâ, probitate,
,, in toto populo præcipuos ac
,, ſpectatos.

COM-

COMMONEFACTIO V.

LITERATUS EX MISERO FELICISSIMUS,

SIVE

DE ADMIRANDA ERUDITORUM HOMINUM

[à PROFANA VANITATE AD PIETATIS SINCERÆ STUDIA ET EXERCITIA CONVERSORUM]

METAMORPHOSI, SUMMAQVE BEATITUDINE.

Ad Fel. Lit. Diſſert. prælimin. Num. IX.

I.

SI ullius unqvam LITERATI VIRI à profanâ & exiciali vanitate, ad pietatis ſinceræ ſtudia CONVERSIO memorabilis, & qvæ cādem excepit felicitas inſignis fuit, D. CÆCILII fuit, cognomēto CYPRIANI, ut planè idea qvędã & exemplar illuſtriſſimū dicī

dici poſſit ERUDITORUM, profanæ valedicentium ſtoliditati, & Chriſti jugum, excuſſis glorioſæ vanitatis onerib[9] ſuſcipientium: Ideò qvondam miſer & infelix erat Cyprianus, qvia *Gentilis*, & ideò miſerior, qvia ſimul *Dæmonum cultor*; ideò tandem miſerrimus atqve infeliciſſimus, qvia *perſecutorem Chriſtianorum* (dicente Nazianzeno) *egit acerbiſſimum*. Verum libertati tandem optatiſſimæ transſcriptus, Chriſtoqve benegniſſimè vocanti vindicatus, uberrimam lætitiæ ac ſpiritualis gaudii (ſolis literatis ad DEUM converſis propriæ) materiam invenit, *nimirum poſtqvam idolorum cultum, pariter ac adamatas profanæ ſcientiæ copias, litigantium rixas & contentiones, Rhetorum mendacia, Senatorum dignitatem, gloriam fluxam & fragilem, aliaqve omnia veræ fidei, ac ſinceræ pietatis amore reliqviſſet, & à MUNDO SEJUNCTUS, cuncta quæ in eo ſunt altiſſimo ſupercilio deſpexiſſet, ac EI tantum, qvi Optimus Maximus eſt vivere cœpiſſet.* Nonniſi in PIO ſuo SECESSU optatam animi tranqvillitatem felix ille ſolitarius fuit indeptus; cumq; antea per varios animi æſt[9] atqve jactationes, cum errore & infidelitate, & qvaſi ſecum bello inteſtino multum decertaſſet, tandem cœleſti beneficio ductorem impetravit Sanctum Spiritũ, qvi ad ſolidæ pietatis dogmata eum introduxit. Cæterum omni

Confer Nazian. Orat. XVIII. in laud. Cypr. ubi hæc leguntur verba: Dæmonum cultor erat, qvi Chriſti poſtea diſcipulus evaſit &c. *Vid. qvoq; Acad. J.C. Vet. p. 56.*

omni deinceps id egit ſtudio, ut luculentiſſimum FIDEI ac VIRTUTIS Chriſtianæ exẽplum præberet. Sed juvat ipſum Cyprianum, de feliciſſima ſua metamorphoſi, ſive ſaluberrimâ à vanitate profanâ ad pietatem Chriſtianam converſione audire diſſerentem, qvippe qvam verbis ſignificantiſſimis Donato ſuo [cum ambo nuper à ſecularibus Oratorum diſciplinis ad DEUM converſi, unà feriis vindemialibus ruſticarentur] expoſuit, ac ſimul Literati ſummè beati ideam ad hunc modũ dedit conſpiciendã: *Ergò cùm in tenebris atq; in nocte cœca jacerem, cumqve in ſalo jactantis ſeculi nutabundus ac dubius, veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vita mea neſcius, veritatis ac lucis alienus, difficile prorſus ac durum pro illis tunc moribus opinabar, qvod in ſalutem mihi divina indulgentia pollicebatur, ut qvis renaſci denuò poſſet, utqve in novam vitam, lavacro aqua ſalutaris animatus, qvod prius fuerat exponeret, & corporea licet manente compage, hominem animo ac mente mutaret. Qvi poſſibilis, ajebam eſt tanta converſio, ut repente ac perniciter exuatur, qvod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel uſurpatum diu ſenio vetuſtatis inolevit? Alta hæc, & profunda penitus radice hæſerunt. Qvando parſimoniam diſcit, qvi epularibus cœnis & largis dapibus aſſvevit? & qvi pretioſa veſte conſpicuus in auro atqve in purpura fulſit,*

Vid. Cypriani epiſt. elegantiſſ. ad Donat. quæ numero eſt prima, edit. Pariſ. 1666.

ſit, ad plebejum ſe ac ſimplicem cultum qvando deponit? Faſcibus ille oblectatus & honoribus, privatus & inglorius eſſe non poteſt - - - - Hæc egomet ſæpè mecum; nam ut ipſe qvamplurimis vitæ prioris erroribus implicitus tenebar, qvibus exui me poſſe non crederem; Sic VITIIS adhærentibus obſecundans eram, & deſperatione meliorum, malis meis veluti jam propriis ac vernaculis favebam, ſed poſtqvam undæ genitalis auxilio, ſuperioris ævi labe detersâ, in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit, poſtqvam cœlitus ſpiritu hauſto, in novum me hominem nativitas ſecunda reparavit; mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, facultatem dare, qvod prius difficile videbatur, geri poſſe, quod impoſſibile putabatur: ut eſſet agnoſcere terrenum fuiſſe, qvod prius carnaliter natum delictis obnoxium viveret; DEI eſſe cœpiſſe, qvod jam Spiritus Sanctus animaret. Scis ipſe profectò, & mecum pariter recognoſcis, qvid detraxerit nobis, qvidve contulerit mors iſta criminum & vita virtutum. Scis ipſe nec prædico, in proprias laudes odioſa jactatio eſt, qvamvis non jactatum poſſit eſſe, ſed gratum, qvicqvid non virtuti hominis adſcribitur, ſed DEI munere prædicatur, ut jam non peccare eſſe cœperit fidei; qvod ante peccatum eſt, fuerit erroris humani. DEI eſt inqvam, DEI omne quod poſſumus: inde

vivi-

Digitized by Google

vivimus, inde pollemus, inde ſumto & concepto vigore, hic adhuc poſiti, futurorum indicia praenoſcimus. Ita præclarè Cyprianus.

II. O beatam Literati Hominis metamorphoſin! O ſanctū Apoſtatam, ô terq; qvaterq; felicem ſolitariū; *qvi cum temporis plurimum* (uti de ſe qvondam ſcripſit Baſilius) *vanitati impendiſſet, omnemq; juventutem inani ſtudio attriviſſet, tandem aliqvando velut ex gravi ſomno expergefactus, ad Evangelica Veritatis admirabile lumen reſpexit*, atqve verè ſalutarem & glorioſum SECESSUM, cum cæteris priſci ævi Doctoribus feliciſſimis eſt meditatus. Demus, alterum illum Cypriani SECESSUM (qvo ſcil. perſecutionis tempore latebras petiit) probro non caruiſſe apud qvoſdam de Chriſtianâ fraternitate, qvi Tertulliani ad Fabium de Fugâ in perſecutione diſputationem legerant, atqve Viri innocentiſſimi conſiliū graviter ſunt calumniati; iſta tamen ſaluberrima ſanctiſſimaqve à Mundo īmundo ſejunctio, omnium dehinc probata calculis, omniumq; lingvis & calamis fuit celebrata. Exceperat qvippe eandem nō ſollicita ſolum morum & ſtudiorum correctio, & vitæ ad pietatis Chriſtianæ leges diligens conformatio, verum etiam flagrantiſſimum alienæ ſalutis deſiderium, illam, qvam modo laudavimus, beatiſſimi Cypriani converſionem fuit concomitatum. Qvantum bone DEUS Cypri-

Baſ. M. epiſtol. LXXIX ad Euſt.

De qvibus conf. pium Lit. hom. ſeceſſ. p. 24. ſeqq.

Cypriani fuit gaudium, gratulatio qvanta, de DONATO ſuo (intimo amicorum) cœlo redonato, atqve pari felicitate ad ſvaviſſimum Chriſti jugum adducto! Teſtes laudo illas ipſas elegantiſſimas Viri ad Donatū literas, qvibus admirabilem divinæ gratiæ in mutandis hominum animis efficaciam exemplo proprio demonſtravit, atqve Donato, in pietatis ſtadio jam jam conſtituto, calcar addidit, viamq; tutiſſimam oſtendit, qvâ ipſe pariter ad veræ imperturbatæqve felicitatis metam devenire poſſit. *Si tu innocentiæ, ſi juſtitiæ viam teneas, ſi illapſa firmitate veſtigii tui incedas; ſi in DEUM viribus totis, ac toto corde ſuſpenſus, hoc ſis tantum, quod eſſe cœpiſti; tantum tibi ad licentiam datur, quantum gratiæ ſpiritualis augetur. Non enim (qui beneficiorum terreſtrium mos eſt) in capeſſendo munere cœleſti, menſura ulla vel modus eſt; profluens largiter ſpiritus nullis finibus premitur, nec coercentibus clauſtris intra certa metarum ſpatia frænatur: manat jugiter, exuberat affluenter; noſtrum tantum ſitiat pectus & pateat; quantum illuc fidei capacis afferimus, tantum gratiæ inundantis haurimus. Inde jam facultas datur, caſtita-*

Cyprian. cit. epiſt. II. ad Donat.

ſtitate ſobriâ, mente integrâ, voce purâ, virtute ſincerâ, in medelam dolentium vulnerum, poſſe venenorum virus extinguere, animorum deſipientium labes reddita ſanitate purgare, infeſtis jubere pacem, violentis quietem, ferocientibus lenitatem; immundos & erraticos ſpiritus, qui ſe expugnandis hominibus immerſerint, ad confeſſionem minis increpantibus cogere ut recedant, duris verberibus urgere, conflictantes, ejulantes, gementes, incremento pœnæ propagantis extendere, flagris cædere, igne torrere. Res illic geritur, nec videtur: occulta plaga, & pœna manifeſta. Ita quod eſſe jam cœpimus, acceptus ſpiritus licentiâ ſuâ potitur; ſed quod nec dum corpus ac membra mutavimus, adhuc carnalis aſpectus ſeculi nube cæcatur. Quantus hic animi potentatus, quanta vis eſt? non tantùm ipſum eſſe ſubtractum perniciofis contactibus mundi, ut qui expiatus & purus nulla incurſantis inimici labe capiatur; ſed adhuc majorem & fortiorem viribus fieri, ut in omnem adverſarii graſſantis exercitum imperioſo jure dominetur?

III. Igi-

III. Igitur ſollicita Cyprianum ad pietatis ſtudia converſum, cura verſavit, ut fratres devii ac errabundi commilitones ad perpetuæ Salutis domicilium deducantur, ut ſocii profundo ſepulti lethargo excitentur, & ad lucis perennis claritatem perveniant, qvorſum & iſti ſanctiſſimi Viri ad Donatum ſuum ſermones: *Atqve ut illuſtrius veritate patefactâ divini muneris indicia clareſcant, lucem tibi ad cognitionem dabo, malorum blandientium caligine abſterſâ, opertas ſeculi tenebras revelabo. Pauliſper te crede ſubduci in montis ardui verticem celſiorem, ſpeculare inde rerum infra te jacentiũ facies; & oculis in diverſa porrectis, ipſe à terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere. Jam ſeculi & ipſe miſereberis, tuiqve admonitus, & plus in DEUM gratus, majore lætitiâ qvod evaſeris, gratulaberis. Cerne tu itinera latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus, cruento horrore caſtrorum bella ubiqve diviſa: madet Orbis mutuo ſangvine; & homicidium cum admittunt ſinguli, crimen eſt; Virtus vocatur cum publicè geritur* &c. Hæc & plura alia ſeculi corrupti probra, cum Cyprianus Donato ſuo prolixè recenſuiſſet, pium & ipſi commendavit Seceſſum, in qvo velut in egregio ſapientiæ ſublimioris ſacrario abſconditus, res curaſqve hominum è longinqvo tutius intueri, DEO felicius inſervire, & ad

& ad veræ felicitatis, optatæqve tranqvillitatis arcem rectius devenire poſſit: *Una igitur* [ait notanter] *placida & ſida tranqvillitas, una ſolida, & firma & perpetua ſecuritas, ſi qvis ab his inqvietantis ſeculi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione fundetur, ad cœlum oculos tollat à terris, & ad Domini munus admiſſus, ac DEO ſuo mente jam proximus, qvicqvid apud cæteros in rebus humanis ſublime ac magnum videtur, infra ſuam jacere conſcientiam glorietur. Nihil appetere jam, nihil deſiderare de ſeculo poteſt, qui ſeculo major eſt. Qvam ſtabilis, qvam inconcuſſa tutela eſt, qvam perennibus bonis affluens cœleſte præſidium, implicantis Mundi laqveis ſolvi in lucem immortalitatis æternæ de terrena fæce purgari. Viderit qvæ in nos prius infeſtantis inimici pernicies inſidioſa graſſata ſit! Plus amare compellimur, qvod futuri ſumus: dum & ſcire conceditur, & damnare qvod eramus. Nec ad hoc pretiis, aut ambitu, aut manu opus eſt, ut hominis ſumma vel dignitas vel poteſtas elaboratâ mole pariatur: ſed gratuitum de DEO munus & facile eſt, ut ſponte Sol radiat, dies illuminat, fons rigat, imber irrogat; ita ſe ſpiritus cœleſtis infundit. Poſtqvam auctorem ſuum, cœlum intuens anima cognovit, ſolo altior, & hâc omni terrena poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, qvod ſe eſſe credit. Tu tantum, qvem*

jam

jam ſpiritalibus caſtris cæleſtis militiæ ſignavit, tene incorruptam, tene ſobriam religioſis virtutibus diſciplinam. Sit tibi vel oratio aſſidua, vel lectio: nunc cum DEO loqvere nunc DEUS tecum; ille Te præceptis ſuis inſtruat, ille diſponat: qvem ille divitem fecerit, nemo pauperem faciet. Penuria eſſe nulla jam poterit, cui ſemel pectus cœleſtis ſagina ſaturavit. Jam Tibi auro diſtincta laqvearia, & pretioſi marmoris cruſtis veſtita domicilia ſordebunt; cum ſcieris Te excolendum magis, Te potius ornandum, domum Tibi hanc eſſe potiorem, quam Dominus inſedit Templi vice, in qvâ Spiritus Sanctus cœpit habitare. Pingamus hanc domum pigmentis innocentiæ, illuminemus luce juſtitiæ. Non hæc unqvam procumbet in lapſum ſenio vetuſtatis, nec pigmento parietis, aut auro exoleſcente fœdabitur. Caduca ſunt qvæcumq; fucata ſunt, nec fiduciam præbẽt poſſidentibus ſtabilem, quæ poſſeſſionis non habent firmitatem. Hæc manet cultu jugiter vivido, honore integro, ſplendore diuturno; aboleri non poteſt, nec extingvi, poteſt tantum in melius corpore redeunte formari. Hæc interim brevibus, Donate cariſſime: nam etſi facilem de bonitate patientiam, mentem ſolidam, fidem tutam ſalutaris auditus oblectat, nihilq; tam tuis auribus gratũ eſt, moderari tamen dicenda debemus ſimul juncti, & ſæpius colloqvuturi.
Feliciſſimorum itaqve Literatorum albo inſeren-

rendus etiam erit Cæcilius Cyprianus, ſiqvidem & ipſe non in excolendâ ſolùm verâ ſinceraqve pietate fuerit occupatus, verum etiam in convertendis qvoqve, & ad ſalutis ſemitam reducendis fratribus ſuis operam adeò ſalutarem duxerit collocandam, gnarus qvippe, nullâ re perinde Deum delectari, ut hominis emendatione & ſalute, nec gratius illi officium præſtari, qvam ſi univerſam vitam ad commune emolumentum conferamus. Qvod ipſum Doctoris feliciſſimi exemplar, ſi magis ſollicitâ curâ ſibi imitandum ſumerent illi, qvi publicos cœleſtis veritatis præcones agunt, haudqvaqvam ad privatam reſpicientes utilitatem, neqve ſacrum miniſterium ad ambitionis argumentum vertentes, ſed potius de proximorum ſalute procurandâ, ſanctiſſimiqve Numinis gloriâ adaugenda apprimè cogitantes, fructus eqvidem laborum ſuorum caperent æqve copioſos, & alios atqve alios cum Cypriano Donato [cælo redonandos] à vanitate ad pietatem converſos, vel in ipſo pietatis curſu alacriter proficientes, inq; omni virtutis genere effloreſcentes conſpicerent.

IV. Laborantem in conqvirendis profanæ Eruditionis theſauris Amicum, & toto cœlo à veræ beatitudinis ſcopo aberrantem, cum æqve inſignis & præclarus Theoſophus cōſpiceret, vehementiſſimè ingemuit, ejuſq;

H miſe-

B. Petr. Mauritius ſeu Venerabil. Lib. I. ep. 9.

miſeriæ etiam atqve etiam condolens, epiſtolâ peculiari (ad Cypriani, Donatum excitantis exemplum) BEATITUDINEM à Literato Homine unicè expetendam feliciſſimè commendavit, ad h. m. *Cum gravi humanorum ſtudiorum faſce Te onuſtum, nullamq́; labori Tuo mercedem, nullum oneri Tuo levamen videam, tempus inaniter Te conſumere ingemiſco. Si enim verè philoſophanti, hic ſolus, & certus finis eſt, ubinam vera beatitudo conſiſtat agnoſcere, & agnitam adipiſci, ut eâ adeptâ de MISERO poſſit eſſe BEATUS, nec beatitudo valeat dici, cui boni aliqvid deeſt, Summum autem Bonum BEATA ÆTERNITAS eſt; qvis dicere audeat, eum philoſophari, qvi univerſis laboribus ſuis, non ad æternam beatitudinem, ſed ad æternam miſeriam tendit? Sudaverunt in hujus beatitudinis inqviſitione antiqvorum ingenia, & qvod latiſſimè reconditum latebat, velut de occultis terræ viſceribus, multo conatu eruere contenderunt. Hinc artium adinventiones, hinc multiplices argumentationum perplexiones, hinc ſectarum in invicem pugnantium infinitæ diſſenſiones; qvarum aliæ in corporum voluptatibus, aliæ in animi virtutibus beatitudinem conſtituebant. Hos errare, & qvod in ſupernis celabatur, in imis qværere, & mendacii confuſione mortales in terris falli. Veritas de cælis veniens, ſimilibus malis laborantibus clamavit: VENITE*

AD

AD ME OMNES, QVI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS, &c. Et qvia eos profunda ignorantia teneri vidit, magiſterii voce aſſumta ſubjunxit: *DISCITE a ME QVIA MITIS SUM, ET HUMILIS CORDE, ET INVENIETIS REQVIEM ANIMABUS VESTRIS.* Et cum in montem conſcendiſſet, aperte non tantum ubi vera beatitudo invenienda, ſed etiam qvaliter ad eam perveniendum eſſet, edocuit: & omnium, beatitudinem inveſtigantium curioſitatem compeſcuit, dicens: *Beati pauperes ſpiritu, qvoniam ipſorum eſt Regnum Cœlorum.* Ecce ſine Platonicis meditationibus, ſine Academicorum diſputationibus, ſine Ariſtotelicis laqveis, ſine Philoſophorum doctrinis inventus eſt locus, & via beatitudinis --- Qvid igitur chariſſime Scholas oberras? Qvid millia verborum, qvid per multos labores inqviris, qvod ſimplici ſermone, qvod parvo labore ſi volueris, aſſeqvi poteris? qvid inani ſtudio cum Comœdis recitas, cum Tragœdis deploras, cum Metricis ludis, cum Poëtis fallis, cum Philoſophis falleris? Qvid jam non philoſophiæ, ſed qvod pace Tua dictum ſit, tantam ſtultitiæ operam impendis? Stultitiæ inqvam: Nam & hoc veri philoſophi dictum eſt: *Nonne ſtultam fecit DEUS ſapientiam Mundi?* Curre ergò fili mi ad propoſitam Tibi à cœleſti Magiſtro totius philoſophiæ uni-

cum fructum, *REGNI COELORUM BEATITUDINEM*. Tanti ſaluberrima hæc cohortatio apud turgidum inflatumqve literionem fuit ponderis, ut deſerta Sophiſtarum cathedrâ, onereqve graviſſimo depoſito, VERITATI rectiora ſvadenti aſſurrexerit, atqve ſinceram deinceps ſectatus ſit pietatem, viam ſc. (uti à Beato illo Mauritio edoctus fuerat) aggrediebatur ſpiritualis paupertatis, verusqve evaſit Chriſti philoſophus, ipſam Mundi ſapientiam in ſe ſtultam efficiens, divinoqve adjutus auxilio, hoſtes innumeros profligans, donec ad ſupremam devenit imperturbatamqve tranqvillitatem.

V. Eqvidem, ſi iſtud qvoqve præfulgidum exemplũ, Magniq; Theoſophi monitũ, cuncti ſeqvioris ætatis doxoſophi ad animũ ſuũ revocarẽt, & de supremâ beatitudine indagandâ, pariter ac conſeqvendâ magis ſollicitâ curâ cogitarent; minimè omniũ ſupremã felicitatẽ, vel in ſcientiæ multivariæ copiis, vel donorũ vulgò magni æſtimatorum apparatu exqviſitiori, vel ingenii uberioris præſtantiâ, qværendam ducerent: Siqvidem ea animi bona Literati Chriſtiani cum Sophis gentilium habeant communia, qvi etiam non rarò illos, ad donorum ejuſmodi præſtantiã qvod attinet, longiſſimè ſuperarunt. Neminem profectò in hiſtoriâ tum veteri, tum recentiori adeò hoſpitem eſſe exiſtimo, qvi ignoret.

Dona

Dona qvæ vocant Naturalia, freqventiſſimè mortalium etiam peſſimis atqve peſtilentiſſimis competiiſſe. Et cum bona ea duplicis ſint generis; vel à naturâ nobis inſita, vel adventitia & acqviſita, dubium non eſt, qvin utraqve itidem in improbis, & extra Eccleſiæ pomœria conſtitutis, majori qvandoq; menſurâ conſpiciantur. Qvantâ bone DEUS Naturæ præſtantiâ, (qvam Græci εὐφυΐας voce deſignant,) priſci conſpicui fuêre philoſophi, qvam promptâ memoriâ, atqve ad ea, qvæ ſibi tradebantur accipienda & retinenda tenaci emicuerunt! Planè ſtupendo ingenii acumine fuerunt præditi, & judicio limatiſſimo pollebant, ſummæ de inventis rebus diſſerendi dexteritate ſociato. De Mithridate Ponti Rege, ex Plinii indicio conſtat, eum duabus & viginti diverſis nationibus qvibus imperabat, ſuâ cuiqve lingvâ jus dixiſſe, & pro concione ſingulos ſine interprete compellaſſe. Themiſtoclem tam felici memoriâ conſpicuum fuiſſe Cicero tradidit, ut Simonidi, artem reminiſcentiæ pollicenti dixerit, ſe malle artem oblivionis, qvod etiam meminiſſet qvæ nollet, & qvæ oblíviſci vellet, non poſſet. *Nulla* ſcribit de eodem Themiſtocle Cornelius Nepos, *res major ſine eo gerebatur, celeriterq́; qvæ opus erant reperiebat. Neq́; minus in rebus gerendis promtus, qvam excogitandis erat: qvod &*

Plin. l. VII. hiſt. nat. c. 24.

de inſtantibus (ut ait Thucydides) veriſſimè judicabat, & de futuris callidiſſimè conjiciebat. Qvo factum eſt, ut brevi tempore illuſtraretur. De Marco qvoqve Tullio notabile eſt, qvod idem terſiſſimus ſcriptor Orbi prodidit, ad h. m. *Sic omnia de ſtudiis Principum, vitiis Ducum, mutationibus Reip. perſcripta ſunt* (in epiſtolis puta Tullii ad Atticum) *ut nihil in iis non appareat, & facile exiſtimari poſſit, prudentiam qvodammodo eſſe divinationem. Non enim Cicero ea ſolum, qvæ vivo ſe acciderint, futura prædixit, ſed etiam qvæ nunc uſu veniunt, cecinit ut vates.* Tacco incomparabiles veteris ævi poëtas & philoſophos, exaſciatæ itē eloqventiæ principes, graviſſimos ac probatiſſimos rerum ſcriptores, aliosqve doctrinæ pariter ac naturæ copiis inſtructiſſimos gentilium Magiſtros, qvi miſerrimâ ſuâ à veræ beatitatis tramite aberratione evidentiſſimè nos edocuêre, in bonis animi, ſeu naturæ præſtantiâ veram Literatorum hominum felicitatem neutiqvam eſſe repoſitam. Ipſi illi Sophi nominatiſſimi, Socrates, Seneca, Epictetus, Plutarchus, & alii, qvi moralium virtutum illuſtria qvæqve exempla & documenta ſuppeditarunt, neutiqvam ſalutarem illum imperturbatæ proſperitatis ſcopum attigêre, verum ab eo toto qvod ajunt cœlo aberrantes, ad extremas miſerias tandem fuerunt deturbati.

VI. Non

Digitized by Google

VI. Nõ alteri⁹ igitur BONI & DONI poſſeſſio LITERATOS HOMINES verè FELICES EX MISERIS reddit, qvã qvod PIETATIS CHRISTIANÆ venit nomine, & ACTIONIS ſecundũ VIRTUTEM OPTIMAM & perfectiſſimam elogio eſt conſpicuũ; Donum Scripturæ ſtilo id dixeris VERÆ & conſumatæ SAPIENTIÆ, qvam pluribus illa celebrat locis, eamq; cunctis ævi hujus ornamentis & emolumentis dicit præſtantiorem. *Propterea* (inqvit ſapiens) *optavi, & datus eſt mihi ſenſus, & invocavi, & venit in me SPIRITUS SAPIENTIÆ, & præpoſui illam Regnis & ſedibus, & divitias nihil eſſe duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretioſum, qvoniam omne aurum in comparatione illius arena eſt exigua, & tanqvam lutum æſtimabitur argentum in conſpectu illius. Super ſalutem & ſpeciem dilexi illam, & propoſui pro luce habere illam, qvoniam inextingvibile eſt Lumen illius.* Nullatenus Sapientiæ illius faſtigium in nudâ rerum ſacrarum cœleſtiumqve contemplatione, & otioſa ſpeculatione qværendum, ſed voluntas etiam ad ſanctiſſimi Numinis timorem & amorem excitanda, veluti inſigni qvodam loco Lactantius, veri cultûs divini, ſupremæqve ſapientiæ rationem tradi-

Sap. VII. Confer Proverb. VIII. Eccleſ. IV. XXIV. & XXXVII.

turus docuit; *In DEI* (en verba!) *agnitione & cultu rerum ſumma verſatur, in hoc eſt ſpes omnis, ac ſalus hominis, hic eſt ſapientiæ gradus primus, ut ſciamus qvis ſit nobis verus Pater, eumq́ʒ ſolum pietate debitâ proſeqvamur, huic pareamus, huic devotiſſimè ſerviamus.* Et alibi idem Lactantius; *In ſapientia* (inqvit) *RELIGIO, & in Religione ſapientia eſt, ergò non poteſt ſegregari; qvia ſapere nihil aliud eſt, niſi DEUM verum juſtis ac piis cultibus honorare.* Et rurſus; *Una ſpes homini, una ſalus in hâc doctrinâ, qvam defendimus poſita eſt, omnis ſapientia hominis in hoc uno eſt, ut DEUM cognoſcat & colat, hoc noſtrum dogma, hæc ſententia eſt. Qvantâ itaqʒ voce poſſum teſtificor, proclamo denuntio; hoc eſt illud qvod philoſophi omnes in tota vita ſua qvæſierunt, nec unqvam tamen inveſtigare, comprehendere, tenere valuerunt, qvia religionem aut pravam tenuerunt, aut totam penitus ſuſtulerunt.* O felices igitur, ô terqve qvaterqve beatos illos SAPIENTES CHRISTIANOS, qvi ignoratos à tantis doctrinæ profanæ Magiſtris theſauros inveſtigavere, pa-

Lactant. de vero cultu cap. 9.

Idem lib. de vera ſap. c. 3. conf. & c. 30.

Digitized by Google

re, pariter ac comprehendêre, *primum cogno-*
ſcentes ſeipſos (ut Auguſtinus egregiè ſcribit) *Auguſt.*
& corrigenda corrigentes, dein amantes ſuum *Man.*
Creatorem. Tantò amplius illi [ex mellifluì *cap. 26.*
Doctoris judicio] profundiusqve illuminan- *Bernar.*
tur, qvanto amplius cœleſtium rerum con- *de inter.*
templatione delectantur. *Ad hujus verò* *domo,*
(pergit notanter) *ſcientiæ plenitudinem,* *c. 7.*
opus eſt potius intimâ compunctione, qvam
profundâ inveſtigatione; ſuſpiriis qvam
argumentis; crebris lamentationibus, qvam
copioſis argumentationibus; lacrymis qvam
ſententiis; Oratione qvam lectione, cæle-
ſtium potius contemplatione, qvam terre-
ſtrium occupatione. Veros, ejuſmodi ſan-
ctosq; dixeris GNOSTICOS, non(qvales priſcũ
novit ævum) turgidos, vanos, & arrogantià
pariter ac erroribꝰ pudendis infames; Veros
inqvam, Literatos illos felices, miſeriisqve
ſuis ereptos, & optatâ metamorphoſi im-
mutatos, ſalutaveris GNOSTICOS, hoc eſt
ſupremâ [uti Clemens Alexandrinus præclarè
eos definivit] SCIENTIA præditos; Talis qvi *Clem.*
Gnoſticus eſt *(inqvit ille)* conſentanea *Alex.*
qvoqve Virtuti opera perficit; Qvi au- *in Strom.*
tem opera efficit, non ſtatim proinde
GNOSTICUS eſt: Trium rerum ſtu-
dium amplectitur talis philoſophus.

Nam & contemplationi deditus eſt, & mandata divina exeqvitur, & deniqve alios ad probitatem ac virtutem erudit. Qvæ qvidem cum in unum confluxerint, Gnoſticum omnibus numeris abſolvunt, qvodlibet autem horum defuerit, claudicat ſcientia. Qvi gnoſticus eſt, tam aliis peccatis abſtinebit, qvæ ſermone, qvam qvæ cogitatione, aut ſenſu aut opere perpetrantur. DEI cognitionem ii capere neqveunt, qvi à turbidis animi motibus abducuntur. Spiritualem & Gnoſticum eundem agnoſcit Paulus, nempe eum, qvi Spiritus ſancti diſcipulus eſt. Gnoſticus, cum id divinitus conſecutus eſt, ut prodeſſe poſſit, ad hunc modum juvat, ut alios per aſſectationem informet, alios per imitationem, cohortetur, alios deniqve præcipiendo erudiat, & doceat. Ac mihi qvidem, tres gnoſticæ facultatis effectus eſſe videntur, primus videlicet, res notas & exploratas habere, ſecundus easdem efficere, tertius deniqve in eo verſari, ut qviſpiam ea, qvæ apud veritatem abſtruſa & occulta ſunt, pro eo atqve DEO dignum

gnum eſt, aliis tradere qveat. Qvemadmodum DEUS, qvidqvid vult, poteſt, ſic qvicqvid petierit Gnoſticus accipit. Ut umbra corpus, ſic veram ſcientiam opera ſeqvuntur. Nunqvam injuriarum acceptarum memor erit Gnoſticus; nemini ſuccenſebit, etiamſi alioqvi odio digna fuerint, qvæ ille perpetravit. Etenim ut Creatorem colit, ſic vitæ ſocium amat, eumqve ignorantiæ nomine commiſeratur, ac pro eo preces adhibet. Gnoſticum nec opes unqvam delectatione afficiunt, nec opum penuria demiſſum & abjectum reddit; qvippe qvem virtus, & ſapientia in altum attollant, ac ſublimiorem iis reddant; adeò ut ob animi præſtantiam, eodem loco & jucunda, & injucunda habeat.

VII. Inter prima Secundi ſeculi lumina exoriebatur ABERCIUS, Hierapoleos in Phrygia Epiſcopus, feliciſſimis ævi iſtius Doctoribus Chriſtianis accenſendus, eò qvod GNOSTICUM talem egerit, Virtutem atq; pietatē ſincerā eruditioni haud vulgari duxerit ſociandā, nec nō cunctis Dominici gregis paſtorib⁹ vitæ morumqve integritate præluxerit. Et cum cura ac ſollicitudine ſingulari à

ri à parentibus ſuis eſſet educatus, à primâ pueritia pietati addictus, non bonis ſolum literis egregiam præ æqvalibus ſuis operam impendit, verum etiam ſingulari virtutum ſuarum ſplendore corruſcavit. Ignotus qvidem Abercius ille fuit Euſebio Cæſarienſi, aliiſqvè Scriptoribus priſcis, cum diu abſconditam in DEO vitam egerit, verum tandem aliqvando emerſit è tenebris, atqve inſtar clariſſimi ſideris emicuit, poſtqvam ſcilicet Acta ejus à Simeone Metaphraſte, talium antiqvitatum ſtudioſiſſimo perſcrutatore, è latebris ſuis eruta, atq; publicæ luci expoſita fuêre, ut qvi vivus atqve ſuperſtes perpaucis cognitus atqve auditus, plurimis deinceps innotuerit, atqve univerſam Eccleſiam Chriſtianam ceu gemma qvædam pretii ingentis decorarit. Ex laudati autē Simeonis indicio conſtat, Abercium illum ſupremi honoris faſtigium feliciter adeò conſcendiſſe, ut raro veterum decreto ἰσαπόστολος meruerit appellari. Qvæ inſuper in Menæo Græcorum leguntur actorum ejus epinicia, ea vivam ſpirantemqve qvandam Virtutis, doctrinæ exqviſitiſſimæ ſociatæ imaginem ponunt ob oculos. Ὅλος ἀνακείμενος θεῷ, *totus DEO dicatus* inibi ſalutatur Abercius, *qvi accepta cœlitus gratia gentilibus in ignorantiâ verſantibus divinam notitiam inſeruerit, multorum Deorum noctem diſſiparit,* in

Vid. Sim. Met. XX. d. Octobr.

Confer Menea Grecor. de Abercio apud

in tenebrarum jacentes caligine, filios lucis ef-fecerit, VITAM in terris cœleſtem egerit, in-qve carne velut abſqve carne vixerit perdomi-tis perturbationibus, omnibuſq́; (en ſummæ felicitatis literariæ characterem!) *ſalutis cauſa extiterit.* Reconditioris verò erudi-tionis egregia planè documenta, non di-vini ſolum Viri illius ſermones dedêre, *qvi-bus* (ut in ijſdem Menæis legitur) *eos qvi in perniciem deciderant, lapidibus cultum exhi-bebant, adorare petram Jeſum Chriſtum do-cuit, fidemq́; beatam prædicavit*; verum etiam liber ille inſignis; *qvem* (laudato Simeone teſte) *valde utilem compoſuit, atqve presby-teris ſimul & Diaconis ſuæ Diœceſeos tradi-dit, uti & poſt mortem per eum loqveretur, & qvodammodo poſteris prodeſſe nunqvam deſi-ſteret.* Sed & Epiſtolam longè utiliſſimam, felicē illum ex ſinceræ pietatis ſtudio atq; ex-ercitio literatū exaraſſe conſtat ad M. Aurel. Anton. Imp. qvæ ſi cū pluribꝰ aliis aliqvando communicaretur, gloriam Viri longè redde-ret illuſtriorem. Non pigebit Petrum Hal-loixium de inſigni fructuoſaqve doctrinâ A-bercii audire diſſerentem: Cum eſſent aliqvi [ex ejus nimirum auditoribus] qvos admiſ-ſorum conſcientia ſcelerum gravius contor-qveret, & qvos pede humano divina metien-tes, haud exiguus metus detineret, ne (ut fit inter homines) poſt tantaque in DEUM flagi-

P. Halloixium Tom. II. illuſtr. Eccleſ. Orient. ſcript. p. 44. ſeqq.

Confer Baron. in not. ad Martyrolog. Rom. 22. oct. & Tom. II. Annal. Eccl. ad ann. 163. Petrus Halloix. l. c. p. 18. ſeqq.

flagitia, illi haud ſatis grati acceptiqve eſſe poſſent, id edoceri à ſancto Viro expetierunt, num benignè ſcil. reſpecturus eos, recepturuſqve eſſet Dominus? an verò de ipſis propter ea peccata, qvæ qvondam in tenebris verſantes ignorantiæ admiſiſſent, & quorum jam eos puderet, pœniteretqve, debitas repetiturus pœnas eſſet, tum igitur Vir DEI, hâc arrepta prædicandæ divinæ benignitatis ac miſericordiæ anſa, qvâ potuit, maximâ & clariſſimâ voce; *Heus vos*, inqvit, *qvicumque jam Chriſto credidiſtis, hoc pro certo habere, & pulſa omni dubitatione credere debetis; ſiqvidem antiqvis veſtris malefafactis & paternis traditionibus obſtinatè non adhæſeritis, ſed ab omni malitia receptui cecineritis, hoc eſt, ab invidia, & odio, & maledicentia, & immunditia, & ſi ab alijs, quæcumqve ignorantes prius deliqviſtis, jam modo & deinceps per DEI gratiam deſtiteritis; erit ille vobis propitius, in qvem credidiſtis, & qvi flagitiis aggravatos, ad ſe invitans clamat;* Venite ad me omnes, qvi laboratis & onerati eſtis; & ego reficiam vos. *Nam talis qvidem ejus benignitatis innumera nobis ſuppetunt exempla. Quare qvi in illum credidiſtis, illi qvoqve animas veſtras dedicate, & ſpe veſtra, qvam in eo defixeritis, minime gentium excidetis. At enim graviter ſauvii ſumus, inqviunt, & ingentes plagas ſub*
dia-

diaboli tyrannide accepimus, dum nos hactenus corporeis voluptatibus totos immerſimus, & omne præteritum vitæ tempus neqviter ac luxurioſè tranſegimus, unde ex duriſſimo nunc malæ conſvetudinis dominatu, miſerè premimur, miſereq; affligimur, qvibus viciſſim beatus Antiſtes: *Accurrite igitur* inqvit, *qvàm citiſſimè ad Medicum; aſſumite jejunia, labores, precationes, lacrymas; peccatorum item confeſſionem, neqve enim tum vobis continget idem à Domino exprobari, qvod multis ante temporibus per Oſeam Prophetam Judæis exprobravit, cum dixit*: Qvid tacuiſtis impietatem, & fructum ejus vindemiaſtis? *Hos. X. v. 13.* *Hæc proinde* vobis ipſi adhibete multo ſaluberrima medicamenta, *& vulnerum veſtrorum nec tenue veſtigium relinqvetur.* Talibus itaqve ſermonibus publicis mirificè captus, atqve in matrem cœcam (qvam feliciter ille curaverat) collati beneficii memor Euxenianus qvidam, Vir prudens & doctus, Abercium die qvadam convenit, & per benignè ſalutatum ſic eſt affatus: *Si tibi pater caras eſſe pecunias cognoſcerem, non exiguam ſane facultatum mearum partem tibi libenter offerrem; qvippe qvi tam ſingulari matrem meam beneficio affeceris; ſed qvando præter alias animi dotes, qvas DEUS in Te magnas contulit, etiam his ſuperiorem te fecit, qvid nos Tibi, qvemadmodum ratio exigit,*

git, pro tanta rependamus gratia, niſi ut illam ipſam intimis inſcriptam animis perpetuò Tibi acceptam referamus. Tum Abercius prehenſa ejus dextra; *ſcias*, inqvit, *velim Vir optime, nulla mihi re alia tua opus eſſe, niſi ut tu, cum prudens ſis, rerumqve intelligens, fidelis fias ex infideli, & miſſa impia DEOrum ſuperſtitione, ad agnitionem venias veritatis. Malo enim te fidelem eſſe & pauperem, qvam illuſtrem qvidem ac divitem, ſed infidelem.* Tum ille Euxenianus: *Si igitur placet*, inqvit, *ô ſacrum Caput, eſt aliqvid mihi abs te hac de re inqvirendum: Nam audivi à matre mea non ſemel, ſæpius doceri abs Te eum, qvem palam annuncias DEum, modo benignum eſſe, & humanum, modo autem juſtum & terribilem: ac alios qvidem ut valde bonum præmiis remunerari; alios autem, tanqvam juſtum ac ſeverum ſuppliciis ulciſci. Si gitur ab amore manat iſta beneficentia & remuneratio, & contra ex odio ſupplicium atqve punitio, qvinam fieri poteſt, ut idem & bonus ſit, & juſtè æterna inferat ſupplicia? Qvia nimirum reſpondit Abercius, cum unicuiqve condigna meritis ſuis rependere boni ſit & juſti; Dominus iis, qvi ſe præclarè & ex virtute geſſerint, tanqvam natura bonus, benefacit; iis verò qvi neqviter ſe habuerint, & prava facinora deſignarint, tanqvam juſtè cuncta faciens,*

ciens, ac diſponens, pœnas & ſupplicia irrogat, cum nihil ſit, ſive eorum quæ facimus, ſive eorum quę vel cogitamus tantum, qvod ejus effugere ſcientiam conſpectumq́ poſſit. Qvam ſapientiſſimi Antiſtitis reſponſionem cum ſibi Euxenianus arridere declaraſſet, aliam turſus ex ea qvæſtionem movit: *Si DEus* inqvit *delectatur bonis, ecqvid cauſa eſt, qvamobrem ab initio talem non creaverit hominem, ut benè qvidem agere poſſet, malè autem non poſſet? Ita enim & ea qvæ illi grata eſſent, acceptaq́ faceremus, & pœnis obnoxii non eſſemus. Minimè verò ſic fieri debuit*, ajebat Abercius. *Nam & hoc ipſum ejus erga nos curam valdè commendat, qvod liberos homines condiderit. Si enim malè agendi poteſtas non ſuppeteret, tum nec benefacere nobis qvicqvam emolumenti importaret, cum ob ejuſmodi benefactum nec laude digni eſſemus, nec commendatione, qvandoqvidem ex rei natura factum ita eſſet.* His aliisqve pariter egregiis ſermonibus magnus ille Abercius non ſolũ Euxenianum lucrifecit, verum illuſtre admodum LITERATI ex omni parte FELICIS dedit documentum, donec ſupremum in Theoſophiæ ſacræ ſtudio honorem, Coronam ſcilicet illam immarceſſibilem divinâ benignitate eſſet

I con-

conſecutus. Feliciſſimum eqvidem Abercio exitum obtigiſſe, laudati encomiaſtæ tradiderunt, talemqve planè fuiſſe, qvalem totius anteactæ vitæ curſum, pietate ſcil. charitate, ſapientiâ, gloriâqve pleniſſimum. Nam ut diem ſibi adeſſe extremum ſenſit, accerſitis ad ſe Presbyteris & Diaconis, ac nonnullis item è populi primoribus, qvos Virtus & fidei ſtudium præcipuè commendavit, primo qvidem DEI Opt. Max. voluntatem è ſtatione hujus vitæ ipſum evocantis, perbenignè aperuit, tum verò ſublatis in cœlum oculis & manibus, votiſqve ad DEUM miſſis placidè exceſſit, atqve ad Angelorum Choros, qvi ut Angelus vixerat, Chriſto ſacros ejus labores remunerante, feliciſſimè conſcendit.

VIII. En veri Gnoſtici, vivis expreſſam coloribus imaginem! En Literati omnium feliciſſimi præfulgidum exemplar! Præſtant eqvidem Gnoſtici tales omnium aliarum Sectarum ſapientibus, non eo ſolum nomine, qvod ipſi verè ſinceréqve pii ſint, verum etiam in propagandâ virtute, inſtruendiſqve, & ad ſalutis ſemitam deducendis erronibus aliis operam collocare ſtudeant diligentiorem. Cura eos verſat aſſidua, ut qvam ipſi attigerunt felicitatis haud perituræ metam, cæteri etiam conſeqvantur, & æqve felici metamorphoſi, è miſeris & calamitoſis beatiſſimi evadant. Tantum abeſt, ut ullum

læ-

lædant vel verbo vel pravo qvopiã exemplo, ut cunctos poti⁹ puritate ac circumſpectione ſingulari ad omne bonum faciendum, & omne malum fugiendum inſtigent. Qvinimò ea charitatis [divinâ benignitate] augmenta accipiunt, ut nullos non ſvaviſſimos virtutis illius incõparabilis proferant fruct⁹. Diligunt proximos, devios etiam, & periculoſiſſimis involutos labyrinthis, ſicut ſeipſos, & ope pariter ac conſilio, oratione, & exhortatione ſalutari pro virili ſua eos ducunt ſublevandos. *Amant* (uti non nemo ſcripſit egregiè) *proximos verè, qvia non amant eorum bona, prout ſibi utilia, ſed eos ipſos, pront ſunt imagines DEI. Amant efficaciter, qvia dilectionis affectum opere & veritate declarant. Amant circumſpectè, qvia majora proximorum bona principalius qværunt, & minorib⁹ anteponunt. Amant ſpiritualiter, qvia non amant propter corp⁹, ſed corpus propter animam, & tanqvam animę domiciliũ reſpiciũt. Amant gratuitò, qvia ex ſuo amore ab aliis nullũ beneficium ſperant. Amant utiliter; qvia omnibus qvantũ poſſunt, benefici & fructuoſi exiſtunt. Amant perſeveranter, qvia gravi affecti injuria à dilectione nõ diſcedunt. Amãt manſvetè, qvia injurias ſibi à proximis illatas leniter ſuſtinent. Amant violenter, qvia propter alios ſua commoda, aut ſuam ſalutem corporalem tum opus eſt negligunt. Amant dulciter, qvia omnibus ut eos lucrentur, ſe ſine*

ullo detrimento accomodant. Amant ordinatè, qvia meliores & ſanctiores, ſi aliqva naturalis ratio contrarium non dictet, minus perfectis & peccatoribus præferunt. Amant deniqve ſublimiter, qvia omnibus cœleſtia bona exoptant, & ad æternæ beatitudinis aſſecutionem juvare feſtinant. Qvis obſecro Viros divinâ adeò luce perfuſos, & Sanctorum doctrinâ tam præclarè eruditos dicere dubitaret cunctorum qvos terra alit mortalium feliciſſimos? ſiqvidem inſignibus adeò ſinceræ charitatis floribus ornati, & à pravis inordinatiſq; affectib⁹ tantoperè repurgati compareant. Qvinimò iſtius qvoqve veritatis notionem GNOSTICI illi ſagaciſſimi aſſeqvuntur: præſtantiſſimum vincendarum paſſionum remedium, & acqvirendarū virtutum inſtrumentum ORATIONEM eſſe, ac intimam cum DEO familiaritatem, utpote qvæ intellectum illuminet, voluntatem inflammet, cogitationem purificet, appetitum componat, corpus ipſum emundet, & mentem cœleſtibus arcanis immergat. Validiſſimo hoc armorum genere inſtructi, hoſtes ſpirituales fortiter aggrediuntur, atq; ad veterem hominem exuendum, & novum induendum ſeſe accingunt. Contemplationis ad hæc ſtudio, ut orationis incumbentes impigrè, Creatoris collata in ſe beneficia recogitant, divinas perfectiones purificatæ mentis oculis contuentes, & divinorum oraculorum

lorum myſteria conſiderantes. Sed & latentis ſeculi Orbiſqve profanè-docti miſerias freqventiſſimè meditantur, Literatorum mundanorum deflent cœcitatem, & infinitas perverſorum Doctorum deplorant calamitates, qvorundam & ſtultitias irrident ac fatuitates, peccata præterita à ſe olim commiſſa indies abominantur, ſanctiſſimumqve adverſus ſe ipſos odium concipientes, nulli non piæ inhiant exercitationi. Jam de dulciſſimi ſui Domini gaudent bonis, jam in conſideratione divinorum beneficiorum exultant, jam ob injurias DEO ab iniqvis illatas contriſtantur, jam improborum & infidelium omnium converſionem, & divini Nominis exaltationem deſiderant; jam de piorum profectu ſpirituali, & ſacro incremento lætantur, jam incomprehenſibilem Majeſtatem ſummâ exultatione collaudant, jam Legum à ſupremo Rege latarũ ſtudent adimpletioni, jam divinę voluntati ſe totos & omnia ad ſe pertinentia ſubmittunt, jam creata exhorrent, viſibilia relinqvunt, humana tranſcendunt, ſe ipſos deſerunt, & in DEUM intellectu & affectu, imitatione & oratione ferventiſſimâ trãſire feſtinant. Nullis non feliciſſimi illi GNOSTICI gaudebunt bonis, divinis in hâc vitâ illuſtrationibus indies cumulabuntur, & in futurâ ſedem inter ſupremæ Curiæ Aulæqvæ Cœleſtis Proceres certo certius conſeqventur.

COMMONEFACTIO VI.

CEBES CHRISTIANUS,

DUX LITERATORUM AD VERÆ FELICITATIS, PERENNISQ; SALUTIS DOMICILIUM TENDENTIUM,

SIVE

TABULÆ CEBETICÆ,

ARDUAM PER ANGUSTA AD AUGUSTA VIAM PRÆMONTRANTIS, COMMENDATIO, ET SUPPLEMENTUM CHRISTIANUM.

Ad Fel. Lit. Diſſert. Prælimin. Num. IX.

I.

INter eos Gentilium Philoſophos, qvi ad optatæ *Felicitatis Literariæ* portum & ipſi adſpirarũt, & viam miſeris erronibus oſtendere laborarunt, MAGNO CEBETI Thebano, tantum non omnium præſtan-

ſtantium Virorum conſenſu palma tribuitur; Siqvidem nemo in cœtu illorum inventus ſit, qvi aptius vitæ humanæ errores, adeoqve putidiſſimos *Literariæ Infelicitatis* fontes detexerit, nemo qvi rationem ad imperturbatæ felicitatis arcem deveniendi curatius expoſuerit, vix aliqvis, qvi tum in excutiendis morborum myſticorum ſeminariis, tum oportunis etiã remediis præſcribendis operam fructuoſiorem collocarit, non fucato uſus dicendi genere, ſed planè forti & virili, qvippe qvo TABULAM illam ſuam, omnium voce celebratam ad miraculum uſqve illuſtravit. Utrum CEBES iſte idem cũ Platonico ſit, cujus in dialogo Platonis, qvi Phædo ſive de im̃ortalitate animæ inſcribitur, mentio fit, dicere vix conabor, credidit illum ipſum Tabulæ authorem fuiſſe doctiſſimus Caſelius, num verò hoc ita ſe habeat, dubium eſt Hier. Wolfio, qvi ante Caſelium egregias in eandem notatiunculas conſcripſit. Nec præter rationem de eo videtur ambigi, cum in hâc ipſa Tabula Plato allegetur. Cæterum, ne id qvidem ſatis valet ad probandum, fuiſſe hunc ab illo Platonico diverſum. Qviſqvis tandem fuerit Cebes ille, nemini non libellum ejus, ſive Tabulam perluſtranti conſtabit, excellentiori ſpiritu hominem afflatũ fuiſſe, cum laudabilẽ adeò à voluptate ad virtutem, imò à captioſâ contẽtioſaq; philoſophia, ad Sophiam

De Cebete cum primis videndꝰ eſt Diog. Laert.

ſolidiorem tranſitum ſit meditatus, viviſqve planè lineamentis vitam mortaliū depinxerit, FELICIUM cumprimis & INFELICIUM Literatorum ſortem qvaſi in Tabula non aliter adumbrarit, qvam fit in ſermone parabolico. Etenim antiqviſſimam fuiſſe eam conſvetudinem inſtituendi hortandiqve imperitiores, ſimilibus ductis à rebus ſenſui obviis, ad ea qvæ illis ſic non ſunt expoſita, tum è Platone conſtat, tum aliis profanis Scriptoribus, qvid qvod Sacræ etiam Literæ ab iſta ſcribendi docendiqve ratione neutiqvam abhorrere videantur, ut patet è Jud. IX. & II. Sam. XIV. qvin etiam non paucis Hiſtoriæ Evangelicæ locis.

Laërt. lib. II. de vit. Philoſ. Chalcid. in Tom. Plat. & Xenophonti ἀπομνημονεύματα.

II. Acutiſſimus itaqve ille Philoſophus Cebes, exactam totius vitæ humanæ ideam repræſentaturus, tabulam illam effinxit celeberrimam *, qvâ ingentem malorum & periculo-

* *Hanc ingenioſiſſimi Cebetis Tabulam primus omnium Bononiæ edidit Philippus Beroaldus A. C. 1497. cum tractatulis aliis, inq; præfat. ſua verbis eam commendandam duxit ſeqventibus :* Secundo loco eſt Tabula Cebetis, qvâ nihil abſolutius; qvâ humanę vitæ decipula graphicè & condecorè depinguntur &c. *Noſtro ævo eandem cum Arabicâ paraphraſi & erudita præfat. publici juris fecit Cl. Salma-*

maſius, atq; Simplicii in Epictetum Commentario attexuit.

culorum, mortales undiqve prementium iliadem affabrè exhibuit, atqve imperitioribus, ad imperturbatæ qvietis & tranqvillitatis (in hac vita parabilis) ſedem adſpiraturis, rectiſſimam ac tutiſſimam (licet arduam valdè & difficilem) viam præmonſtravit. Et primò qvidem in picturæ limine GENIUS cum chartâ conſpicitur, pueris vitam hanc ingredientibus, conſilii ſui ſaluberrimi fontes, de virtutibus amplexandis, deqve vitiis fugiendis adaperiens, cui cum pleriqve vacivas præbere aures recuſent, accidit, ut *Erroris* & *Ignorantiæ* poculo toti inebrientur, atqve conſilii à Genio ſuppeditati penitus obliti, cupiditatum pudendarum illecebris miſerrimè abripiantur, potior etiam pars ad cæcam & inſtabilem tendat *Fortunam*, munera ſua bonaqve inſtabilia impertientem. Præterea, turba qvędam mulierum ſeſe inibi præbet conſpiciendam (utpote Luxuria, Gula, Avaritia, Adulatio &c) meretricum ſcil. eos omnes obſervantium, qvi à fortuna redeuntes aliqvid acceperint; hos porrò, nullis non turpitudinibus deditos, Nemeſis flagello ſubjectos cernere licet, inqve ſummo mœrore & dolore, in ærumnis & deſperatione, in dedecore & infamiâ vitam tranſigentes, vel in domum conjectos INFELICITATIS, qvod reliqvum eſt ævi, in

extremâ affictione & miſeriâ exigentes, niſi Pœnitentia obviam facta ex his eos cruciatibus eripuerit, & viam ad artes & diſciplinas liberales, h. e. Eruditionem profundiorem præmonſtrarit. Qvandoqvidem verò in ea qvoqve aeris regione, ſive humanæ profanæqve eruditionis Regno, veræ ac imperturbatæ beatitudinis locus neutiqvam inveniatur, cum multivariæ ibidem opiniones, & animorum contentioſorum colliſiones tragicæ inveniantur, ergò illa qvoqve parte ſive neglecta ſive transſcenſa, viatoribus ad locum qvendam editiorem, januam parvam, viam aſperam atqve præruptam progrediendum eſſe, Tabulæ author ſcitè admodùm edocuit, ſi ad ſinceræ eruditionis, & imperturbatæ felicitatis pervenire velint manſionem. Hîc geminas ſorores videris, in rupe ſtantes, *Continentiam* puta & *Tolerantiam*, manus accedentibus alacriter porrigentes, & ſociata cum Fiducia, Fortitudine, Conſolatione & Animoſitate opera, amœnam & expeditam ad perpetuæ FELICITATIS ſedem oſtendentes viam, ſed cum nihil fœdum & vitiis coinqvinatum illud *Salutis Domicilium* contingere qveat, ideò hoſpitibus eò anxiè contendentibus, purgationi primùm, dehinc cognitioni, virtutumq; omnigenarum ſtudio incumbendum eſſe Cebes monuit, ut tanto majori cum gaudio, ad BEATITUDINEM, tanqvam

qvam benignam matrem admitti, maximisq; defuncti certaminibus, perennis gloriæ corona exornari poſſint.

III. En vobis, ô Literata pectora, novum fidũq; ad FELICITATIS (in hac ſc. vita parabilis) Domicilium, Hodogetam, atq; hominis fortunato greſſu ad magna tendentis nobiliſſimum exemplar! CEBES memorabili ſuo vos edocuit invento, qva ratione ad optatæ migrandum ſit apicem tranqvillitatis, qvâ item cura ſtudioqve Sapientiæ maximæ theſauri inveſtigandi atqve conqvirendi. Qvod ſi è ſpiſſis ſeculi hujus tenebris, & infinitarum vanitatum abyſſo liberari, inqve feliciſſimum ſalutis omnigenæ portum tandem devenire velitis, neceſſe eſt, ut cupiditatum perniciosarum illecebris, pariter ac tumultuoſo profanè ſapientium choro mittatis nuntium, miſerrimam illam diſcriminum multivariorum palæſtram, fallaciarum pſeudoliterariarum ſcenam, atqve ferarum, mutuis ictibus & morſibus pereuntium ſpelæum ſollicitè evitetis, amplioriſqve cognitionis luce colluſtrati, aſperam illam, carniqve penitus inviſam *Continentiæ & Tolerantiæ* viam ineatis, omnem mundi immundi luxuriem corde ore & opere abjicientes, turgidam ad hæc ſapientiam, ſcientiam illam inflantẽ, atqve indiſſolubilibus acerrimarum contentionum nodis implicitam abnegantes, omnẽqvé

qve afflictionem hilari fronte excipientes, atqve perferentes; Vos deniqve veſtraqve omnia, per veram & vividam FIDEM (qva ſapientiſſimus Tabulæ conditor fuit deſtitutus,) DEO Chriſtoq; ita dicantes & conſecrantes, ut jam non amplius veſtris litare commodis, nec vobis ipſis deinceps vivere
2. Cor. V. v. 15. ſtatuatis, *ſed ei ſolum, qvi pro vobis mortuus eſt & ſuſcitatus*. Hoc nimirum fundamentum vitæ verè beatæ eſt ſolidiſſimum, hæc ſupereminens illa SCIENTIA Chriſtiana, ſupremaqve, & Terræ ſapientibus (ipſiqve adeò Cebeti) ignota philoſophia, hæc ad perpetuæ felicitatis *Salutisqve* ſempiternæ *Domicilium* unica & tutiſſima via, *ſcire* pariter ac *ſeqvi* CHRISTUM, ejus Spiritu agitari nòn minus, qvam vitam in ipſo gratam acceptamqve DEO tranſigere. Agite ergò ô Literati, mundanos abjicite laqveos, ad veram filiorum DEI adſpirate Libertatem, cum LABORANTIBUS & ONERATIS cæteris Chriſtum accedite, ut reficiamini, ſi vel in extrema ſenectute (tædiis immenſis devoratis, & pluſqvam Herculeis laboribus exantlatis) eò deveniatis, ut Chriſto morem geratis, certo certius omnigena, perpetuaqve per ipſum proſperitate gaudebitis. Etiamſi falſiſſimâ QUIETIS opinione diutius occæcati, viaſqve ſectati fueritis turbulentiores, immenſæ ut

pluri-

plurimum perturbationis ventis agitati; inextingvibili tamen felicitatis luce aliqvando colluſtrabimini, ſi Chriſto transſcripti, optatiſſimam per eum impetraveritis tranqvillitatem. Fingite, vos ſuper alpes perpetuis nivibus rigentes, anguſtum tranſire callem, qvò longo ac difficili niſu ad ſummitatem evadendum, ubi in ſuprema crepedine, qvæ nubes ipſas ſuperet, Caſtellum poſitum deliciis omnibus refertum, locuples & abundans, ita munitum tamen, ac firmiſſimis præſidiis ſeptũ undiq;, ut niſi per arctiſſimas fauces & incumbentium ſaxorum clauſtra, tanqvam per anguſtum oſtium concamerati operis, adiri neqveat; Concipite viciſſim, & apprehendite animo tractum aliqvem campeſtrem, effuſum ingenti planicie, pictum floribus, veſtitum gramine, ſine glarea & ſalebris, ubi nec ſpinæ offendant, nec urticæ aut cardui prominentibus aculeis; cujus meta ſit hiatus ingens & vorago, qvæ viatorem improvidum & incautius ambulantem denique deglutiat. Eligite jam & deliberate, qvæ via tutior: An malitis inter roſarum thoros, inoffenſis pedibus, ſine ſudore & ſuſpiriis deambulando, præcipitari in vaſtiſſimum illum flammarum gurgitem? An verò, poſt exantlatos immenſos labores & pericula, per acutos vepres, nives & ſaxa gradientes, feliciori tandem hoſpitio exci-

excipi? Accingite itaqve vos animoſè ac viriliter ad illud iter, neqve aſperitate deterriti, pedem revocate aut deficite; Cavete obſecro, ne idem vobis contingat, qvod olim captivis Hebræis, per vaſtiſſimas ſolitudines ad promiſſionis terram contendentibus, qvorum vix duo è tot millibus illam apprehenderunt. Ne obſecro ad ollas Ægypti reſpicite, ſed inter ſentes & ſpineta adflictionum multivariarum, ad ridentia illa Sanctorum prata oculos ſerenati animi reflectite, donec DEUS, porrecto gratiæ ſuæ brachio, ad beatiſſima Paradiſi viridaria vos deducat, perpetuâ felicitate circumcingendos. Sollicitè obſecro diſpicite, qva ratione moleſtiſſimi illi doctrinæ multivariæ labyrinthi, ſaxa eruditi orbis Siſyphea, & pluſqvam Tantaleæ illuſiones, per Salvatoris ſaluberrimam de UNO NECESSARIO regulam feliciter evitari, atqve emendari poſſint. A rebus non omninò neceſſariis exeundo, ſerium ad DEUM meditabimini acceſſum, eaqve ſola ratione qvietis deſideratiſſimæ beneficium captate.

IV. Non eqvidem otioſam prorſus Literati Chriſto transſcripti agent vitam, nec turpiſſimæ Vacunæ litabunt; non in ſtrenua inertia dies conſument. Sed potius laborabunt & operabuntur multò feliciori qvam antea ſucceſſu, minimè (ad carnalium literato-

ratorum exemplum) oleum perdituri, ſed immenſum laborū, DEO & beatæ æternitati conſecrandorum fructum percepturi, *manducabunt* (ut alio qvidem ſenſu Pſaltes dixit *Pſal.* Regius) *labores manuum ſuarum*, & boni- cxxviii. tatis divinæ theſaurum, qvem Mundi Salva- *verſ.* 2. tor accedentibus promiſit, ſuo tempore conſeqventur. Tunc eqvidem inſignis gaudendi cauſa erit Literatis ex Chriſti favore ac beneficio feliciſſimis, cum illum Juſtitiæ Doctorem fuerint imitati, ipſaqve experientiâ magiſtrâ cognoverint, qvam bonus ille ſit Dominus; qvamqve dulcis juſtitia fidelibus cunctis ab eo commendata. Intelligent, imbrem matutinum atqve ſerotinum eſſe largiſſimam illam doctrinæ verè ſalutaris ſcatebram, cordium humanorum arva irrigantem, qvam ſumma jucunditas tandem aliqvando ſit exceptura. Licet peſtilens anteactæ vitæ genius, totam animæ ubertatem, & lætas ſpiritualium divitiarum ſegetes ſit depopulatus, fructus tamen duplicatos, docti, à vanitate ad pietatem, à tenebrarum principe ad lucis Patrem converſi, accipient, & ex immenſa bonorum ſpiritualium abundantia magis magiſqve lætabuntur. Feliciſſimam & jucundiſſimam vitam agent Chriſto monitori acqvieſcentes, licet graviſſimis aliâs calamitatibus divexentur. Adeò excellens & expetibile bonum, illa pectoris eruditi, Chriſtoqve

ſtoqve obedientis eſt tranqvillitas, ut termiminus & finis ſupremæ felicitatis Literariæ meritiſſimo jure nuncupari poſſit. Sicuti pyxis ſive acus nautica irreqvieto ſemper ciatur motu, donec ad aqvilonarem ſtellam, qvæ pro centro illi eſt, recta collimet, tunc demum immota qvieſcit; ita cor hominis literati, nullam prorſus inveniet reqviem, qvouſqve Chriſto ſit reconciliatum, nullatenus in creaturis, deliciis, honoribus, divitiis, laudibus humanis, aliiſqve bonis perituris, ſed in eo ſolo veluti Centro ſuo, reqviem optatiſſimam conſeqvetur.

V. Invenerant profectò Centrum hoc, *Salutisq;* perpetuæ *Domiciliũ* per vias anguſtiſſimas petierant, ac in eo ſvaviſſimè tandem conqvieverant *Felices illæ Animæ*, qvarum prolixam, tũ in *pio Seceſſu*, tum operis Theoſophici *Coronide* fecim⁹ mentionem; Illæ inqvam, cùm (Magno Baſilio prælucente) infatuatæ illi⁹, diuqve adamatæ terrenæ ſapientiæ theſauros ſacro qvodam ſupercilio deſpexiſſent, ſeriumqve à profanæ doctrinæ vanitate, ad pietatem ſolidam ſeceſſum eſſent meditatæ, primùm immenſorum malorum, doctos miſerè prementium portũ feliciter deſeruêre, tum ad Veritatis Evangelicæ lucem enixè reſpexêre, deniqve in ſolo Chriſto veram ac imperturbatam obtinuêre tranqvillitatem, Magno Præſuli Hipponenſi concinentes: *Feciſti*

Confer pium ſeceſſ. p.9.24. & ſeqq. Felic. Liter. in coronid. pag. 1081. ſeqq.

Digitized by Google

ciſti nos Domine ad Te, & INQVIETUM eſt Cor noſtrum, donec reqvieſcat in TE. Invito planè ſilentio, in pridem evulgato literatorũ hominum piè ſecedentiũ catalogo prætermiſeram D. PAULINUM, Epiſcopum Nolanum, qvi cum inter nobiles Romanos literarum imbutos ſtudiis, primas olim tenuiſſet, puram poſtea ſapientiam ſicut theſaurum perſcrutatus invenit, vitæqve *laborioſa* & *oneroſa* ſarcinis, cœleſti benignitate depoſitis, Chriſtum acceſſit reficientem, ejusqve gratiâ, qvietem animæ (fruſtra qvæſitam alibi) feliciter eſt adeptus. Vir inqvam, Paulinus erat è primâ nobilitate oriundus, qvippe inſertus in familiam Aniciam, de generis claritate nulli concedentem, fortunæ ad hæc doctrinæqve opibus ita inſtructus, ut omnes, ſummi æqve ac imi ipſum fecerint maximi, & qvæcunqve decora homini ſecundum moris humani ſenſum ornatiſſimo obtingere poſſunt, in eo egregiè abundabant. Tantus ergò Vir Chriſto trahenti vocantiqve, pariter ut cæteri in Seceſſu commemorati Doctores aſſurrexit, monitiſq; divinis obediens, ad verè felicium eruditorum ſortem tandem adſpiravit. Sed juvat Paulinum ipſum, de admirandâ illa ſua ad DEUM converſione audire diſſerentem, benignitatisqve divinæ in ſe effuſas ſcatebras decantantem: *Sapientiam Mundi* (ita ad laudatum modò ſcripſit Au-

Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 1.

relium) *miſer huc uſq; miratus ſum, & per inutiles literas reprobatamq; prudentiam DEO ſtultus & mutus fui. Poſtqvam inveteravi inter inimicos meos, & evanui in cogitationibus meis, levavi oculos meos in montes ad præcepta legis, & gratiæ dona ſuſcipiens, unde mihi auxilium venit à Domino; qvi non ſecundum iniqvitates retribuens, illuminavit cæcum, ſolvit compeditum, humiliavit erectum male, ut erigeret piè humiliatum.* Et poſt alia Paulinus; *Idcircò* (ſcribit notanter) *ego levare me ſarcinis & veſtimentis onerantibus exuere curavi, ut undoſum hoc, qvod inter nos & DEum peccatis interlatrantibus ſeparat præſentis vitæ ſalum, omni amictu carnis & cura diei ſeqventis jubente & adjuvante Chriſto, expeditus enatem.* Cæterùm ad celſiſſimum hunc conſummatæ ſapientiæ verticem Paulinum neqvaqvam repentè tranſiliiſſe, ſed paulatim ſenſimqve qvaſi per gradus adſcendiſſe, ipſemet qvoqve alio loco, inſigniq; Orationis & animi candore profeſſus eſt ad h. m.: *Deniqve ut à calumniis & peregrinationibus reqviem capere viſus ſum, nec rebus publicis occupatus, & à forì ſtrepitu remotus, ruris otium, & Eccleſiæ cultum placida in ſecretis domeſticis tranqvillitate celebravi; ut PAULATIM ſubducto à ſecularibus turbis animo, præceptisqve cœleſtibus accommodato, proclivius ad contemptum Mundi, Comitatumq; CHRISTI, jam qvaſi*

D. Paulinus epiſt. XLI ad Auguſt. opp. p.m. 369.

Paulin⁹ Epiſt. I. ad Severum.

qvaſi de finitimâ huic propoſito viâ demigraverim. Maximi hujus Viri veſtigiis ſi plures hodiè inſiſterent Eruditi, niſuqve majori, ad ſaluberrimum CHRISTI Salvatoris tenderent COMITATUM, mundana omnia pro detrimento ducentes & ſtercora præ Chriſto reputantes, ejusdem gratiæ favonio pariter recrearentur, ac è tenebrarum filiis, ſempiternæ lucis hæredes tandem aliqvando efficerentur. Sed cum pleriqve (eheu!) literati Orbis incolæ, vanæ qvietis captatione ſeſe oblectent, honores potius terrenos & fugitivos, qvam perennes & ſupremos, fallacesq; magis qvã veraces ſectentur dignitates, inanem ſollicitè exambiant gloriam, ejuſce vanitatis conſeqvendæ gratia, vias aſperrimas terere, milleqve periculis famæ ac vitæ ſeſe exponere non dubitent, juſtiſſimo cæli calculo accidit, ut toto vitæ decurſu nullam adinveniant reqviem, nulloqve ordine, ſed mente modoqve incondito circumagitentur, deniq; ſempiternæ tradendi ſint internecioni. Nil tale novere pie-erudita, DEOq; & beatæ æternitati verè conſecrata pectora, feliciter illa effugiunt cunctas literatorum profanè & docentium & viventium calamitates, & cum PAULINO perpetuæ felicitatis apicem rectiſſimè attingent. Licet & ipſa qvondam, cum cæteris ſeculi mancipiis otioſè fuerint negotioſa, & palabundi eorum a-

nimi latè hinc inde ſint evagati; qvamprimum tamen Chriſtum acceſſerint vocantem, deq; ejus jugo tollendo apprimè fuerint ſolliciti, nec minus in ſacro humilitatis & manſvetudinis à Chriſto comendatæ Gymnaſio ſtrenuè ſeſe exercuerint, ſaluberrimo Salvatoris comitatu, ac diu multumqve deſideratæ QVIETIS adeptione gaudebunt.

VI. Tanti olim Romani fecêre REQVIEM, ut ipſam illi conceſſerint divinitatem: Nam inter Deas QVIETEM etiam nominarunt, atqve (ut Auguſtinus narrat) Templum illi extra urbem via Lavicana ædificarunt, adeoqve maximæ dignitatis gloriam qvieti tribuentes. Qvidni Literatos Chriſtianos occupet ſanctiſſimum QVIETIS in Chriſto ſolo inveniendæ ſtudium? Cur eam alibi, qvam in Salvatoris *manſveti* & *humilis* imitatione putarent inveniendam? Hic ille locus eſt, ubi tantus effoditur theſaurus, unde pretioſiſſima perpetuæ felicitatis margarita extrahitur, ubi tranqvillus invenitur actionum ſacro-literariarum terminus! Si inſuper REQVIEM olim (Salviano memorante) tanti fecit philoſophorum qvidam, ut abdicatis publicis & domeſticis curis ſeptem ultimis vitæ ſuæ annis, philoſophiæ in qvieto otio incubuerit, atqve poſteritati memoriam ſuam ſubſeqventi epitaphio commendarit: *Jacet hic homo qvi ſeptuaginta annos natus, ſeptem-*

Auguſt. lib. IV. de Civit. Dei c. 16. Liv. lib. IV.

Salvian. lib. de Gubern. Dei.

tan-

tantummodo annos vixit ; Qvidni Chriſtianos Philoſophos ea ſemper verſet cogitatio, qva ratione veram & perennem, non autem ſeptennem ſeu fluxam invenire reqviem poſſint. *Tantum eqvidem eſt pacis illius* (rurſus dicente Magno Aurelio) *bonum, ut etiam in rebus terrenis atq; mortalibus nihil gratius ſoleat audiri, nihil deſiderabilius concupiſci, nihil poſtremò melius inveniri poſſit.* Non Delphicum qvoddam fanum felicitatis ejuſce conſeqvendæ gratia eſt accedendum, ſed cunctis illa patet Chriſticolis, nullisqve non *Humilitatis*, ac *Manſvetudinis* ſinceræ ſectatoribus ſeſe præbet conſpiciendam. Sorores hæ ſunt bellè conſpirantes, reqviem animi pacificam præſtantes, & ad extremam deſideriorum metam literatos laborantes & oneratos feliciſſimè deducentes. Tam arcto germanitatis fœdere virtutes illæ Chriſti elogio & exemplo illuſtres, ſunt copulatæ, ut ſeparari ab invicem neqveant, nec ſine alterutrius exercitio vera animi literati reqvies obtineri poſſit. *Collactaneæ* (ait Bernardus) *ſunt HUMILITAS & MANSVETUDO, in eo confœderatæ germanius, qvi dicebat: Diſcite à me qvia mitis ſum & humilis corde* ; ejusdemqve nexus intimi intuitu Hugo Victorinus elegantiſſimè *Manſvetudinem* dulcedini comparavit, *qvæ ex melle humilitatis enaſcatur* ; Diſcite (ait ille) MEL HUMILI-

Auguſt lib. XIX. de Civit. Dei c. 11.

Matth. XI. Diſcite à me &c.

Hugo de S. Victore lib. 3. de Clauſtro animæ.

TATIS, cum dulcedine MANSVETUDINIS; *Sicut enim mel concordat in confectionibus medicinæ cum omnibus diverſitatibus ſpecierum, ſic humilitatis dulcedine omnia virtutum genera condiuntur.* Sed & mirificè ex ſvaviſſimo iſtarum ſororum nexu elucet vinculum, qvo cunctæ virtutes chriſtianæ invicem ſunt colligatæ, & qvo eruditi, à Chriſto Salv. reficiendi, ruptis peccatorum & negligentiarum multivariarum vinculis, omniqve mundanæ vanitatis jugo excuſſo debent exornari. O terqve qvaterqve felices illos literatos, qvi ad optatæ hujus libertatis auras tandem aliqvando evaſerunt! * Totus eqvidem ſecum habitat piè-literati hominis animus, ex anguſto amoris proprii, affectûsqve impetuoſi ergaſtulo liberatus, & ſi Chriſti monitis alacriter obedierit, re ipsâ experietur, qvam leve ſit geminum illud Salvatoris jugum, qvantaqve ſeſe ſvavitate & dulcedine commendet. Non eqvidem dormientibus, non ignavis aut otioſis literionibus conceduntur inſignis hujuſce felicitatis coronæ, ſed ſtrenuè laborantibus, atqve ſollicitas contra vigilantem Draconem excubias agentibus. Non impietas ſolùm illis ſubigenda, ſuperbia,

*Athanaſ. lib. contra gentes; *Humanus* [ait] *animus cum totus ſecum eſt, & in ſe habitat, tunc ſenſibilia tranſcendens, in auras veræ libertatis evadit.*

Digitized by Google

bia, invidia, ambitio, inani ſociata gloriæ eliminanda, ſed etiã nulla non bona perficienda, nulla nō ſuſtinenda mala ac ſubeundæ calamitates, donec im̃enſæ exultationis brabeum ſuo tempore ſunt conſecuturi, atqve perpetuæ benedictionis, & imperturbatæ QVIETIS Paradiſum perenniſqve SALUTIS Domicilium acceſ-
ſuri.

COMMONEFACTIO VII.

LITERATUS VALETUDINARIUS, ET LONGÆVUS,

SIVE DE

ADFECTUUM CORPORALIUM, ERUDITOS VIROS INFESTANTIUM CURA, REGIMINE ITEM SANITATIS PERQVAM NECESSARIO, ATQVE VERA PRODUCENDÆ VITÆ LITERATO-CHRISTIANÆ RATIONE.

Ad Fel. Lit. Diſſert. Prælim.

I.

MIſerrimam plerorumqve Literatorum (ad corpus qvod attinet) habitudinem, cum ſibi ad animum revocaſſet MARSILIUS FICINUS, Philoſophus & Medicus ætate ſua florentiſſimus,

non

non contemnendum librum de LITERATORUM VALETUDINE CURANDA compoſuit, in qvo aurea planè ad ſanitatem eruditorum hominum tuendam, vitamqve producendam præcepta & monita ſuggeſſit, *ſiqvidem* (ut ipſe notanter præfatus eſt) *homines literati non tantum benè qvandoq; valere, ſed etiam benè valentes DIU VIVERE deſiderent, iterq; illud arduum & longum ad excelſum Muſarum templum ingredientes, apprimè rectà corporis conſtitutione indigere videantur.* Non malè hinc ſub libri initium oſtendit Marſilius, qvam diligens illis cura habenda ſit cerebri, cordis, ſtomachi, & ſpiritus; qvantam curſores crurium, athletæ brachiorum, Muſici vocis rationem habere ſoleant, tantum à literarum ſeveriorum cultoribus cerebri, & cordis, jecinoriſqve & ſtomachi incolumitati ſtudendum, imò tantò majorem curam huic rei impendendam eſſe, qvanto & membra hæc præſtantiora ſint illis ignobilioribus, freqventiuſq; literati his ſuis membris, qvam curſores, athletæqve cruribus & brachiis utantur. Si ſolers qvilibet artifex inſtrumenta ſua diligentiſſimè curet, penicillos pictor, malleos incudeſqve faber ærarius, miles eqvos & arma; venator canes & aves; Citharam citharœdus, & ſua quiſqve ſimiliter; qvidni Muſarum etiam Sacerdotes, illi ſummi boni veriqve venatores, in pretio

Extat hic Marſilii liber Tom. I. opp. Pariſ. 1641. editor. f. 482. ſeqq.

pretio habeant ea inſtrumenta, qvibus Mundum univerſum qvodammodo metiri & capere poſſint. Illa inter inſtrumenta præcipuum (ait Marſilius) ejuſmodi ſpiritum eſſe, qvi apud Medicos vapor qvidam ſangvinis, purus, ſubtilis, calidus & lucidus definiatur, atq; ab ipſo cordis calore ex ſubtiliori ſangvine procreatus, volet ad cerebrũ, qvove animus ad ſenſus tam interiores qvam exteriores exercendos aſſiduè utatur. Hujus igitur Spiritus diligentem à literato Viro habendam eſſe rationem,cum inde virtus vigeat vitalis, creatiqve ſpiritus cerebri, adeoqve ipſius Palladis arces adſcendant. Dehinc, cum pręcipuas morborũ,eruditos homines vexantium cauſas Marſilius expoſuiſſet, variaqve noxarum corporalium ſive evitandarum ſive curandarum tradidiſſet præcepta, nec minus de tuendâ producendaq; ſanitate prolixè diſſeruiſſet; tandem vitæ COELITUS comparandæ modum explicare inſtituit, qva nimirum ratione ex ipſo Mundi corpore vivo, vita qvædam vegetior in corpus noſtrum qvaſi qvoddam Mundi membrum velut ex vite propagari qveat.

Conf. de hoc ſpiritu vit. D. G. Franci diſſertat. de noxa ſtudior. p. 7.

II. Non admodum (fateor ingenuè) arriſit poſterior hæc Marſilii *de vitâ cœlitus parandâ* commentatio, eò qvod vitam proſperam ſatisqve longam ex SIDERUM FAVORE potiſſimum dependere (Plotinum ſecu-

ſecutus) ſtatuerit, vanaq́ve Platonicorum de anima Mundi, noſtrum etiam ſpiritum ſuſtentante, foventeqve meletemata calculo ſuo comprobarit. Non decent Literatum Chriſtianum tales philoſophorum, damnificis umbrarum tenebris obnuptorum ineptiæ, abſint ab eo voces ejuſmodi pudendæ; *Qvod* ſcil. *ſpiritus noſter* (uti ſcribit Marſilius) *hauriat Mundi ſpiritum per radios Solis, & Jovis, ipſeq́ fiat Solaris & Jovialis, qvod ex tribus gratiis Jupiter geminarum media maximè nobis ſit accommodata, qvod membra humana per comparationem Lunæ ad ſigna & ſtellas fixas foveantur, qvod Planetæ noſtrum & procreent & recreent ſpiritum; qvi Jupiter nos à Saturno defendat, qvod deniq́ ad vitam proſperè agendam inprimis cognoſcendum ſit ſidus genethliacum, geniusq́ ſpiritui illi conſentaneus obſervandus & ſeqvendus &c.* Aliam longè Sanctus ille Spiritus in verbo DEI revelato, vitæ feliciter producendæ rationem literatos edocuit, hanc obſervemus, neqve ultra id qvod ſcriptum eſt ſapiamus. Qvid, qvod ipſe tandem Marſilius ſententiæ illius futilitatem deprehenderit, atqve beatiorem longè vitæ cœlitus parandæ rationem commendarit, *eos homines* (literatos) *tanqvam ſupernis ſimiliores, ampliores illinc dotes accipere exiſtimans, qvi voto, ſtudio, vita, moribus, beneficentiam, actionem, ordinemq́ cœleſtium* (non

Marſil. Fic. lib. III. c. 22. de vita cœlitus paranda.

(non ſiderum ſed ſpirituum) *imitentur, aſt diſpoſitioni eorum diſſimiles atq́ʒ diſcordes, & clam eſſe miſeros, & deniq́ʒ palam INFELICES evadere.* Hæc nimirum palmaria illa eſt literariæ infelicitatis cauſa, qvâ de tum in præliminari noſtra diſſert. ad Fel. Lit. tum toto opere paſſim diſſeruimus.

III. Ad regimen verò illud Valetudinis, ſeu conſervationem corporalis ſanitatis [qvâ literati homines utplurimum deſtituuntur,] qvod attinet, ſaluberrima conſilia ævo noſtro ſuppeditavit eruditiſſimus BACO VERULAMIUS, cujus verba digniſſima judico qvæ adſcribantur, & à DOCTIS VALETUDINARIIS etiam atqve etiam revocentur ad animum. *In regimine* (ait ille) *Valetudinis invenire eſt qvandam prudentiam, ultra regulas medicinæ; obſervatio cujusqve propria, eorum qvæ nocent, & eorum qvæ juvant, optima eſt medicina, ad ſanitatem tuendam. Verum tutius eſt concludere, HOC SENSI MIHI NOCUISSE, ERGO EO NON UTAR; qvam iſto modo, HOC QVOD SENSI MINIME OFFENDIT, ERGO EO UTI LICET. Etenim vigor juventutis exceſſus plurimos tegit, qvi tamen in ſenectute tandem velut debita exigentur. Conſidera ætatem ingru-*

Fr. Bac. Verul. Sermon. Fidel. XXX. opp. p. 1193.

ingruentem, neq; conſide eadem perpetuo continuare; Non enim bellum indicendum ſenectuti. Cave à ſubitâ aliquâ mutatione, in Regiminis parte quâpiam principali; quod ſi neceſſitas urgeat, cætera ad eam mutationem accommoda. Secretum enim eſt, & Naturale & Politicum; TUTIUS EST MULTA MUTARE, QUAM UNUM MAGNUM. Examini tamen ſubiicias conſvetudines tuas; Diætæ, ſomni, Exercitationis, veſtium, manſionis, & ſimilium; Etſi qvid nocumento eſſe judices, experire illud paulatim exuere; ita tamen, ut ſi ex mutatione nocumenti aliqvid perceperis, ad conſveta redeas; Difficile enim diſtingvere inter ea, qvæ toto genere ſunt ſalubria, & ea qvæ corporis Tui unici conſtitutioni conveniunt. Vacuo animo eſſe & hilari, ad horas cibi, ſomni & exercitationis, eſt ex optimis præceptis, ad prolongandam vitam. Qvatenus verò ad ANIMI PASSIONES ET STUDIA: Devita invidiam; metus anxios; iram intus cohibitam; ſubtiles & nodoſas diſqviſitiones, triſtitiam altè preſſam, & non communicatam. Amplectere ſpes; lætitiam

potius

potius qvàm gaudium, delectationum varietatem magis qvam ſatietatem, admirationem, & propterea novitates; ſtudia quæ animum replent, ſplendidis & illuſtribus objectis, veluti hiſtorias, fabulas, peragrationes Naturæ, medicationem ſi omninò fugias, valetudine utens bona, corpori ingratior accedet, cum neceſſitas ingruerit. Eidem ſi nimium aſſveſcas, detrahet de viribus & efficacia ejus qvando morbus advenerit. Probo potiùs diætas qvaſdam, ad certa tempora, qvam uſum medicamentorum frequentem, niſi jam pridem tranſierit in conſvetudinem. Diætæ enim hujuſmodi alterant corpus magis, perturbant minus. Ne contemnas accidens aliqvod in corpore tuo novum & inſvetum, ſed conſilium medicorum circa illud adhibe. Dum ægrotas valetudinem tuam cura maximè; dum vales, corpore tuo utere, nec ſis nimium delicatus: Qvi enim, dum valet, corpori tolerantiam imperat, in morbis compluribus, qvi ſc. non ſunt acuti, diæta ſolâ, & corporis regimine paulo exqviſitiore, curari poſſit absqve multa medicatione. Celſus monitum illud ſuum nunqvam parturiiſſet, ut medi-

Digitized by Google

medicus, niſi una fuiſſet Vir prudens; In præceptis dat tanqvam arcanum tuendæ valetudinis, & prolongandæ vitæ, ut qvis contraria alternet, & ſubinde mutet; ſed cum inclinatione in extremum benignius. Nempe victu utere parciore & pleniore; ſed pleniore ſæpius: vigiliis, & ſomno largiori, inſveſcas, ſed ſomno magis: Qvietem & motum ſive exercitium repetas, ſed freqventius motum, & ſimilia. Ita enim Natura ſimul & fovebitur, & robur acqviret. Ex medicis aliqvi erga ægrum & ejus deſideria, tam ſunt indulgentes, ut morbi curam legitimam non urgeant: Alii contra tam regulares & rigidi in procedendo ſecundum artem, circa curam morbi ut ægri conditionem & naturam non ſatis reſpiciant. Medicum elige temperaturæ mediæ, vel ſi hoc ad votum in uno aliqvo Medico non ceſſerit, adhibe ex utroq; genere unum, atq; memor ſis advocare Medicum corporis Tui gnarum non minus, qvam in arte ſuâ ſpectatum. Huc uſq; Magnus Verulamius. Utinam malè ad corpus qvod attinet affecti literati, qvod huc pertinet ſaperent ac intelligerent,

pro-

providentes pariter ac ſollicitè præcaventes ſui deſtructionem ! Potiſſima autem *Sanitatis Spiritualis* ratio Literatis habenda eſt, ad apicē imperturbatę felicitatis adſpirantib⁹, ne unqvam ea qvæ ad animæ *ſalubritatem* faciunt remedia, abjeciſſe, aut reſpuiſſe videantur. Et qvemadmodum morboſi corporeqve laborantes literati triplicis ſunt generis; qvidam ſimul ac morbum ſuum ſenſerint, medici probatioris conſilio utuntur; alii vana reſtitutionis ſpe decepti, non prius implorant, qvam lecto affigi cogantur, & miſere ipſos decumbere contingat; qvidam deniqve, etiamſi periculoſiſſimè ægrotantes, omne Medicorum conſilium ducunt exſibilandum, donec extremæ dentur internecioni: Ita in ſpiritualium illorum ægrotorum, ſive literatorum malè ad animum qvod attinet ſeſe habentium cœtu, maxima qvoqve differentia deprehenditur; qvidam ſtatim ac animæ ſuæ morbos, hoc eſt delicta & vitia admiſſa agnoverint, aut pravis etiam cogitationibus dictiſqve deliqverint, caſum morbumq; ſuum coram ſupremo Medico confitentur, adeoqve ſe ipſos judicantes, divinum judicium providè antevertunt; Secundi ordinis literati peccantes, morbum ſuum ſentiunt qvidem, neqve ita gravatim commiſſa confitentur, verum curationem ipſam longius differre non dubitant, & vitæ per-

perperam actæ emendationem, totaqve die vocem corvinam occinentes, à ſalute ſunt remotiores. Tertii deniqve ordinis homines literati, graviſſimorum vitiorum pondere preſſi, imò ſcelerum pleni, neqve DEI judicium, neqve medicinæ cœleſtis ſubſidia curant,& toto vitæ curriculo neqvitiarũ ſuàrum funiculis conſtricti videntur. Qvicqvid miſeris iſtis Sacra animorum Pharmacopœa offerat, qvamcumq. opem ſanationemqve ijs Evangelium denunciet, contemnunt, abijciunt, vel à ſe extrudunt, imò calumniantur, ſicq; firmiter in pravis ſuis viis perſiſtentes, haud qvaqvam inſtitui ſe atqve curari patiuntur. Sanè cum deploratiſſima ſit langvidorum ejuſmodi conditio, æterniqve cruciatus,perditos iſtos Muſarum filios certo certius maneat, hinc ſollicitè ijs diſpiciendum, qvâ ratione gratiæ & ſanationis tempus rectius obſervare, & ad Chriſtum Medicum contendere qveant, ut ejus beneficio ſalutem indipiſci, & curationem recipere poſſint. Eqvidem ſi præſcriptam à Salvatore curationis viam fuerint ingreſſi, ſiqve in illa perſeverarint, non ſalvi ſolum & ſani reddentur, verum perpetua etiam incolumitate gaudebunt.

IV. Cęterum, cum univerſa ERUDITORUM HOMINUM NATIO, uno qvaſi ore, vitam hanc mortalem BREVISSIMAM

[ARTE in immenſum excreſcente] eſſe conqveratur, haud abs re FELICES ex ANIMO LITERATOS ea cura atqve cogitatio verſabit, qvomodo optimam VITÆ EXTENDENDÆ rationem conſeqvi, & ad ſaluberrimam longævitatem adſpirare qveant. Illuſtria eam in rem monita ſugeſſit L. An. SENECA, Paullinum ſuum inſtructurus, & ad veræ imperturbatæqve felicitatis ſedem perducturus. Etenim cum Paullinus Vir Conſularis [cujus ſororem Paulinam Seneca uxorem duxerat] in munere ſuo fluctibus & tempeſtatibus atrociſſimis eſſet expoſitus, & tranqvillitati ſeſe, vitæqve melioris ſtudio dare neqviviſſet, aliosqve curando, diligentiorem ſui ipſius curam neglexiſſet; cæterum ſæpè monitus, temporis & VITÆ BREVITATEM cauſſaretur; non poſſe ſc. ſe ſibi vacare, neqve animi culturam & ſalubriora ſapientiæ ſtudia præ gravi negotiorum mole [erat enim Præfectus vectigalium, ut ſcribit Tacitus, publicæqve annonæ curam gerebat] capeſſere; anſam inde & occaſionem ad illum *de Brevitate Vitæ* ſcribendi Seneca arripuit, & perqvam egregiè oſtendit, hanc unam eſſe vitæ extendendæ rationem, ſi cæteris rebus omiſſis, qvas vel vanas vel exitioſas exitus probet, omnem ætatem virtutis & ſapientiæ ſolidæ ſtudiis impendamus; *Eſſe qvadantenus in nobis, ut vitæ ſpatia producamus,*

Digitized by Google

mus, tantumq́ extendi ea poſſe, qvantum vel de malis, vel de alienis, vel de non neceſſariis occupationibus detraxerimus; Brevem eſſe vitam omnem, qva non virtuti detur, brevem nam qva libidini, qvę gloriæ, qvæ ambitioni ſerviat, etiamſi multorum ea annorum exiſtat; Non eſſe vitam longam aut brevem annorum numero, ſed actionum honeſtarum multitudine frequentiâq́ æſtimandam: Hoc libri argumentum; ex qvo Eruditi, longævæ felicitatis, atqve felicis longævitatis amore flagrantes oppidò habebunt, qvod altius ad animum ſuum revocent, & unde veram vitæ extendendæ rationem conſeqvantur.

Seneca lib. de brevit. vitæ.

V. At verò [dicat aliqvis] iſta multò rectius ex DEI verbo, fonte ſc. in vitam æternam ſaliente haurientur, éqve Theologorum Chriſtianorum Scholis ac Concionibus, qvam ex Seneca, aut qvovis alio profanæ diſciplinæ anteſignano. Qvis dubitet? Non eſt tamen ut illuſtriora ævi veteris ſidera [licet umbrarum graviſſimarum tenebris obnupta fuerint] ſpernamus penitus, aut monita Virorum inter gentiles ſapientiorum ſaluberrima moroſo deſpiciam' ſupercilio, legamus, æſtimemus authores illos, qvantum ſalvâ veritate revelata, atqve pietate chriſtiana licuerit, monumenta eorundem moribus expoliendis aptiora, etiam atqve etiam ſuſpicientes. In omni eqvidem ſcriptione ſua id Se-

neca propoſitum habuiſſe videtur, ut qvemadmodum Hercules cum belluis, ita ipſe cum vitiis ſemper depugnaret; laudato autem illo de *Vitæ Brevitate* libro, ſalutaria valdè nulli non mortalium generi documenta ſubminiſtraret, tutiſſimamqve viam conſeqvendæ longævitatis edoceret. Cum Medici de procudenda & producenda vita naturali apprimè ſint ſolliciti, qvinimò tota eorum diſciplina in conſervando naturæ opere unicè occupetur, Senecam non niſi egregia illa ſollicitudo tenuit, qva ratione complures ad virtutem formari, ac imperturbatæ felicitatis longævitatiſqve charactere inſigniri poſſint. Utinā omnes Chriſtianæ familiæ philoſophi [utpote altioris luminis ſplendore colluſtrati] æqve ſolerter conſtanterq; diſqvirerent, qva ratione vita præſens præceptis ſalutaribus, & fructuoſis ad virtutem inſtitutionibus prorogari extendiqve qveat; utinam ſtudio diligentiori ipſi caverent, ne citiùs vita illa, morte morali, hoc eſt animæ à virtute ſeparatione finiatur! Non tantam corporibus humanis cladem morbi [peſtes videl. febres, hydropes, paralyſes, infinitaqve alia ſymptomata] inferre ſolent, qvantum noxæ iisdem, ægritudines animi, ſeu vitia, Impietas, Superbia, Cenodoxia, Invidia, Ambitio, Avaritia, Contentio, odium, ejuſque farinæ alia monſtra [ſuis antehàc depicta coloribus] dare

con-

conſveverunt; ſiquidem ex morbis iis non ſingulorum tantum hominum, verum integrorum etiam cœtuum, & corporum ſacro-publicorum interitus proveniat, quinimò funeſtum univerſæ Reipublicæ & Literariæ & Chriſtianæ exitium inde oriatur. Dum itaque morbos Medici graminibus, potionibusque pellere ſatagunt, nos ea verſet cura, ut animi peſtes, doctrinâ, exhortatione & exercitatione magis magisque profligentur, cunctisque mortalibus vitæ ſpiritualis præcepta inculcentur. Imò quo dignior vita hæc, iſta priore ſeu naturali exiſtit, qvum illius cauſa DEUS nobis hunc ſpiritum atque animum indiderit, & ea deficiente, vita omnis non niſi mors ſit, & vivi hominis ſepultura; eo diligentior cura adhibenda, uti ad leges à ſapientioribus latas, divinoque verbo præſcriptas illa qvam accuratiſſimè inſtituatur, vitæque deploranda brevitas, bonitate inſigniori compenſetur. Qvod ſi unus dies [Tullio præclarè judicante,] benè & ex præceptis ſapientiæ tranſactus, peccanti immortalitati longiſſimè eſt anteponendus, isq; verè vixiſſe dicendus ſit, qui tributum ſibi à naturâ temporis ſpatium honeſtiſſimis actionibus implevit; quidni dies multos, omneque adeò vitæ ſpatium virtutis exercitio impendamus, & ſeriæ tum noſtri, tum aliorum quoque ſtudeamus emendationi, donec veram conſe-

qua-

quamur longævitatem, & ad beatam tandem adſpiremus immortalitatem. Diſputent alii de corporum temperatura, deq; annorum numero quibus vita noſtra ſit circumſcripta, & quomodo produci ætas cuique poſſit aut contrahi, noſtra omnis doctrina circa honeſtas actiones [ſine quibus vita hominis nulla eſt] unicè occupabitur. Quærant illi, quibus remediis occurri poſſit morbis, quodnam humanæ vitæ ſummum ſit ſpatium; qui terminus fuerit mortalibus ante cataclyſmum, quantumque is poſtea contractus ſit & imminutus, nos quod proprium noſtri inſtituti eſt, quæramus, quomodo vitam noſtram non tam temporis morâ, quam virtutis exercitiis producere poſſimus.

VI. Qvandoqvidem verò vita hæc mortalis tribus cumprimis modis pereat, DESIDIA, OCCUPATIONIBUS SUPERVACANEIS, & VITIORUM INCURSU VEHEMENTIORI; hinc magis ſollicita opera navanda erit Literatis felicioribus, ut à triplici illâ peſte non ſolum ipſi (qvantum fieri poterit) ſint immunes, verum liberentur qvoqve alii. Maximo animi niſi principio vitanda profligandaqve eſt DESIDIA, cum pudenda valdè res ſit, ſi Literati Deoqve ſacrati homines Vacunæ litare, otio inerti indulgere, deſertiſqve omnibus, publicis pariter ac privatis officiis, torpere protinus elegerint,

gerint, nec ſibi nec aliis utiles futuri. Hos *inutilia pondera* haud abs re vocavit Heſiodus, Horatius *fruges conſumere natos*; taliſqve olim Servilius Vatia extitit, poſtqvam è ſcholis in villam, qvam in Baiis habebat, ſeſe abdidiſſet, inq; eo tanqvam in ſepulchro diutiſſimè latuiſſet, qvo de ſcitè Seneca, *nunqvam aliter* inqvit, hanc villam Vatia vivo præteribam, qvam ut dicerem, VATIA HIC SITUS EST. Curandum ſecundò ſollicitè eſt, ne & OCCUPATIONIBUS nimiis ita præſens vita diſtrahatur, ut jam vita propè eſſe deſinat; nam ut ſaxum ad pulverem uſqve comminutum, ſaxum eſſe deſinit, ſic vita qvæ inter infinitas occupationes diffunditur, vix vitæ nomen merebitur. Nihil plerumqve agunt, & otiosè ſunt negotioſi, qvi perficere volunt omnia, & qvorum palabundi animi latè adeò evagantur, ut ad veræ tranqvillitatis ſcopum minimè pertingere poſſint, nuſqvam illi reqviem optatam adinvenient, qvi ad ſe ipſos accedere propriꝰ, ſecũ habitare optatiꝰ, inqve Seceſſu qvodam ſacratiori, velut in egregio ſapientiæ arcano, ſaltem ad tempꝰ noluerint cõmorari. Ferunt ſub Hadriano Imperatore qvendam militaſſe, cui nomen SIMILIS fuerit, qvi pertæſus infinitarum, qvas vita illa habet moleſtiarum, tandem otio ſeſe dederit, hoc eſt tranqvillæ ſedatæqve rerum divinarum atqve humana-

rum meditationi, qvam nos Philoſophiam, Pythagoram ſeqvuti, appellamus. In hoc otio ita agens Similis, ſæpè dicere ſolebat, tum demum ſe vivere incepiſſe; morienſqve adeò ſepulchro ſuo verba inſcribi juſſit ſeqventia: *Hic ſitus eſt Similis, cujus ætas quidem annorum fuit ſeptuaginta, vita autem annorum tantum ſeptem*; vel ut Græcum, qvod apud Dionem eſt, ſonat rotundius; ΣΙΜΙΛΙΣ ΕΝ ΤΑΥΘΑ ΚΕΙΤΑΙ, ΒΙΟΥΣ ΜΕΝ ΕΤΗ ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ, ΖΗΣΑΣ ΔΕ ΕΤΗ ΕΠΤΑ! Eqvidem ſi Literati anños ſuos inter turbas exactos, pariter ſollicitè computaverint, ætas eorundem gyro breviori abſolvetur. Cum deniq; nihil humanam vitam æqve atterat, & optatæ longævitati ponat obicem, qvam VITIUM, ſeu peccatorum abominanda colluvies, qvam Tertullianus valdè ſignificanter SALUTIS DEVORATORIAM nuncupavit; hinc de vitiis eradicandis & affectibus pravis comprimendis apprimè ſolliciti ſint BIOPHILI Chriſtiani, de morbis inqvam illis exitialibus, & execrandis humani generis peſtibus pellendis etiam atqve etiam cogitent, ſi MACROBIORUM feliciſſimorum ſorte tandem aliqvando gaudere velint. Planiſſimè ſibi perſvadeant, eam duntaxat vitam LONGAM eſſe, in qvâ perpetuum adverſus

ſus

Digitized by Google

ſus vitia bellum geratur, ad hæc Honeſtati, Virtuti, Sapientiæ, Religioni multa navetur opera; Qvicunqve Literati ad eum modum annis ſuis utuntur, ij VITAM hanc ex parvâ LONGISSIMAM facient, & certo certius tandem SEMPITERNÆ felicitatem conſeqventur.



COMMONEFACTIO IIX.

LITERATUS ΦΙΛΑΥΤΟΣ, GEMINA PESTE CORREPTUS ET CORRUPTUS,

SCILICET

PERTINACI SENTENTIÆ MALE-RECEPTÆ DEFENSIONE, ATQVE INFELICI CAPTATIONE

NOVITATUM.

Ad Fel. Lit. Diſſertat. Præliminar.

I.

AMbiguum licet ſit, nec in Sophorum Synedrio ſatis definitum, utrũ plures morbi CORPORALES, an SPIRITUALES doctis hominibus inſidientur; nemo tamen facile iverit inficias, qvamplurimos Eruditorũ extremæ corruptionis perditionisqve fomitem, ex PHILAVTIA præpoſterâ, Myſticoq; illo MALO HYPOCHONDRIACO, ſeu inve-

inveteratâ delinqvendi aſſvetudine contrahere, cum peſſimo illo laborantes morbo ſemper vivant afflictiſſimi, eorumqve reſtitutio perpetim ambigua dubiaqve eſſe videatur. Cæterum qvæ pectorum eruditorum penetralia arctiſſimè huc uſqve validiſſimeqve tenuit, & nulla non munera divinitus conceſſa fœdè conſpurcavit atqve contaminavit, PHILAUTIA execrabilis, gemino ut plurimum ſeſe prodere ſolet indicio, ac velut è duabus patentioribus feneſtris ſeſe dare conſpiciendam; Altera PERTINACIÆ nomine nobis veniet, omnem ſententiæ perperam aſſertæ defenſæq; emendationem retractationemqve refugientis; Altera æqve pudenda amoris próprii progenies, NOVITATUM CAPTATIO vocabitur, cui ſtrenuè litantes doctiſſimorum & præſtantiſſimorum Virorum plurimi, aram ſinceræ pietatis, in cordibus ſuis ſacræ doctrinæ beneficio erectam conſtitutamque turpiter diruunt, ac miſerabile qvandoque fidei ſalutiſque naufragium ſubire coguntur. Ex putidiſſimo inqvam illo Vitiorum, literatos Viros paſſim infamantium perdentiumque fonte, PHILAUTIA ſcil. ſive præpoſtero & damnifico amore proprio, primùm PERTINACIA promanat, malum ferè immedicabile, ac tantum non omnem emendationi correctionique procurandæ viam intercludens. Pro ſingulari enim

nim illo, qvo qviſque Literatorum flagrat honoris exiſtimationiſque ſuæ amore ac deſiderio, id plerumq; agit, ut in ſententiâ ſemel admiſsâ defensâq; firmiſſimè perſiſtat, citius mori, qvam falſitatem ejurare cupiens, tantũ ne erraſſe, aut honorem ſuũ ullatenus læſiſſe, propriumque judicium abnegaſſe credatur. Qvo ipſo glaucomate olim cum faſcinati eſſent gentilium philoſophorum præcipui, Veritati Chriſtianæ cœlitus patefactæ apprimè reſtiterunt, eoque ipſo in exitialia barathra ſunt dejecti atque deturbati; hominum ſc. ſermones extimeſcentes, honoriq; ſuo [uti putabant] apprimè conſulentes, qvem deterendum protinus opinabantur, ſi novitiæ religionis viam inirent, & ſacra Chriſtiana admitterent. Diſertè id ipſum annotavit Magnus AURELIUS, in Sermonis cujuſdam fragméto, qvod Beda collectaneis ſuis intexuit, & in recentioribus operum Auguſt. editionibus ad h. m. legitur: *Multi credunt corde, & erubeſcunt confiteri ore. Sciatis fratres, propè jam neminem eſſe PAGANORUM, qvi non apud ſemetipſum miretur, & ſentiat impleri prophetias, de Chriſto exaltato ſuper cælos; qvia vident ſuper omnem terram gloriam ejus. Sed cum ſe invicem timent, ſibimet invicem erubeſcunt, faciunt longè à ſe ſalutem, qvia ore con-*

Confer Serm. Auguſt. XXIV. ex XL. novis.

confeſſio fit ad ſalutem. *Qvid prodeſt corde credidiſſe ad juſtitiam, ſi os dubitavit proferre, qvod corde conceptum eſt? Intus DEus fidem videt, ſed parum eſt. Ne confitearis humilem, times ſuperbos, & ei præponis ſuperbos, qvi pro Te diſplicuit ſuperbis, &c. Ægrote qvomodo ſanaberis, qvi de medicamento tuo erubeſcis -- Habes erubeſci modo hominibus, ex eo qvod erubeſcis: habes erubeſci cum venerit in gloriâ ſua redditurus qvod promiſit bonis, qvòd minatus eſt malis. Ubi eris Tu? qvid facies, ſi Te attendat ille excelſus, & dicat Tibi: Erubuiſti de humilitate meâ; non eris in claritate mea. Diſcedat ergò mala verecundia, accedat ſalubris impudentia, ſi impudentia dicenda eſt.* Collactea de Francis paganis (in ſuperſtitione ſua obfirmatioribus, atque reverentiam inutilem Majoribus ſuis exhibentibus, imò damnificam nocentiſſimamque verecundiam ſaluti perpetuæ anteponentibus,) legas apud B. Avitum in primâ qvadrageſima epiſtolâ, qvam ad Clodoveum Francorum Regem tunc recens baptizatum ablegavit. *Solent pleriq;* [ſcribit notanter Avitus] *in hâc eâdem cauſa, ſi pro expetendâ ſanitate credendi, aut ſacerdotum hortatu, aut*

Confer Aviti opp. Pariſiis 1643. à J. Sirmondo edita, p. 94.

qvo

quorumcunq́ſodalium ſuggeſtione moneantur, conſvetudinem generis, & ritum paternæ obſervationis opponere; Ita ſaluti nocentem verecundiam præferentes, qvinimò pertinaciam pro opinione induentes, & mori citius exoptantes, qvàm leviſſimam honoris vel exiſtimationis propriæ ſubire detrimentum.

II. Porrò maleferiati hujuſce moris peſtilens ſidus ætatũ omniũ hæreticos, dogmatũqve perverſorum ebuccinatores tantoperè afflavit, ut deteſtanda qvæqve (convicti licet & conſtricti) pervicaciæ ſuæ dederint documenta. Una omnium erronum mens, unus pudor noxius, unum & immutabile in receptâ ſemel ſententiâ propugnandâ conſilium. Freqventiſſima hæc eſt, & cõmunis cunctorum à verâ & orthodoxâ Eccleſiâ (qvam animo approbant) averſorum exorbitatio, qvam cum coloribus ſuis ſcriptor qvidam eruditiſſimus depingere ſtatuiſſet; *Mortem* (inqvit) *qvidam prius ſibi conſciverint, qvam videri velint aliqvando malè ſenſiſſe. Et nonnulli ne vel ad horam videantur erraſſe, ſemper errant, & dum vel minimam tolerare honoris jacturam neqveunt, totum abjiciunt, & perpetua notantur infamia, & in peſſimas prolabuntur hæreſes, qvi ne appareant inconſtantes, PERTINACES efficiuntur: Superbiſſimi hoc agunt, qvi videri Dij, non homines volunt, &c.* Eorundemqve incorrigibilium hære-

hæreticorum (aſſertionibus ſuis obfirmatiſſimè inhærentium) genium expreſſurus Johannes Gerſon, *qvoſdam* (ſcitè ait) *videre eſt, qvi tanta animoſitate, ſuis aut cœptis aut conſultis inhærent, ut nullis ad oppoſitum rationibus, nulla incommodorum experientiâ flecti poſſint. Malunt omnia ſecum ruere, omnia frangi, vel turbari, qvam pedem retrò flectere à viâ ſuâ, etiam inviâ, & ob hoc jam non viâ; qvoniam progreſſui obſtare reperiuntur, vel ſpinarum, hoc eſt vitiorum ſepes horrida, vel foſſatorum, hoc eſt cordium profunditas incognita, vel latrunculorum malignitas, vel comitum mutua impugnatio, vel viarum diſtrictus humilis, qvem cervicoſa turgidaqve præſumtio neqvit prætergredi, qvia neqvit humiliari. Iraſcuntur deniqve tales, odio immortali contra omnes qvos viderint vel audierint, non dicam adverſari ſibi, ſed non plenis vocibus & totis aſſentire ſententiis.* Videntur eqvidem farinæ ejuſce homines impigrè hauſiſſe venenum à Vincentio Rogatiano hæretico propinatum, qvem Magnus Auguſtinus, ut typhum huncce pernicioſum extundat, egregiè fuit cohortatus; vel Juliani Celanienſis veſtigia ſtrenuè preſſiſſe, qvem idem Eccleſiæ Doctor, variis adductis contra eum teſtimoniis hunc in modū compellavit: *Qvantalibet ferocis animi obſtinatione Juliane, qvantalibet adverſus nos pertinacia pro Pe-*

Johan. Gerſon. in opere cui Tit. eſt Trilogus, qui extat Tom. I. opp. Pariſ. edit. 1606. p. 297.

Auguſt. l. II. in Jul. c. 5.

lagiano errore conſiſtas, tanta per B. Ambroſium. circumvallaris rerum evidentiâ, tanta verborum ejus manifeſtatione contunderis, ut profectò ſi nulla Te ratio, cogitatio, conſideratio, religionis, pietatis, humanitatis, atque in Te ipſo advertendæ veritatis revocaverit, oſtendas qvantum in malis humanis valeat, eo qvenqvam fuiſſe progreſſum, ubi manere non libeat, unde jam redire pudeat.

III. Eodem in luto cum temporum ſubſeqventium hæſiſſent hæretici, Parermeneutarum (ſive perverſorum interpretum) nomine famoſi, graphicè pudendam eorum ex faſtu pertinaciam Nicetas Choniates hunc in modum duxit perſtringendam: *Pleriqve qvo ſententiam ſuam facilius aſtruerent, in perverſos dogmatum anfractus prolapſi fuerunt, dum petulanter inſultare DEO, qvam de ſententia ſuâ qvicqvam deminuere malunt, ut Manuele Comneno imperante accidit, cum enim dogma motum eſſet ſuper his verbis* Tu es qvi offers, & qvi offerris, *illorum qvi tunc docti habebantur duo, qvorum nomina non eſt qvod proferam, in diverſam ab orthodoxis ſententiam euntes, ac ſi Patre inferior filius eſſet, eis contradixerunt, tandemqve de gradu dignitatis Eccleſiaſticæ dejecti ſunt.* Cum autem anathemate qvoqve, jam iam pro tribunali feriendi eſſent, ſententias ſuas vix improbarunt, id cauſati, ſe qvidem ſibi

Nicetas Choniat. Lib. IV. Theſauri & in hæreſ. Parermeneut.

Digitized by Google

ſatis eſſe conſcios qvam diſſentanea à recto Eccleſiaſticorum dogmatum ſenſu effutivisſent; verum dedecori & infamiæ hoc adſcribentes, ſi ex pœnitudine & tanqvam diſciplina ſaperent, ea qvæ ſemel aſſeruerũt, qvantumlibet ſtulta & abſurda placida MORDICUS tuebantur. Cujuſmodi certè facinus dementiâ non caret, qvo nimirum contentio non bona in rebus *qvæ non decent exercetur* Ita Nicetas. Utinam ab ea labe immunes eſſent qvidam noſtræ etiam ætatis Viri eruditiſſimi, nec in damnificæ illius pertinaciæ & pervicaciæ luto hærerent ipſi doctrinæ multi jugæ principes, tanta ſc. ſententiæ præconceptæ tenacitate occupati, ut centies oppetere mortem malint, qvam malè ſuſceptis placitis nuntium mittere. Et licet aliorum periculis & caſibus probè edocti fuerint, qvam propudioſa ſit pravi dogmatis pertinax defenſio, tantum abeſt tamen, ut ullam admittant correctionem, ut potiùs ſemel latæ, iniqvæ qvamvis, ſententiæ mordicus adhæreſcant, nec ipsâ cauſæ malignitate aut imminentis ſupremi judicii metu comoveantur. Certum profectò eſt, innumeros Orbis docti incolas extremũ inde hauſiſſe exitiũ, qvod tenebras magis qvam lucem diligentes, in limo profundi ſubſiſtere non dubitaverint, nolentes ſc. videri anterius erraſſe, & lingvarum malignarum falcibus con-

cidi timentes. Conculcanda potius ipſis eſſet ſpuria illa noxiaqve fortitudo,vanusq; dehoneſtationis publicæ metus penitus abjiciendus , neqve intermittenda ſententiæ malè defenſæ retractatio , ſi vitam agere felicem , & tandem aliqvando ad beatiſſimorum hominum ſortem adſpirare velint. Nihili faciant honoris citò evaneſcentis pigmentum , & rabiem illam exitioſam (qvâ de pluribus & luculenter egerunt Chriſtophorus à Capite Fontium , & Theoph. Raynaudus) prorſus eliminent. Non pudeat eos ſanctè & piè impudentes fieri,ſed infernali illo vipereoq;genimine PHILAVTIA ſc. (qvæ ut plurimū pertinaciæ exitioſæ jungitur,) validè cōculcatâ, à pravis ſuis ſenſibus lubentes ſeſe dimoveri patiantur. Revocent ſibi ad animum feliciſſimi ætatis noſtræ Literati, Petri Cunæi exemplum & effatum præluſtre,nunqvā ſatis commendandum; *Neq; verò nos ſumus* [ſcribit ille] *tam ſuperbæ impotentiſq; arrogantiæ , ut in tanta communis naturæ imbecillitate ſolos nos ſupereſſe exiſtimemus , qvibus interdum opus venia non ſit. Hallucinamur omnes , alii gravia, alii leviora , nec eſt qviſpiam , qvi tam benè animum ſuum diſciplinis obfirmavit , ut nihil fugere eum poſſit amplius aut fallere ;* & rurſus : *PERTINACIAM pro opinione induere, haud eſt noſtrum ; Ipſi nos, ſi qvando errores qvoſdam noſtros odorati fuerimus , ſponte*

Chriſt. à Capite Font. in opere de puncto honoris. Theoph. Rayn. lib. V. de Virtut. n. 186.

Cun. in præfat. l. III. de Rep. Heb.

hanc

Digitized by Google

hanc gratiam à nobis inibimus, & primi eos indicabimus, ne qvis forte ſtudio noſtri, aut amore deceptus, vitia noſtra cæcis oculis prętereat. Qvod Viri egregii exemplum & inſtitutum optimum, ſi literati complures obſervarent, ac imitarentur diligentius, tot pudendæ altercationes [qvæ cataclyſmi inſtar Orbem eruditum hucuſqve inundarunt,] facilè intercidereut, perniciosoqve illo Philautiæ typho profligato, Muſarum nobiliorum filii, ad feliciſſimorum Literatorum ſortem etiam atque etiam adſpirarent.

IV. Haud ſegnius eliminanda atque proſcribenda illis eſt altera PHILAVTIÆ ſoboles, CAPTATIO ſcil. NOVITATUM; illa contentionum peſſima radix, ſuperbiæ frutex, & nullarum non genitrix calamitatum. Labes hæc eò pernicioſior eſt, qvo freqventi⁹ etiam DEO ſacratos homines corripit, totosque corrumpit, qvin imò ipſi veritati revelatæ bellum ſtatuit indicendum. Qvantum turbarum nullo non ævo, tum in Eccleſiaſticâ tum Literariâ Republicâ, noxia illa novandi impetigo concitarit, innumera hiſtoriarum monumenta loqvuntur, nec pauca piè-eruditorum ſymbola innuunt, maximum ſemper apud omnes momentum habuiſſe ſanæ judicium Vetuſtatis; inſiſtendum potius eſſe (qvantum per veritatem liceat) receptis ſententiis, ac viis itineribusque tritis

inhærendum. Neque verò monitis hiſce ſalubrioribus, inſignes illi priſcæ doctrinæ virtutiſque æſtimatores, moleſtiſſimos compedes ingeniis injicere, & pudendam inducere ſervitutem ſtatuerunt, qvalem Seneca loco qvodam graviter fuit inſectatus, & qvidam recentiores cum Durando *beſtialis inſipientiæ* damnare non dubitarunt. Qvis obſecro ferat tantam in præſtantiora ingenia tyrannidem exerceri; qvis alieno ſenſui cunctos præcisè mancipandos eſſe pronunciaret? Vix aliqvem in Republicâ Literatiâ locum conſpectiorem habebunt docti, non niſi ex commentario ſapientes, & nihil præter ea, qvæ explicatè propoſita legerint, afferentes in medium. Enimverò artes omnes temporis progreſſione profecerunt, & novis ſubinde ditatæ ſunt inventis. Noſtro eqvidem ævo [ingeniorum optimorum feraciſſimo] evidentiſſimè patuit, Naturam ſenectute neutiqvam effetam eſſe & defatigatam, ſed priſtinâ potius pollere facultate, taleſque hodienum producere Doctores, qvi inventorum copiâ non paucos priſcorum ſuperent, ac nemini non evadant admirationi. Igitur ratum eſto, neqvaqvam vitio verti, & temerè captatæ novitatis inſimulari poſſe, ſi qvædam, prius non audita promantur, perverſéque nimis eos agere, qvi doctrinæ cæteroqvin ſolidæ, & idoneis ſubnixæ fundamentis, à ſolâ

Seneca epiſt.33.

novi-

novitate invidiam ducunt conflandam, cuncta improbantes rejicientesque, qvæ totidem ſyllabis apud anteriores protritosq; ſcriptores non ſint conſignata, adeoque in Magiſtrorum verba non ſolum jurantes, ſed cæteros etiam ad turpiſſimam ſervitutem adigentes. Præpoſterus potius ille Novitatis amor eruditis vitio vertitur, qvo plurimi tantoperè dementantur, ut temerè & citra omnem neceſſitatem nulla non ipſorũ cerebro adverſantia placita ducant immutanda. Qvorſum præprimis pertinet vocum à conſveto & longo uſu ac probata acceptatione in alienum ſenſum detorſio. Qvamvis enim de vocibus haudqvaqvam rigidè cum qvoqvam ſit litigandum, ubi de re ipſa ſatis conveniat, non tamen citra cauſam evidentiorem iſtæ qvoq; [ſi receptæ ſint] rejiciendæ ſunt & eliminandæ, tum qvod absque notabili confuſione id fieri neqveat, tum qvod nunqvam non opinionum novitas vocum immutatione ſeſe inſinuare ſoleat. Nomina videlicet non aliter ferè ſe habent atque nummi, qvorum valor θέσει καὶ νόμῳ [ceu loqvitur Sextus Empiricus] *poſitione ac lege* conſtitutus, nullam facilè admittit immutationem. Si unqvam aliàs, in ſcientiis cumprimis, vocum proprietas eique cohærens perſpicuitas eſt adhibenda. Gravius autem licentiuſque illi peccant Novatores, qvi pro libidine ſua alia atque alia

principia confingere inducunt in animum, putantes id ſolum firmo ſtare talo & ad gignendam ſcientiam idoneũ eſſe, qvod ex iisdem, inque cerebro ipſorum primum natis principiis deducatur. Dici profectò vix poteſt, qvam miſerè præclara illuſtriaque ingenia hoc pudendo glaucomate decipiantur, & pro ſcientiis ſolidis, meras chimæras ſibi obtrudi patiantur, præſertim ſi in teneris annis obſcuris principiis imbuantur, aut delectentur novitate, cæterum nec judicandi, nec verum à falſo probè diſcernendi dexteritate ſint inſtructa. Et cum fundamenta illa valdè ſint ruinoſa, non poteſt non omne, qvod illis innititur eſſe infirmum. Non eſt qvod qvenqvam ad Novitatum captationem moveat ſola applaudentium vel authoritas vel multitudo, illæ cæteris anteponendæ ſunt hypotheſes, qvæ ad demonſtrationes formandas ſunt aptiores, & per qvas vera ſolidaque ſcientia comparatur. Ac licet mitius habendi ſint, qvi inter novas & veteres ſeu receptas opiniones etiamnum fluctuant, utriſque velut addicti, neutiqvam tamen & illi à captatæ novitatis culpa penitus abſolvi poſſunt.

V. Maximè autem illa NOVITATUM CAPTATIO proſcribenda, ſollicitèqve Literato ad veram felicitatem tendenti cavenda eſt, qvâ dogmata divinis firmata calculis convelluntur, ac ritè ſtabilitæ ſententię, omni

Digitized by Google

omni virium niſu evertuntur, etiamſi nulla ratio idonea ſuppetat ſecus ſentiendi, qvam ſenſerint Theologi æque ac Philoſophi anteriores. Hæc nimirum vera & genuina eſt vitioſæ illius CAPTATIONIS definitio, ea qvî peſte laborant eruditi, vulgo infami propudioſoque NOVATORUM ſtigmate notantur. Et meritò ſanè. *Qvid enim attinet* [ait Theoſophorum qvidam] *inaudita nonnulla, & monſtri habentia ſpeciem, nullo fulta rationis validæ præſidio, educere in lucem; vel qvamvis jam olim erupiſſent; & ab aliqvo pruriginoſo ingenio vulgata qvondam, pridem exoleviſſent, & ſtudio antiqvorum altè defoſſa jacerent, revocare ſuperas in auras, & luci redonare? Non eſt hoc prudentis, & ad ſani judicii trutinam appendentis doctrinam.* Tanto autem peccatur pernicioſius, qvanto confidentius NOVITATIS captandæ amore ac ſtudio in Chriſtiana dogmata incurritur, qvantoqve pernicioſiora de fide Orthodoxâ ſuccutienda cōſilia agitantur. Qvamvis boni omnes, à peſſimo hoc agendi, ingenioq; proprio indulgendi modo abhorreant, atque in ſupprimendis ejuſmodi loliis toti ſint occupati; non pauci tamen Doctorum maleferiatorum, pro tritico ſteriles vendere avenas, atque damnificorum placitorum zizania tanta ubertate diſſeminare pergunt, ut probatas fruges tantum non penitus ſuffocaſſe videantur.

bulam ſpinoſum implicuiſti; nemo enim ex veteribus tecum ſenſit ô Aeti, qvi contra ANTIQUARIOS ſcribens, ipſe temporalis es, & minimè antiqvarius.

VI. Qvid prohibet denique qvo minus Φιλαύτες ejuſmodi Novitatū captatores iiſdem verbis compellemus, qvibus Beatus Hieronymus dogmatum Origenianorum fautores & aſſertores qvondam fuit allocutus: *Qviſqvis es*, (inqviebat) *aſſertor novorum dogmatum, qvaſo Te, ut parcas Romanis auribus, parcas fidei, qva Apoſtoli voce laudata eſt. Cur poſt qvadringentos annos docere nos niteris, qvod ante neſcivimus? Cur profers in medium, qvod Petrus & Paulus edere noluerunt? uſqve ad hunc diem, ſine iſta doctrina Mundus Chriſtianus fuit.* Neqve verò unqvam homini literato, cui ſit judicium ſolidum & naris emunctæ, inſideret opinio, ſe ſupra anteriores qvoſcunqve ſapere, & ſuos ingenii novaturientis abortientiſqve fungos, tot illuſtrium ingeniorum fœtibus eſſe anteponendos, ni pudendo PHILAVTIÆ glaucomate totus eſſet obnuptus atqve faſcinatus, vanæ ad hæc gloriæ cupidine ita dementatus, ut itinera neutiqvam trita inire, & cum certiſſimo ruinæ periculo altiora honorum laudumqve ſedilia conſcendere velit. Scilicet, cum illi non ſit, unde nominis celebritatē obtineat, ad inſtar

Hieron. epiſtol. LXV. num. 24.

Heroſtrati, ſubſidium à ſcelere qværendum ſtatuit, & in cinerem favillaſqve, ſententiarum toto Orbe mirabilium fabricas redigere non dubitat. Qvidni credam⁹ magno Caſſiodoro, aſſerenti, plerarumqve hæreſeon primam radicem fuiſſe pudendam novitatum conſectationem, ex præpoſterâ ſc. gloriæ cupiditate prognatam; cum ætatum omnium experientiam ille habeat ſibi adſtipulantem, idemqve probrum in ſuæ ætatis erronibus diſertè deteſtatus fuerit Gregorius Nazianzenus, & ſignatim in Eunomio æqualis ejus Baſilius; qvemadmodum & Elipandum Toletanum in eodem luto hæſiſſe, & plures alios, inſano gloriæ [ex novitate conſeqvendæ] amore in præceps actos fuiſſe, poſt Etherium Theoſophi alii annotarunt. Haud injuriosè celebris qvidam ævi noſtri Scriptor, Novatores, vanitatis glorioſę ſtudioſos Turris Babilonicæ ſtructorib⁹ cõparavit, qvorum culpâ univerſæ Terræ labium, DEO ſuccenſente fuit confuſum Dum enim pernicioſi illi ſcioli, & fumi potius inanis, qvam famæ perennis captatores, pari ſtudio gloriæ inanitati inhiant, ſummam ſermonum pariter ac ingeniorum confuſionem, imò ſolidioris doctrinæ excidium lamentabile inducunt. Cogitent obſecro hæc, & ſeriò ſecum perpendant cuncti arrogantes & temerarii literiones, caveantqve ſummoperè, ne Phil-

Caſſiod. 1. divin. lect. c. 11.

Nazian orat. XLI

Baſil. in l. contra Eunom.

Etheri⁹ l. contra Elipandum Tolet.

Digitized by Google

Philautiæ œſtro perciti, eandem & ipſi in foveam, aſtu dæmoniaco incidant, neqve exoſæ ſingularitatis, promiſcuæ novitatis, ac pernicioſiſſimæ curioſitatis fautores evadant, *vel unitatem fideliũ ſcindere laborantes*, (ut de Marcione præclarè ſcripſit Epiphanius) *ſcindantur ipſi, & unà cuncti opinionum ſuarum ſtolidiſſimarum ſectatores.* Si poſteris ludibrium debere, perpetuæqve confuſionis probrum incurrere nolint, proſcribant maſculè peſſimam illam qvæqve innovandi licentiam, neqve vertiginoſo iſto, & ad omnem Philautiæ nutum ſeſe accommodante typho diutius circumferantur.

COM-

by Google

COMMONEFACTIO IX.

FAMILIARIS FELICIUM LITERATORUM SPIRITUS,

SIVE DE

INTIMA ET PERPETUA SANCTI DIVINIQVE SPIRITUS CUM PIIS ET VIRTUOSIS DOCTORIBUS CONSOCIATIONE,

Ad Fel. Lit. Diſſert. Prælimin.

I.

QVandoqvidem tres potiſſimum Spiritus, *Literatorum Hominum* familiaritaté appetant, Divinus, Diabolicus, & Humanus ſive proprius; haud graviorem incurrere Viri docti calamitatem poterunt atq; miſeriam, qvam ſi Divini illius, Sancti & impolluti triſtiſſi-

Digitized by Google

ſtiſſimam ſubeant jacturam, & ſive proprii, ſive etiam diabolici ſpiritûs tyrannidi ſubiiciantur. In cenſum eqvidem perditiſſimorum & infeliciſſimorum Literatorum illi ſunt referendi, qvi eruditionis pariter ac exiſtimationis amplioris conſeqvendæ gratiâ, Dæmonis admittunt magiſterium, atque SPIRITIBUS utuntur FAMILIARIBUS, qvos Græci Παρέδρους [eo qvod adſint aſſiduè] nuncuparunt, qvoſque ſine gravi poſſeſſorum noxâ nunqvam receſſiſſe, in noſtra de Curioſitate Literatorum commentatione notavimus. Nefandorum ejuſmodi, & doctis qvibuſdam hominibus perqvam familiarium SPIRITUUM exempla nec antiqvitas pagana * ignorat, & Chriſtianorum ætas plura qvam volumus numerat. Et cum divinitatem olim ſub Dæmonis titulo Cacodæmon affectarit, poſtea, cum in ſeqviorem uſum vox abiiſſet, ſub familiaritatis nomine improvidos duxit decipiendos, conſvetudinē iisdem promittendo & amicitiam non vulgarem, ut tutius fallat, atqve graviſſimarum tentationum laqveis eo fortius miſeros conſtringat. Non

Fel. Lit. Commēt. IX. p. 981.

* *Talem unum fuiſſe Ariſtoteli, eiqve perſvaſiſſe nullos dari malos Dæmones, cenſuit Guilielmus Pariſienſis. Ab aliqvibus circumferebantur olim incluſi annulis, cujuſmodi erant annuli illi excantati, de qvibus Clemens Alex. l. 1, Strom.*

Non eſt qvod vel dæmonis Socratici * contemplationi prolixè vacemus, vel Spirituum Platonicorum miniſteria ** operosè recenſeamus, cum ea cura qvamplurimos hucuſque verſarit antiqvitatis profanæ ruſpatores. Utinam dæmones illi perpetuis gentilium tenebris immerſi manſiſſent, neque ævo, qvod cæleſti benignitate tandem illuxit, Chriſtiano ſcil. ſeſe immiſcuiſſent. Non pauci, proh dolor! eorum qvi Chriſtiani audire voluerunt, dæmonum familiaritatem admisêre, & nocen-

* *Vid. de Dæmone Socratis poſt Apulejum (qvi librum peculiarem de eo conſcripſit ſub tit.* de Deo Socratis) *Eugubinus lib. VIII. de peren. phil. c.* 25. *Tertull. lib. de animâ c.* 1. *Auguſt. lib. VII. de Civ. Dei cap.* 36. 37. *L. Cæl. Rhod. lib. II. Antiq. Lect. c.* 10. *& noviſſimè Joh.* Clodius *in erudito de Spir. fam. meletemate.*

** *Triplex miniſterium Platonici Dæmonibus ſuis vindicarunt. Primum in precibus DEO offerendis boniſqve homini procurandis; ſecundum in mandatis DEI denunciandis, prædicendiſqve futuris; tertium in tutelâ hominis poſuere, item in vita regẽda, cogitatiſq; obſervandis, conf. Apul. l. c. Auguſt. lib VIII. de C. D. una cum doctiſſima Commentatorum bigâ, Lud Vive Hiſpalenſi, & Leonardo Coqveo Aurelianenſe.*

Digitized by Google

nocentiſſimis omnium uſi fuêre miniſteriis, veluti *Facius Cardanus* Hieronymi Pater, qvem per xxx. annos dæmonem familiarem habuiſſe, & aliqvando cum ſeptem dæmonibus colloqvium per tres horas inſtituiſſe (in qvo præter cætera hi de ſua natura ſatis portentosè diſſeruerint,) nec ipſe qvidem filius inficias ire potuit. Qvantam cum ſpiritu exitiali familiaritatem *Hen. Corn. Agrippa* coluerit, qvamq; horrificam tandem ex eo conſortio tempeſtatem incurrerit, alibi memoravimus. Similiter & Chriſtophorum Aurigarium ſeptem ſub annos ſpecie ſimii, & Joh. Fauſtum xxiv. ſub forma Monachi dæmonem circumduxiſſe qvidam memoriȩ prodidêre. Qvid, qvod nonnulli eò dementiȩ devenerint, ut execrandam illam dæmonum cum Viris malè-eruditis familiaritatem apprimè duxerint commendandam, & tanqvam valdè utilem, variarumque virtutum excultricem & propagatricem tantum non in cælum uſq; efferendam? O miſeros & extremè INFELICES illos Literatos, qvi fallaciſſimi dæmonis blanditiis tãtoperè ſeſe ineſcari paſſi ſunt, ut execrabile adeò magiſterium ſive admittere, ſive calculo ſuo probare non dubitarint *.

Confer Cardan. l. XIX. de ſubtil. pag. 686. edit. Baſil.

Confer Comment. IX. de Curioſ. Literat. noxià num. 6. & Rayn. Tom. IX. opp. pag. 790. Vid. Joh. Clod. l. c. n. XIV.

Qvod

* Egregiè Raynaudus Tom. IX. opp. p. 790. *Cum infenſiſſimo odio* (ſcribit) *in hominẽ flagrent Dæmones, nihil aliud captant ſimula-*

mulato eo obſeqvio, qvam ruinam eorum à qvibus adhibentur, ut freqventia exempla docuerunt, atq; adeò eorum Dæmonum cruenta familiaritas inſidioſa & exitialis eſt, ac prorſus intuta. Plerumq; enim, ſi miſer, qvi eorum admiſit obſeqvia, Dæmonem alicui operi adhibere prætermittat, vel apicem nefariorum rituum, obtorſo collo, aut univerſo corpore ad terram alliſo, vitam improviſo eripit ei, cujus ſe mancipium ſimulavit, & vitâ privatum æterno perdit excidio. Periit lucubratio Battiadis cujuſdam de Paredris, memorata à Fulgentio Placiade, in morali expoſitione ad Virgilium, unde aliqvid peti potuiſſet de hoc ominoſo argumento.

QVod ſi Præceptores minus fideles, licet profundiſſimæ ſint eruditionis vix admittamus, qvidni cordicitus deteſtemur omnem malorum ſpirituum cum eruditis hominibus familiaritatem, qvantumvis utiliſſimæ converſationis ſpeciem illa oſtentet, aut emolumenta maxima habeat finitima.

II. Sicuti igitur perditiſſimorum mortalium albo inſerendi ſunt ſtolidi iſti ſpirituum infernalium captatores, ita ſummè FELICIUM Literatorũ ſorte, illi præ cæteris gaudent eruditi, qvi SANCTI SPIRITUS cóſociatione fruuntur, atque cæleſti qvodam ductu ad Vir-

Digitized by Google

Virtutem & PIETATEM ſinceram impelluntur. FELIX *& beata* [ait ſcitè Bernardus] *illa anima, quæ divini ſuſurrii venas in ſilentio percipit, freqventer iterans illud Samuelis: Loqvere Domine qvia audit ſervus tuus.* Neqve verò (qvod apprimè notandum) uno tantum, ſed modis multivariis Deus loqvitur ſervis ſuis, ſive felicibus è cœleſti familiaritate literatis: Aliqvando per ſeipſum immediatè excitat in iis bonas cogitationes, & ſancta deſideria; aliqvando per Angelum ſuum à malo revocat, exceſſus graviores increpans, provocans ad emendationem, bona & honeſta qvæq; ſuggerens, greſſusqve omnes dirigens in viam pacis, ſalutis & perfectionis. Hanc ipſam Literatorum ſummè felicium ſortem, ſagaci indagatione conſiderans Caſſianus; *Ex DEO,* notanter inqvit *ſunt cogitationes noſtræ cum Spiritus Sancti illuſtratione nos viſitare dignatur, erigens nos ad ſublimiorē profectū: & in qvibus vel minus acqviſivimus, vel deſidiosè agentes ſuperati ſumus, ſaluberrima compunctione caſtigat: vel cum reſerat nobis cœleſtia ſacramenta, & propoſitum noſtrum ad meliores actus voluntatemq; convertit, &c.* Significantius verò Bernardus indicia qvædam tradidit, qvibus bonus familiariſq; iſte literatorum Spiritus internoſci, & à malo ſeu infernali (qvi multis eheu! literatis eſt familiaris) diſtingvi poſſit,

Bernard Serm. de ſex ſpir.

Caſſian. Coll. I. c. 19.

N piè

piè nõ minus qvã eleganter ediſſerens, qvibus ſignis Boni Spiritus præſentiam ipſe cognoverit, qvantumqve ſibi hinc acceſſerit emolumenti : *Vivum*, ait, *& efficax eſt* (ſcil. illud cœlitus inſpiratum verbum) *moxq́, ut intus venit expergefecit dormitantem animam meam, movit & mollivit, & vulneravit cor meum, qvoniam durum lapideumq́ erat, & malè ſanum. Cepit quoq́ evellere & deſtruere, & ædificare & plantare, rigare arida, tenebroſa illuminare, clauſa reſerare, frigidà inflammare, nec non & mittere prava in directa, & aſpera in vias planas, ita ut benediceret anima mea Domino, & omnia qvæ intra me ſunt nomini ſancto ejus. Ex motu cordis intellexi præſentiam ejus; & ex fuga vitiorum, carnaliumqve compreſſione affectuum adverti potentiam virtutis ejus, & ex diſcuſſione ſive redargutione occultorum meorum admiratus ſum profunditatem ſapientiæ ejus: & ex qvantulacunq́ emendatione morum meorum expertus ſum bonitatem manſvetudinis ejus: & ex renovatione ac reformatione ſpiritus mentis meæ, id eſt interioris hominis mei percepi utcunq́ ſpeciem decoris ejus; & ex con-*

Bernar. Sermon. 74. in Cant.

contuitu horum omnium ſimul expavi multitudinem magnitudinis ejus. Examinent hinc ſeipſos paulò accuratius Viri Literati, num pariter ſalutares verbi ſeu Spiritus boni ſuſurros internâ cordis aure percipiant atqve admittant, Deumqve animis ſuis intimè illabentem & ad pietatis ſinceræ ſtudia exhortantem haud inviti ſeqvantur? Videmus eheu plerosqve literatos vel proprio ſuo, vel diabolico etiam ſpiritu ductos, à pietatis ſinceræ amore ſtudioqve penitus averti, tum variis diſtrahi curis & occupationibus, & qvaſi à ſe ipſis exules, ſenſim ad aliena, ſupervacanea, noxiaqve ſtudia perduci, utplurimum inſtigari ad faſtum, invidiam, contentionem, ambitionem, omnigenæqve iniqvitatis & malitiæ luto conſpergi, ſi qvandoqve virtutis amorem concipiant, mox territi difficultatibus obviis, omnem ejus conſeqvendæ ſpem abiiciunt, otio ſeſe tradentes ſpirituali, ſuæqve ſaluti omninò diffidentes. Leves plerunqve ſunt, inconſtantes, inqvieti & turbidi, nullius conſilium admittunt, proprium judicium, optimorum etiam Virorum inſtitutis anteponentes, diligunt laudantes ſe, increpantes verò pluſqvā vatiniano odio proſeqvuntur, & cum in omnibus doxoſophi illi ſe ipſos qværant, vel gravi impetu ruunt præcipites, vel miſerè tandem contabeſcunt. Nihil tale novêre *felices* illi *ex boni Spiritûs*

præſentia familiaritateq́ Literati, ſed imperturbata animi ſui qviete ac tranqvillitate etiam atqve etiam fruuntur.

III. Certiſſimum ad hæc præſentiæ familiaritatisqve divinæ ſignum eſt affectus erga proximum flagrantior, ſiqvidem tum demum cœleſtis Spiritus in corde Felicis Literati ſedem figat ſtabilem, cum qvælibet amoris debiti officia iis exhibeantur, qvi ad divinam imaginem ſunt conditi, atqve tunc temporis etiam miſericordia & pietas erga proximos prævaleat, cum juſtitiæ rigor in eosdem eſſet exercendus. Et cum perverſus ille infernaliſqve ſpiritus, ſua in Orbe Literato mancipia ſemper ad iram, indignationem, livorem ſummamqve animi amaritudinem provocet, qvinimò ſibi affinem, h. e. verè diabolicam ferociam ingeneret; pii ex adverſo Literati, tunc maximè de Spiritûs divini præſentiâ ac familiaritate certiores evadunt, ſi omnis amaritudinis, odii & averſionis ſcintillæ in ipſis extingvantur, ſi lubentes certent obſeqviis, optimè cuncta interpretentur, imò & jure ſuo non gravatè cedentes, divino urgente ſpiritu omnia ſuſtineant, nulli ſine maximâ neceſſitate contradicant, nulla litigia verbo ſerant ſive ſcripto, nulla alant odia, ſed pacem cum omnibus amabilem optatamqve cuſtodiant, raram ſic obtinentes æqvanimitatem, beatiſſimiqve cordis dulcedinem,

Digitized by Google

dinem, qvâ nihil eſt gratius, majoriſqve apud omnes exiſtimationis, amabilem inqvam illam manſvetudinem ſpirantes, charitate ſingulari non minus qvam gratiâ divina cumulatiori fulgentem, omnes injurias, offenſas, calumnias, æqviſſimo tolerantem animo, omnemqve inimicis, æmulis atqve obtrectatoribus benevolentiam exhibentem, tùm temporis maximè, cum admodum moleſtos, contrarios, imò pernicioſos illi ſeſe præbuerunt. Notabile inſuper feliciſſimæ illius conſociationis indicium eſt, ſi Felices ex animo Literati, Viros ſumma virtute pietateq; conſpicuos cũ ingenti qvâdã dignatione in animos ſuos admittant, atqve vel ſuperſtites ſincero reverentiæ affectu proſeqvantur, vel beatè defunctorum res geſtas freqventer evolvant, ipſorum veſtigiis probè inſiſtant, tantisqve nominibus ſemper aſſurgant, cum qvodam etiam ſimilitudinis deſiderio & affectatione. Sanè ſi Literati, qvantumlibet profani ſuisqve acti cupiditatibus, ad hominum Sanctorum vitas non tam percurrendas, qvam attentè legendas ſeſe accingerent, fieri vix poſſet, qvin vehementer ad pietatis virtutisqve Chriſtianæ ſtudia afficerentur. Maximum eqvidem piorum Hiſtoriæ momentum ad inſinuandum verum DEI veri cultum habent; Exemplis adeò vividis, vita carnalium Literatorum vel concidat, vel certè emendetur neceſſe eſt.

IV, Cæterum, bonum illum piiſqve literatis *familiarem ſpiritum*, ſemper comitabitur DISCRETIO, ſive digniſſima Doctore Chriſtiano PRUDENTIA, *qvæ* (Bernardo itidem monente) *ſpiritum temperet, omniq́ virtuti ordinem ponat, decorem etiam & perpetuitatem conciliet. Tolle hanc* (addit notanter) *& Virtus vitium erit, ipſaqve affectio naturalis in perturbationem magis convertetur, exterminiumq́ naturæ.* Nonniſi mortales divino præditi ſpiritu, nobili illa affectuum moderatrice gaudent & morum magiſtrâ. Aſt qvi nullum in perdomandis affectibus ſuis modum ſervare ſciunt, ſed prudentiâ diſcretioneq; deſtituti, ad graviores freqventer impelluntur exceſſus; illi neutiqvam à bono, ſed pravo potius ſpiritu incitantur, qvi author omnigenæ eſt confuſionis, ſuoqve impetu nullos non dejicere contendit, qvinimò malitiâ ſuâ efficit, ut nimis rigidi morum alienorum reprehenſores, turpiores interdum fiant ipſis delinqventibus, ſiqve non ſemper malo atqve diabolico ſpiritu illi ducantur, *proprio* tamen *ſuo* privatoqve potius, qvam divino & cœleſti ſpiritu intrinſecus moventur & incitantur. Nullus eſt hoſtis homini (literato præſertim) pernicioſior qvam PROPRIUS ipſius SPIRITUS, ſubdolus, fallax, captioſ⁹ eſt, qvietis impatiens, amantiſſimus oppoſitionum. Nihil eſt tam deforme,

Bernar. Ser 49. in Cant.

qvo

qvo ille non occupetur, nihil tam abſonum & inane, qvod non amplectatur. Dum divinum jactat famulitium, diabolicam ſæpè ſubit ſervitutem, & cum callidiſſimus ſit, mirabiliqve ſubtilitate ac induſtriâ ſe ipſum verſet, ut plurimum ſe ſuaqve commoda ſub divinæ gloriæ, & majoris perfectionis prætextu occultare ſolet. *Grande profundum* (inqvit D. Auguſtinus) *eſt homo, cujus capillos tu Domine numeratos habes, & non minuuntur in Te: & tamen capilli ejus magis numerabiles ſunt, qvam affectus ejus & motus cordis.* Ex profundiſſimâ igitur illâ, latibulisqve & ſpecubus plenâ *Proprii ſpiritus* abyſſo, utplurimum oriuntur vehementiores illi inſtinctus, qvos ſperatæ ædificationis loco, turbæ graviores, atq; fulminantes miſeriæ non rarò inſeqvuntur. Qvalis obſecro indignationis ac excandeſcentiæ fructus ſperandus, ſi ex ſinceræ charitatis pietatisqve ſolidæ radice minimè illa proveniat? Negant boni qvilibet, ita loqvi aut furere ejus eſſe, qvi Sancti Spiritus præſentiâ gaudeat, divinamqve reſpiciat gloriam, atqve Chriſtianam ſitiat ædificationem. Cœleſtis inqvam bonitatis ſcatebrâ vitio ſuo excidunt, qvicunqve nullam ingenuitatem, nullum in arguendo præſtant ruborem, arduumq; illud cenſendi munus, more Gigantum (qvos perhibent montes montibus imponentes, ad cœlum tentaſſe aditum) verbis

Confer Coment, IV. p. 548.

hinc inde congeſtis durioribus magniſq; clamoribus concitatis, moribus autem non ita angelicis obiri poſſe exiſtimant. Revera procul ab illis DEI gloria eſt, procul amor ſinceræ pietatis, cum ſe ipſos in omnibus qværant, ſe colant, ſe diligant, & ſanctiſſima qvæqve, à vero fine abſtracta, in ſe ipſos horribili ſacrilegio convertant. Elationis ſpiritu freqventer tales incitantur, qvi Gregorio M. monente *impedit, qvo minus qviſqvam Spiritus divini receptaculum efficiatur, non reqvieſcit ille niſi ſuper humilem, & qvietum, & trementem ſermones DEI.* Qvo ferventior & vehementior ejuſmodi Literatorum eſt zelus, omni charitate deſtitutus, eo præcipitat facilius, eoqve clarius ac diſertius dęmoniacæ etiam familiaritatis facit indicium, ſiqvidem nulla apud eos virtus locum habere poſſit, qvi ſæpius nimio illo noxioqve ſpiritûs fervore abripiuntur. Et cum Spiritus bonus, bonos qvoſqve ſvaviter, malos aſperè ſuos moveat, dubium non eſt, qvin vel proprium ſuum vel malum illi habeant familiarem, qvi nobili affectuum dominio penitus deſtituuntur, inqve vehementiſſimos impetus feruntur præcipites. *Usq, adeò* [ait pientiſſimus Bernardus] *homo impulſor ſui eſt, & ſuimet præcipitator, ut non ſit qvod ab altero impulſore formides, ſi ipſe à te proprias contineas manus*; Cautius hinc ſibi Vir literatus & diligentius

Bern. Serm. 85. in Cant.

à ſe

Digitized by Google

à ſe ipſo, proprioqve ſuo ſpiritu caveat, qvam à diabolo, cum hic nocere neutiqvam poſſit, niſi nos ipſi, hoſti tam truculento arma manũ & labia præbeamus.

V. Nulla certior deniqve præſentiæ divinæ angelicæq; nota eſt, qvam freqvens ad opera præſtantiora vitæq; ſanctioris ſtudium excitatio, qvippe qvâ & torpor omnis repellitur, & circa parandam augendamqve virtutem mira alacritas & promptitudo ſolet oboriri. Etiamſi proprius qvoqve ſive privatus ſpiritus, homines doctos cupidoſqve ſcientiarum, ad res divinas & ſupernaturales diſcendas & inveſtigandas moveat, nullo tamen id agit divinæ gloriæ amore ac ſtudio, ſe ipſum qværens in omnibus, ut ſuper alios emineat, ut prædicetur ab aliis, ut propriæ ſatisfaciat curioſitati. Hinc verba Literatorum eo ſpiritu agitatorum oriuntur magnifica, rara, ſubtilia; ſcripta, declamationes, meletemata, qvorum fructus pruritus eſt aurium, neutiqvam vero ſalus & converſio proximorum. Hinc libri philoſophorum, ſtylo ſublimi de virtute compoſiti, vita deſtituti & ſpiritu, mentem qvidem diſtractam qvodammodo recolligere, voluntatem verò ad pietatem charitatemqve ſinceram haudqvaqvam accendere ſunt idonei. Fructu ſiqvidem valdè exiguus eſt ſermo ex naturæ ſolius inſtinctu procedens, ſimilis æri ſonan-

ti, & tinnienti cymbalo. Aſt ſupremi veriqve Numinis ſpiritu (qvi fidelibus tantum veriiſqve Literatis eſt familiaris) animata verba, ſcripta, opera, licet in ſe exilia & ſimpliciſſima videantur, fructus tamen proferunt uberrimos. Minimè ſpiritus ille (ut proprius literatorum) tam facile diſtrahitur & effunditur ad exteriora. Nec comitem habet prudentiam carnis, ſed ſcopum ſuum palmarium h. e. gloriam DEI ſemper reſpicit, & ad arctiorem cum DEO tendit unionem. O verè felices illos Literatos, qvi ſanctiſſimo hoc ducuntur Spiritu, ejuſqve inſtinctu non á vitiis ſolum & voluptatibus magis magiſq; retrahuntur, verum etiam ad ſupremos in Sacræ Theoſophiæ ſtudio tendunt honores, nec à graviſſimis pro DEI amore laboribus abhorrentes, nec ab afflictionis & calamitatis multivariæ incurſu; acqvieſcentes in divinâ voluntate ejuſmodi animos turbare deſinent inqvieti impetus, abſqve angore eventus caſuſqve omnes illi excipient, inter dulcia providentiæ præſentiæqve cœleſtis brachia nunqvam non felicem tranqvillitatem & tranqvillam felicitatem mentes illæ beatiſſimæ conſeqventur.

COM-

COMMONEFACTIO X.

ANGELUS SATANÆ COLAPHIZANS,

SIVE DE

GRAVISSIMIS LITERATORUM, AD FELICITATIS PERPETUÆ SEDEM ADSPIRANTIUM TENTATIONIBUS.

Ad Diſſert. Prælim. Num. ult.

I.

PRudens ac vetus ſcitum eſt: *ubi meliores Homines, ibi vehementiores tentationes*. Id cum in omni mortalium (probitati ſinceræ ſtudentium) genere obtineat, magis tamen locum habere videtur in ordine & ſtatu LITERATORUM, ad pietatis ſolidioris exercitia à profanâ vanitate converſorum, & ad veræ imperturbatæqve felicitatis ſedem aſſurgentium; ſiqvidem hi cumprimis graviſſimarum Tentatio-

tationum procellis undiqve pateant, & nullis non hoſtium infernalium inſidiis, DEO ita permittente, exponantur. Nuſqvam *Pie-eruditis* à tentatione eſt ſecuritas, nec doctrinæ præſtantia, nec vitæ morumqve integritas, nec *Sacer* ipſe *Seceſſus* illos abadverſantium inimicorum dolis & fraudibus præſtant immunes. Qvamprimum Literati, excuſſo indignæ ſervitutis jugo, ad DEUM acceſſerint, ei toto corde adhæſuri, partes contrariæ plurimum ipſis faceſſent negocii, & contra Philotheos, mundanæ diabolicæqve copiæ vehementius inſurgent. Ipſe Tenebrarum Princeps poteſtatis ſuæ infernalis machinas adhibebit, inqve eos maximo feretur impetu, qvos ardentius à DEO amari deprehendit. Et cum avernalis hic gulo ſelectiores dapes appetat, hinc plurimũ operæ in rapiendis, & tenebrarum poteſtati vel poſtliminiò ſubjiciendis ſupernæ lucis filiis ducit impendendum. Licet non rarò diviná benignitate contingere ſoleat, ut ſperatá prædà aſtutiſſimus ille venator excidat, Viroſq; ſanctiores acerbius tractando, ut plurimum ſplendidius atqve elegantius exornet. Qvam robuſta ſit arbor, turbinis monſtrat procella, qvos animos miles gerat, pugna declarat, qvam peritus ſit nauta, in tempeſtate cernitur: qvantæ pietatis ſectator Literatus ad DEUM converſus exiſtat, tentatio-

num

Digitized by Google

num inſurgentium conflictus oſtendunt. *Vita noſtra* (præclarè ait Auguſtinus) *qvia profectus noſter per tentationem noſtram fit, nec ſibi qviſqvam innoteſcit niſi tentatus, nec poteſt coronari, niſi vicerit, nec poteſt vincere, niſi certaverit, nec poteſt certare niſi inimicum & tentationem habuerit.* Tantum profectò abeſt, ut graviores ejuſmodi tempeſtates, genuinis Chriſti ſectatoribus, & ſacro ſanctæ diſciplinæ alumnis olim futuræ ſint ignominioſæ exitioſæqve, ut potius maxima ex illis ornamenta & emolumenta ſint conſecuturi. Velut vaſa aurea, illi cadent illæſi, & ſine ulla noxâ ad ſaxa ſcopuloſqve tentationum allidentur. Prohibent eædem utplurimũ, ne animus piè-literati ex laude turgeſcat, & ne ulla honoris gloriæq; inanis cupiditas ſacra tractantem invadat, vel cauſam Religionis agentem extimulet; Monent itẽ DEO-ſacrata pectora, ut criſtas ſuas, omnemq; faſtum deponant, atqve pudibunda in nihili ſui abyſſum ſeſe immergant. *Ne* (inqvit vas electum, & cæleſtis paradiſi hoſpes) *magnitudo revelationum EXTOLLAT ME, datus eſt mihi ſtimulus carnis, ANGELUS SATANÆ, ut me colaphizet.* Gravi nimirum tentationis procella pulſabatur Paulina infirmitas, ne ſanctitas illuſtrior ſuperbiret, ad palum exqviſitè cruciantem adligabatur, oppoſitum *faſtui*, ut tantum de eo deme-

Auguſt. in Pſal. LX.

II. Cor. XII. v. 7.

demeretur, qvantum ex revelationum excellentia, & magnitudine donorum ille capere poterat incrementi. Atrociſſimus Apoſtoli adverſarius, ſuperbiſſimus ille coluber, Satanæ ſc. angelus, per accidens Medicum agere debuerat, ne lethali ſuperbiæ morbo, Chriſti Angelus, atqve meritiſſimus Apoſtolorum corriperetur. Ne terreat itaq; athletas Chriſtiano-Literatos gravitas tentationum, etſi maximâ vi, & catervatim qvaſi irruentium, habebunt & ipſi cælitus unde reſiſtent, & nullas non dæmonum colaphizantium plagas eludant. Capitale omninò iis foret locum deſeruiſſe, aut penitus fugiſſe ex ſtatione, qvocunqve loco eos Dux collocarit, ibi certent ſtrenuè, nec campum unqvam pudibundi deſerant, ni ad infernales triremes damnari, aut perpetuæ infamiæ ſtigmate notari velint. Qvandoqvidem verò duplex Tentationum, *Literatis Hominibus* obvenientium, genus reperiatur, *alterum*, qvo ante converſionem ſuam ad peccata & vitia, faſtum ſcil. inanem gloriam, contentionem, ambitionem, noxiamqve curioſitatem pertrahuntur; *alterum*, qvo converſorum ad pietatis ſinceræ exercitia Literatorum virtus ita exploratur, ut magis magisqve innoteſcat; noſtrum nunc erit ſepoſito priori illo tentationum genere (qvippe qvod integro *de Vitiis Literatorum* opere ſumus proſecuti,) poſterioris

pau-

Digitized by Google

paulò curatiorem facere mentionem, adeoq; tempeſtatum, afflictionum ac certaminum qvorundam, provectioris Virtutis Literatos apprimè exercentium naturam ac indolem dare demonſtratam, nec minus adhibito ſapientiorum conſilio oſtendere, qvâ ratione piè-Literati, tentationibus vehementioribus impetiti, erigi ac firmari, qvibuſve ſolatiis malo accreſcente ſuffulciri qveant.

II. *Principiò* freqventiſſimè accidit, ut Literati (excuſſo licet indignæ ſervitutis jugo,) pravis adverſus *Orthodoxam Fidem* ſuggeſtionibus infeſtentur, eorumqve cordibus *ab Angelo Colaphizante*, contrariæ Verbo cælitus revelato ſententiæ inſpirentur ingeranturqve, qvin imò nonnunqvam dubia moveantur adeò enormia atqve pudenda, ut optimi exin de religione, & doctrinâ puriori ſenſus corrumpantur, ipſiqve tentati à *fidei naufragio* interdum parum abeſſe videantur. Et cum non pauca ſint, qvæ in excellentioris etiam eruditionis hominibus Veritatis Evangelicæ lucem extingvere, ſaltim obfuſcare qveant, habebit eqvidem unde ſibi metuat vel pientiſſimus aliqvis Hieronymus, ne ad ſyrtes & ſcopulos periculoſarum ejuſmodi dubitationum navem ſuam adfligat, vel ſcriptores profanos curatiori operâ perluſtrando, colorem qvempiam profanitatis attrahat. Sicuti laudatus modo civis Stridonenſis graves

ves qvondam pro tribunali divino in ſomnis pœnas dedit, qvod Ciceronianus magis qvam Chriſtianus eſſet, & alius homonymus (famigeratiſſimus videlicet H. W.) ſub ævi ſuperioris finem horrendæ adeò tentationis procellam ſubiit, *ut confidere non potuerit* (ipſiſſima Viri maximi verba adſcribo ex epiſt. ad J. M. cujus αὐτόγραφον etiamnum poſſideo) *ſe ſi neceſſe foret ultro ſangvinem pro Chriſtianâ Religione profuſurum.; interpellantibus ſubinde philoſophicis phantaſiis, quæ non tam ex philoſophicâ doctrinâ extiterint, qvam ab ipſa naturæ pravitate, ſibi ingeneratæ fuerint &c*; Ita nullus dubio locus relinqvitur, qvin æqve periculoſis tentationibus Literati, ingenii præſtantioris opibus prædici exerceantur, aſtu dæmoniaco in ea incidentes, qvæ fidem labefactare, & pudendum qvendam γογγυσμὸν καὶ διαλογισμὸν *murmurationem* ſcil. *& diſceptationem* concitare, ipſosq;,ni vigilent ſollicitè,extremæ ἀπιστίας laqveis involvere poſſint. Qvod cum pro eâ qvâ pollent mentis perſpicacitate ipſi facilè prævideant, & ſummas mortalium (ſuggeſtionibus diabolicis infeſtatorum) miſerias etiam atqve etiam ad animum revocent, ideò Deum precibus ardentioribus compellabunt, ut abigere à ſe illum Satanæ Angelum velit, cor dare docibile, incredulitatem juvare, dubia

Digitized by Google

bia & ſcrupulos qvoſcunqve eximere, deniqve intemeratâ ſe donare & inconcuſsâ fidei verè ſalutaris firmitate. *Ah* ! (en ardens illorum ex intimæ pietatis ſenſu ſuſpirium !) *qvis illuminabit tenebras meas, niſi Tu ô ſanctiſſime Pater Luminum? qvis alius nubem errorum & falſitatum à corde meo depellet; qvis præter Te, involutum tenebris illuminabit, ut Solem justitiæ & Lumen veritatis videre valeat? Qvando lux fiet, nubesq; diſcedet tenebroſa, oculos meos operiens? O Veritas æterna, & falli neſcia, Te invoco die noctéq;, ut tenebras pellas, infundas lucem, ut videam ubi ambulem, qvoniam graviſſimis de fidei (qvam profiteor) veritate tentationibus turbatus animus meus, ipſumq; oculorum ſpiritualium lumen non eſt mecum; Ne obſecro faciem tuam diutius abſcondas, neq; inopiæ meæ obliviſcaris, & miſeriæ; ne inimicum me arbitreris tuum, eò qvod inimicus infernalis catapultis ſuis peſtiferis infirmum valdè ac debilem impetit, ſanosq; de religione ſenſus corrumpere conatur; ſiccine projectus ſim à facie oculorum Tuorum, qvod meo obtutui caliginem ſuffundere laboret tenebrarum princeps; ne diutius à veritatis tra-*

mite aberrare ſinas me pauperem, viarum ſalvificarum neſcium, omniq́ virium & luminum ſanctiorum gratiâ deſtitutum. Faciem tuam etiam atq́ etiam reqviro Domine, ne mea deinceps, gravitate & vehementia tentationum ingruentium miſerè confundatur!

III. Non deerit eqvidem Literato agoniſtæ auxilio & ſolatio ſuo cœleſtis opitulator, qvin potius animâ impigrè certantem pariter ac fervidè orantem luminis gratiæqve ſuæ favonio etiam atqve etiam recreabit, eo præſertim tempore, qvo tentationum ejuſmodi moles ingraveſcit, menſqve vehementer afflicta, tantum non penitus derelictam ſeſe reputat; Tempore inqvam, qvo omnem morbus iſte ſpiritualis medicinam reſpuere videbitur, nuntius optatæ aderit ſalutis, fideiqve nutantis refocillator reſtauratorqve oportunus, tunc *colaphizans* ille *Angelus* & ſatelles infernalis potentiâ qvâdam inviſibili abigetur, pectorum caliginoſorum diſcutientur tenebræ, & in veritate cœlit⁹ patefacta feliciter tandem aliqvando illa acqvieſcent. Qvinimò depulſi iſtius dæmonii loco Veritatis cœleſtis Spiritus corda ſubibit agoniſtarum, in omnem eos ducturus veritatem, nec minus diſertè oſtenſurus, plurimos doctrinæ pariter ac pietatis laude inſigniter conſpi-

cuos

Digitized by Google

cuos viros conſimilium tentationum procellis expoſitos fuiſſe, neqve tamen unqvam ſuccubuiſſe, ſed potius fortiores per eas evaſiſſe, & ad ſectandam ſinceram pietatem prōtiores, cæterum probandos eſſe in tentationum ejuſmodi atrociorum camino electos, ut expurgati à ſcoriis ſuis liberentur. Neqve ſolum illuſtre ac incomparabile ſalvificæ FIDEI donum benigniſſimus Luminum Pater literatis enixè id ipſum flagitantibus largietur, verum etiam familiarem tanti theſauri uſum concedet, uſum inqvã, qvem ſacri ſeu θεοπνεύστοι pariter ac Eccleſiaſtici Doctores [qvos Patres vocamus] mirificis encomiis celebravêre; atqve inprimis Clemens Alexandrinus cunctis Chriſtianæ pietatis cultoribus non ſecus commendatum eſſe voluit, qvam elementorum omnium uſum. *Ut enim* (inqvit) *abſqve qvatuor elementis non licet vivere; ita nec abſqve fide licet aſſeqvi cognitionem.* Vix eqvidem ac ne vix qvidem Literati, ſpiritualium rerum avidiores, earundem fructum aſſeqventur, niſi FIDE utãtur familiariſſimè, & æqve qvidem ardenter illius uſum expetant, ac elementorum, aut bonorũ qvorumlibet aliorum, qvibus corpori neceſſaria vulgò comparari ſolent. Non malè qvondam B. Chromatius, Opera mortalium, etiam conſpectiora, *Ambulationi nocturnæ aſſimiliavit*, qvam, niſi lumen præcedat

Clem. Alex. lib. II. Strom. ſect. 4.

Chrom. Conc. in cap. V. Matth.

cedat fidei, magnorum caſuum & errorum pericula certo certius ſint exceptura *Lucerna* (ait notanter) *corporis, ſenſus mentis, & FIDES cordis intelligitur; Qvæ ſi in nobis pura & lucida fuerit, ſine dubio omne corpus noſtrum illuminat. Idcircò autem lucerna in comparatione Fidei ponitur, qvia ſicut lucerna incedentium in nocte greſſus illuminat, ne aut in foveas aut in offendicula queqve ambulantes incurrant; ita & in hâc ſeculi nocte ſplendor Fidei omnes vitæ noſtræ greſſus, praeunte lumine veritatis illuminat, ne aut in foveas peccatorum, aut in offendicula diaboli* (qvalia cumprimis ſunt perverſi de verâ Religione ſenſus) *incidamus.* Tanti igitur Luminis ſplendore çolluſtratus Literati viatoris animus, nocturnas operationum & afflictionum ſuarum ambulationes haud adeò difficili negotio peraget, & qvarumcumqve tentationum ſeductionumqve anfractus & ſcopulos feliciſſimè evitabit.

Theodor. Serm. XII. de Græcor. affect. Sicur. in princ. Oportunè huc etiam veniet Magnus Theodoretus, FIDEM radici arboris comparans, ex qvâ rami prodeant atqve nutriantur; item acqviſitioni *Scientiæ*, qvæ non prodeſt, niſi ei qvi uti velit; En verba! *Sicut arbores ſuis radicibus innituntur, & ab eis alimentum percipiunt; & iterum rami folia, fruct⁹, ornant radicē, & radix inutilis eſſet, niſi hac adeſſent; ita Fides ſemper ornanda eſt operibus,*

bus,& operibus, fidei inhabitantis præſtantia demonſtranda; *Et ſicuti qvi picturam vel ſutoriam artem perdiſcunt,non ſolum, ut earum rationem teneant dant operam; ſed ut multo magis ſuis manibus exerceant; ſic moralis philoſophia, h. e. Evangelica doctrina non tantum diſcenda eſt ut eam ſciamus, ſed verbis etiam, moribus & vita exprimamus.* Sed & Magno Chryſoſtomo auſcultemus, FIDEI ſalvificæ praxin more ſuo,h. e. perqvam egregiè commendanti, nihilqve ſalutare inveniri poſſe exiſtimanti, niſi Fidei operatio concurrat; *Neq; enim* inqvit, *ſi qvis clauſis oculis qvarat, invenire qvid poterit; ſicut item, ſi apertis illis ſeipſum humo obruat, averſatuſq; Solem ibi inqvirat, invenire aliqvid neqvaqvam poterit. Adeò SINE FIDE nihil inveniri poteſt, eaq; abſente pugnas naſci neceſſariò contingit.* Qvibus verbis Chryſoſtomus ſummam ejusdem *Praxeos Fidei* neceſſitatem innuit, cujus alibi [dummodò illi opus imperfectum in Matth. ſit tribuendum] duo valdè egregia, & in rem noſtram apprimè facientia emolumenta commendavit; alterum ſc. qvod *Artes dæmonis*[ſiveColaphizantis illi⁹,&Literatos Viros graviſſimè impetêtis angeli] detegantur; alterum qvod qvaſi ex eminentiori loco infernalium hoſtium machinæ deiiciantur. *Sicut* inqvit, *in turri conſiſtentes, duo bona conſeqvuntur; & hoſtium irruptionem ipſi*

Chryſ. hom. XVII. in epiſt. I. ad Tim.

Author operis imperf. in Mat. hom.40.

 facilè

facilè non patiuntur, & hoſtes de turri facilè conterunt, ſic & qvi in fide Chriſti conſiſtunt, vel in lege DEI, & dæmones ſuper illos irruere non ſinunt, & ſpiritualibus bonorum ſagittis eos facilè vulnerant. Agite igitur ô Literati, dæmoniacâ tentati exagitatiqve fraude FIDEI Chriſtianæ propugnaculo eò ſolidius firmiusq; inſiſtite, & gratiæ cæleſtis clypeo freti, fortiter retundite imò comminuite, diffringite, diſiicite pernicioſiſſimas illas principis tenebrarum catapultas, hoſtium qvorumvis ſpiritualium conatibus ferventius occurrite; militari inſuper prudentiâ in ſuſcepto cum tantis adverſariis certamine, ac FIDEI ſolidioris armaturâ adhibitâ, illorum [ſtudio curatiori] munitiones explorate, fraudes & conſilia perpendite, ac ſedentes deniqve cum animo veſtro cogitate, *qvomodo cum decem millibus* [ſanctarum cogitationum & adſpirationum] *occurrere eis poſſitis* [Satanæ angelis] *qvi cum viginti millibus* [pravarum adverſus fidem Orthodoxo-Chriſtianam ſuggeſtionum telis] *vos adoriuntur*, veſtriq; everſionem miſerandam perpetuò meditantur; planiſſimè vobis perſvadeatis, qvod FIDEI ſalvificæ clypeo muniti, ac freqventiori ejuſce virtutis exercitio cœlitus præditi, glorioſiſſimam de hoſtibus illis victoriam ſitis reportaturi, ac perpetuæ felicitatis brabéo olim certo certius gaviſuri. *Citò* [ait vobis præ-

Luc. XIV. v. 31.

præclarè Ambroſius] *FIDES exercitata langveſcit, & crebris otioſa tentatur incommodis. Remiſſas excubias callidus inſidiator irrumpit, aſſvetum autem bello virum externa fraus inſtruit, & glorioſe provehit palma VICTORIÆ.* Cavete igitur ô mei, ne fides veſtra unqvam langveſcat, nec otioſa appareat; minimè remiſſas deinceps agite excubias, ſi glorioſæ palmæ victoriam tandem aliqvando obtinere velitis *. *Ambroſ. in Pſal. 118.*

IV. Profligatus igitur ad eum qvem diximus modum COLAPHIZANS ANGELUS, & ad orcum unde prorupit, cum catapultis ſuis teterrimis, ſeu Orthodoxæ veritati contrariis ſuggeſtionib⁹ relegat⁹, reditũ non raro parat, alio tamen armorum genere inſtructus, dum

* *Qvantus fuerit ABRAHAMI in fidei pugna fervor, Hebræi veteres ex decem vicibus collegerunt, qvibus tentatus graviter, & in omnibus probatus fuerit, hinc de eo in Pirke avoth cap. 5. ſeqventia leguntur :* Decem vicibus probatus eſt Abraham Pater noſter, & in omnibus firmus extitit, ut hinc intelligatur, qvantus ejus in DEum amor extiterit. *Tum igitur Abrahamitæ veri, atq; genuini Salvatoris diſcipuli agoniſtæ Literati evadent, ſi in graviſſimis illis concertationibus nunqvam ſint remiſſiores, & bonum fidei certamen ad vitæ finem decertent.*

ſcil. LITERATOS etiam rectiora ſapientes, & ad ſupremæ felicitatis ſedem non tardo greſſu tendentes, ſæpè impatienti murmure, imò perverſis etiam & blaſphemis in DEUM cogitationibus ducit infeſtandos, ſaltim ſtimulandos, ut Patrem illum benigniſſimum amore debito ac filiali haudqvaqvam afficiant, nec ipſi ex animo [nefariis qvippe ſuggeſtionibus præpediti] confidant ; Hinc etiam eſt, qvod non rarò tẽtati illi triſtè invitamq; ab omni cultu divino, privato æq; ac publico averſionem ſentiant, & continuas moleſtiſſimasq; in Oratione diſtractiones, devotionisqve Chriſtianæ decrementa experiantur. Duræ valdè, nec immeritò, ipſis videntur tentationum ejuſmodi multiplicatarum procellæ, erubeſcunt utplurimum confiteri cordis anguſtias, & impetum phantaſmatum edicere, qvibus ſine ullâ propemodum remiſſione exercentur. *Qvousq;* [ait intra ſe afflicta ejuſmodi anima] *talis ero, anne in ſeram ſenectam & laſſum uſqve ſenium devotionis gratiâ & gaudii ſpiritualis dulcedine deſtituar? Siccine per invia & devia viarum rapiar, num tumentes illi fluctus per omnes navigationis meæ temporalis dies ſævient? Heu! me miſerum, heu deſolatum! pectus ſtringitur, cerebrum obruitur, vires deficiunt, & ipſa anima tanto onere preſſa, vergit ad interitum! Vita & ſalus omnis me tandem deſtituet, ni opportunum malo tam atro-*

Digitized by Google

atroci remedium adhibeatur. Non eſt verò qvod animum deſpōdeant, aut de felici reſtitutione ſua penitus deſperent preſſa ad eum modum Literatorum pectora, non eſt cur ſecum aut cum DEO ipſo tantoperè expoſtulent, atqve denegati favoris paterni reum eundem ducant peragendum: Sint licet afflictiones iſtæ moleſtiſſimæ, & importabilia planè παθήματα videantur, levia tamen reddet gratia cæleſtis, ſpiritui verè contrito & humiliato ſociata, certo certius credant mentes cogitationibus turbulentioribus infeſtatæ, id neutiqvam ſibi ad pœnam imputatum iri, qvod deſtinato conſilio aut pleno cordis aſſenſu haudqvaqvam ab ipſis fuit patratum admiſſumqve; cæterum cæleſti ad Apoſtolũ voci auſcultantes: *Sufficiat Tibi gratia mea qvæ in INFIRMITATIBUS perficitur &c.* *II. Cor. XII. v. 9.* firmiter credant, inſidiantem ſibi Satanæ angelũ minimè prævaliturũ, qvin poti⁹ animum, igne tentationum vehementiorum tortum, teſtæ inſtar inſignem indepturum ſoliditatem. Exoſculentur etiam atqve etiam aggravatam ſuper ſe Parentis ſupremi manum, cumqve paulò ſerenioris ſint mentis, actus fidei & amoris eò ferventiores eliciant, qvo gravioribus & vehementioribus tentationum afflictionumqve ſpiritualium procellis exercentur, de cætero pugnæ exitum illi committant, qvi cunctis legitimè certantibus

auxilia paratiſſima, & perpetuæ tandem felicitatis coronam adpromiſit.

V. Sed & aliæ pugnæ piè-eruditis, deq; hoſte infernali victricib⁹ animabus ſubeundæ ſiqvidem eaſdem INCARNATI nō rarò SATANÆ ANGELI impetant; Homines nimirū perverſi, maligniq; ſummas ipſis moleſtias faceſſant, & optatam præpedire tranqvillitatem omni virium niſu laborent, mox acutiſſimis obloqviorum & contradictionum telis illos divexantes, mox acuto livoris gladio ferientes innoxios, mox calumnias, odia & convitia aliorum in eos concitantes, mox cunctas piè-literatorum actiones hypocriſeos, ſuperſtitionis, & affectatæ ſingularitatis inſimulantes, tandem extremæ etiam infamiæ periculo exponentes. *Incruenta* hæc dixeris *Martyria*, qvibus *piæ animæ* (dicente Gregorio Magno) *trucidantur nullo percutientium ferro*, atqve Chriſto patienti compatiuntur. Qvid agat verò tentata ad eum modum ſinceri philothei anima, num multum turbabitur nefariorum ejuſmodi hoſtiū infeſtationibus, & ictib⁹ maledicorum ad iram ſeu furorem concitabitur? Minimè; qvin potius fortiſſimo graves illos impetus pectore excipiet, atqve ſaluberrimo Chriſtianæ patientiæ clypeo eludet. *Nihil etenim* (ait præclarè D. Gregor. Nazianzenus) *perſecutorem* (omnemqve adeò malignum conviciatorem) *ita ſuperat ut patientis*

Gregor. M. homil. 35. in Evangel. Confer pium. noſtr. ſeceſſum, p. 124. ſeqq. & Fel. Literat. Comens. VI. p. 731. ſeqq.

entis alacritas; Qvâ præditus agoniſta Chriſtianus, cunctos colaphizantium Satanæ ſatellitum inſultus maſculè ſuperabit, ac de totâ malignantium phalange feliciſſimè tandem triumphabit, etiamſi illum, omnemq; adeò *Felicem* [ex ſinceræ pietatis & tolerantiæ exercitio] *Literatum*, graviſſima pſeudo-fratrum & pſeudo-ſophorum, qvinimò philodoxorum & paradoxorum zoilorum odia, maledicta, & tela obloqviorum virulentiſſima exerceant, palmam tamen idem olim obtinebit imperturbatæ proſperitatis: Qvod ſi præter rem ille hypocriſeos aut temeratæ ſinceritatis, affectatæqve ſingularitatis inſimuletur, videat, ac ſollicitè admodum caveat, ne ſiniſtris ejuſmodi malè doctorum & malè coctorum judiciis evertatur penitus. Ad animum potius ſibi communem bonorum piorumqve virorum revocet ſortem, utpote qvi ab omni ævo iniqvorum nefariorumq; gerronum irriſioni atqve inſectationi fuêre expoſiti. Qvomodo inter Gentiles olim exoſa fuerit virtutis exſuperantia, gemino exemplo Ariſtidis & Hermodori Tullius demonſtravit : *Eſt* (inqvit) *apud Heraclitum phyſicum de principe Epheſiorum Hermodoro; univerſos ait Epheſios eſſe morte mulctandos, qvod cum civitate expellerent Hermodorum * ita locuti ſint : Nemo de nobis unus excellat: ſed ſi qvis exſtiterit,* *alio*

Naz. Orat. 22.

Cicero Tuſcul. l.V. circa fin.

* *De Hermodoro ſic Strabo lib.* 14. *Geogr. p.* 441. *Et Hermodorus, de qvo idem* (ſcil. Heraclitus phyſicus) *ſic loqvitur:* Digni Epheſii qvi ad unum omnes ſtrangulentur; qui Hermodorum Virum inter ipſos frugi ejecerunt, *addito:* Nemo noſtrum frugi ὀνήιςος eſto, aut alibi id eſto, & inter alios.

alio loco & apud alios ſit. AN HOC NON ITA FIT IN OMNI POPULO? *Nonne omnem exſuperantiam virtutis odêre? Quid Ariſtides (malo enim Græcorum qvam noſtra proferre) nonne ob eam cauſam expulſus eſt patriâ, qvod præter modum juſtus eſſet?* Aſt qvam verè Cicero: *An hoc non ita ſit in omni populo?* Etiam (proh dolor!) in CHRISTIANO, etiam in hominum DEO ſacratorum cœtu & ordine! ſicuti graviter olim conqveſtus fuit Nicol. de Clemangis, * à carnalibus Clericis non tantum non qvæſitas & guſtatas res ſpirituales, verum di-

* En ipſa Clemangis verba ad Scholaſt. Pariſ. ſuper mater. Concilii gener. p. 69. *Hi* (ait) *carnales filii Eccleſiæ non ſolum ſpiritualia nec curant, nec ſentiunt, ſed etiam perſeqvuntur eos, qvi ſunt ſecundum Spiritum, ſicut à tempore Abel juſti, qvem Cain carnalis occidit, ſemper factum eſt.* Et paulò poſt: *qvi vo-*

ized by Google

volentes ſanctè, juſtè, caſtè, innocenter, ſpiritualiter vivere, cum cachinnis irrident, hypocritas appellant, crucifixoſq; comeſtores, & p.71. *Qvi nihil de ſpiritualibus donis guſtantes, ſi qvis aliqvid de ſpiritu dixerit, velut inſulſum atq; inſipidum cum riſu, & ſubſannatione excipiunt, cum ſibilis exſufflant, cum clamore & contentione rejiciunt.*

dirisſimè cunctos ſecundum ſpiritum ambulantes exagitatos fuiſſe; ita noſtro etiam ævo portentorum qvorundam loco ſunt, & tantum non omnium lingvis odiis ac contumeliis petuntur ſinceræ pietatis cultores, hypocritæ vulgò audiunt & zelotæ naſuti ac fanatici, qvin imò ſub pudendis μωροσόφων, ſanctulorũ, μελαγχολώτων & μισανθρώπων appellationibus omnium exponuntur irriſioni. Si qvid ijſdem humanitus accidat, aut ſi ex infirmitate alicubi impingant, hoſtes illi pietatis exultant, non ſecus ac ſi Troja ipſa occupata fuiſſet. *Cum de aliqvibus* (ait appoſitè Auguſtinus) *qvi ſanctorum nomen profitentur, aliqvid criminis vel falſitatis ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt ut de omnibus hoc credatur*, qvinimo ut omnes omninò pietatis ſtudioſi fraudis & impoſturæ accuſentur, ipſaqve Virtus Chriſtiana hypocriſeos reddatur ſuſpecta. Et cum ſinceritatis Chriſtianæ cultores ſem-

Auguſt. epiſt. 137.

ſemper fuerint rariſſimi, greges puſilli, ſingularem & ὑψηλὴν vitæ πολιτείαν inſtituentes; freqventer accidit, ut turpiſſimo ſingularitatis ſuperbiæqve ſpiritualis ſtigmate à malevolis illi notentur, qvin imò fidei ac religionis temeratæ paſſim accuſentur, qvaſi doctrinæ ipſius veritatem dubiam reddere, & recepta magno conſenſu fidei capita convellere inducant in animum. Non defuiſſe affines calumniandi artes ævo noſtro, ipſa rerum magiſtra experientia, damno Virorum qvorundam pientiſſimorum maximo hucuſqve docuit, oſtenditqve, fœdam calumniam ſuſpicionibus variis abreptam, horrendum & abominabile ſuum virus in ſummos qvoſq; Viros effudiſſe, & Orthodoxos Doctores in colluſionem cum Weigelianis aliiſqve fanaticis pertraxiſſe; cui ſycophantiæ nonnemo carmen hoc memorabile regeſſit:

D.I.G. *Qvi ſtudium hoc ævo pietatis gnaviter urget,*
Et Sophies partem tractat utramq; ſacræ;
Ille Roſæcrucius vel Weigelianus habetur,
Et nota turpis ei ſcribitur hæreſeos.
De me non verita eſt viroſa calumnia id ipſum
Spargere, & his nugis conciliare fidem.
O cæcas hominum mentes, ô pectora cæca!
O ſine judicio debile judicium!
Diſcite qvaſo prius, qvis verè Weigelianus,
Qvisve Roſicrucius diſcite qvaſo prius.

Diſpel-

Diſpellunt radii Solares nubila Cœli,
Lux veri è falſis clarior emicuit.

VI. Non eſt igitur qvod felix ex virtute ſolidâ Literatus, acutiſſimiſq; livoris calumnięqve malignantis telis petit⁹, abjiciat animum, aut pietatis ejuret profeſſionem, conſtans potius in bono perſeveret propoſito, inqve concepta ſententiâ invariabilis, vituperent eũ, carpant, infeſtent Orbis & Orcus pro ſuo lubitu, noctuæ inſtar occlamēt ad avium de die volitantium qvietem interturbandam, tanqvam ſtolidum, ſingularem, moroſum, cœcum, imò heterodoxum & fanaticum deſpiciant; ipſe ſpretis immundi Mundi judiciis nihil magis [cæleſti gratia ſublevatus] ſpectet, qvam qvâ ratione divinæ voluntati morem gerere, ac inter dulcia providentiæ paternæ brachia tranqvillam felicitatem, & felicem animi tranqvillitatem obtinere qveat. Cæterum, apprimè caveat, ne ſpirituali qvâpiam ſuperbiâ turgens, ſupra omnes alios eminere affectet, neve gravem bonorum incurrat reprehenſionē, aut nimiâ ſua auſteritate, religionis veræ, pietatisq; ſolidæ hoſtibus occaſionem præbeat, ut pudendis Humoriſtarum, ἰδιογνωμόνων, Μωροσόφων, naſutorum, Phariſæorum, Diotrephῶν, |Soli- ipſorum aliisq; hujus farinæ appellationibus veros DEI cultores traducere, omniumqve contem-

temptui exponere pergant, qvod tum maximè eveniet, ſi μόρφωσιν duntaxat τῆς εὐσεβείας habentes, rigidè nimis & præciſè præconceptis ſuis opinionibus, & obſervationibus religioſis extra & præter verbum DEI inhæreant, tanta qvidem contentione, ut alios omnes præ ſe contemnere, aut inſipientium loco habere non dubitent, nemini qvicqvam condonare aut indulgere velint, qvinimò publicam ab imbecillioribus ſeparationem meditentur. Qvanto majores qvis in ſinceræ pietatis ſtudio facit progreſſus, tantò fiat humilior, tantò alienior à faſtu & oſtentatione, omninò vitam in CHRISTO agere cupiens abſconditam, magiſqve Domino ſuo qvam Mundo innoteſcere deſiderans. Sicuti pretioſiſſimi theſauri, & cimelia rariſſima abſcondi potius ſolent, qvam oſtentari, omniumqve exponi oculis, ita circa pietatis ἀκρίβειαν & exercitium Chriſtianæ virtutis nihil magis vitandum qvam inanis oſtentatio, contemptus aliorum, vanaqve ac pernicioſa ſui complacentia, qvá faſcinati nonnulli, propriæ ſuæ adinventioni, conſvetudini, methodo ἀσκήσεως & γυμνασίας ita ſuperſtitioſè & mordicus inhærent, ut omnes alios ad illam formam redigere velint, imò cunctos leviſſimè diſſentientes aut pari

paſſu

Digitized by Google

paſſu ſecum ambulare recuſantes, condemnare, ſaltem averſari, & cane pejus ac angve fugere non dubitent. Triſtia veterũ Montaniſtarum, Catharorũ, Donatiſtarum, aliorũq; ſpiritu elationis turgidorum erronũ exempla olim docuêre, omne Virtutum ædificium illicò vergere in præcipitium, ſi veræ humilitatis fundamento ſit deſtitutum. Magnam infelicia illa nomina initio præ ſe tulêre virtutis & εὐσεβείας μόρφωσιν & prætextum, ut & peccatorum ſcandalorumq; publicorum deteſtationẽ, ſed cum illotis qvod ajunt manibus, h. e. animis faſtu & elatione pudendâ turgidis, illud momenti maximi negotium, orbis ſc. Chriſtiani reformationẽ ſint aggreſſi, accidit, ut non in vanum ſolum omnes laborarint, verũ etiam intemperantiâ ſuâ graviſſimis turbis & contentionibus anſam ſubminiſtrarint, & ſe pariter ac aſſeclas ſuos perpetuæ dederint internecioni. Non paucos ſub ævi currentis initium ſibi fautores conciliavit Val. Weigelius, cum præclarè ad ſpeciem de abnegatione ſui, renovatione hominis, morumqve peſſimorum emendatione, omniqve adeò ſinceræ pietatis ſtudio & exercitio diſſeruiſſet; verum qvam primum faſtuoſa hominis de ſe ac Theologiâ ſua jactantia innoteſcere cœpit, haud abs re orthodoxorum bonorumqve omnium ille incurrit reprehenſionem, & ſperati plauſus loco, varias correpti-

ptiones acresqve cenſuras retulit. Qvo obſecro ſpiritu ductus, ſomnia ſua *Theologiam Aſtrologizatam* nuncupavit ? obſcuræ ſatis virtutis abnegationisqve Chriſtianæ dedit documentum, cum alicubi ſcribere non dubitaret : *His omnia ad cœleſtem ac terrenam eruditionem neceſſaria qværenda ſunt, dico propterea, qvia talis verè Magica Theologia, ac permanebit Theologia Weigelii omniumq; fidelium.* Vix unus hodiè ſupereſt, qvi Aſtrologizatæ hujus Theologiæ ſtudioſum ſeſe profiteatur, Viri etiam pientiſſimi iſtas verborum ampullas non aliter ac epiſtolam Manichæi fundamentalem rejiciunt atqve deteſtantur. Eodem ſpiritu agitati Roſeæ crucis fratres, cum Patris ſui Roſenkreutzii meditationes ſuper omnia extuliſſent, qvæ unqvam à Mundi exordio ab hominibus ſive per divinam revelationem, ſive miniſterio Angelorum, acumine ingenii, diuturnâ obſervatione, exercitio aut experientiâ inventa, excogitata, producta, emendata aut propagata fuiſſent; eandem merito cũ Weigelianis ſubiêre aleam, graviſſimamq; multorũ provocavêre indignationem, maximũ item cauſæ ſuæ attraxêre præjudiciũ, nec qvicqvam aliud effecêre, qvam ut invidioſo Weigelianorum & Roſicrucianorum nomine ipſi pietatis ſinceræ profeſſores atqve cultores traducantur. Horum periculis & caſibus edoctus FELIX noſter,

Weigel. Confeſſ. c. 9.

noſter, ſerio HUMILITATIS ſtudio ſemper incumbat, cunctasqve laborum, curarum, meditationum, & piorum ſuorum deſideriorum dapes, gratiſſimo demiſſionis Chriſtianæ ſale condire ſtudeat, DEUM ad hæc ardentiſſimè invocet, ut peſtilentiſſimum depellere Elationis ſpiritum, ſuæqve gratiæ ſcatebrâ ſe recreare velit, qvo tanto feliciorē in excolendo & propagando pietatis ſinceræ ſtudio ſucceſſū indipiſci, Satanicā illam πανουργίαν eo fortiꝰ eludere, nullasq; non hoſtis infernalis inſidias evitare, deniqve de totâ hoſtium, ſive viſibilium ſive inviſibilium, ſive internorum ſive externorum cohorte æternum triumphare qveat.

COMMONEFACTIO XI.

MISERIA FELIX,

SIVE DE

LITERATIS, CALAMITATUM ET MISERIARUM OCCASIONE FELICIBUS.

I.

QAntumvis miſerrima ut plurimum Eruditiſſimorũ Hominum ſit conditio, atqve multijuga calamitas eoſdem toto qvandoq; præſentis vitæ curriculo maximopere exerceat; tantũ abeſt tamen, ut illa fortunæ novercantis ludibria Viros Literatos à VERÆ Felicitatis faſtigio deturbare potuerint, ut potius maximo illis fuerint emolumento, atqve ad veræ felicitatis Literariæ ſedem tendentibus, viampræmonſtrarint. A longo ſiqvidem annorum decurſo tempore obſervatum eſt, inſignes qvoſdam Viros, duce qvaſi & auſpice in-

Digitized by Google

inauſpicatâ aliàs calamitate, ad eminentiorem DOCTRINÆ pariter ac VIRTUTIS gradum deveniſſe. Nonniſi Paupertate graviori (malo literatis perqvam familiari) urgente, HORATIUS Flaccus, ad ſcribendum ſe contulit, ejuſqve ſtimulo ad literas excolendas fuit incitatus. Inqvit enim: *Horat. lib. II. Epiſtol.*

Unde ſimul primum me dimisêre Philippi,
Deciſis humilem pennis, INOPEMq; paterni
Et Laris & fundi, PAUPERTAS impulit audax
Ut verſus facerem ----

Qvippè cum Horatius Athenis relictis, (ubi literis operam initio dabat) orto Civili bello Bruti & Caſſii partibus ſatis infeliciter adhæſiſſet, tandemqve prælio Philippico (in qvo Auguſtus victor evaſerat) ad incitas extremamqve paupertatem eſſet redactus, literarum ſtudia poſtliminio excoluit, inſignesqve adeò in arte poëtica fecit progreſſus, ut tantum non omnib⁹ ævi ſui literatis palmam præripuerit, qvin & longæ poſteritatis ſuffragia in maximum ſui favorem reportarit. Sed nec Euripides dedecori ſibi duxit, qvod [exprobrante adverſario Ariſtophane] matrem olerum venditricem habuiſſet: Et Apuleius malevolorum criminationib⁹, qvod Pauper eſſet, reſponſurus, ipſam pauperiem ſuam, eruditionis virtutiſqve conciliatricem tantum non ad ſydera uſqve evexit: *Pau-*

perâ

Apul. in Apologia, qvæ extat opp. p. 285. edit. Elmēhorſt. *pertas* (inqvit) *philoſophiæ vernacula, parvo potens, æmula laudis, habitu ſecura, cultu ſimplex, conſilio beneſvada, neminem ſuperbia inflavit, neminem impotentia depravavit, neminẽ tyrañide efferavit. -- Priſca apud ſecula omnium Civitatum conditrix, OMNIUM ARTIUM REPERTRIX, omnium peccatorum inops, omnis gloriæ munifica. -- Apud Græcos in Ariſtide juſta, in Socrate ſapiens, in Homero diſerta, etiam Romanis à primordio fundavit imperium.* Equidem niſi cum extrema paupertate maximi illi Viri, Homerus, Socrates, Epictetus, Zeno, Cleanthes, Xenocrates, Demoſthenes, aliiqve fuiſſent conflictati, tantarum laudum faſtigia neutiqvam conſcendiſſent. Siſtit ſe imprimis cum patre ſuo paupere Æſchines, ipſeqve Pythagoras, à fortunæ infimæ homine, annulorum ſc. ſculptore pauperculo genitus, exemplo ſuo memorabili docentes, extremam egeſtatem impedire minimè poſſe, qvo minus ad felicitatis literariæ faſtigium bonæ mentes pervenire qveant. Notanter de ſe ipſo PLUTARCHUS Chæronenſis memorat, ſerò admodum, & ætate provectiorem tandem latinas ſe attigiſſe literas, nec tam ex verbis res cognoviſſe & percepiſſe, qvam longo rerum uſu præditum, inqve exiguo oppido anguſtè ſatis degentem, maximam rerum & verborum copiam fuiſſe conſecutum. *Plutar. in Demoſth.*

Con-

Digitized by Google

Conſimili calamitate, egeſtateqve preſſi iniqvioris fortunę privigni alii, eruditionis profundioris iter feliciter ſunt emenſi, admirandoſqve in vario doctrinarum genere fecêre progreſſus. Qvid gentilem meum loqvar, illum pelaſgæ eruditionis anteſignanum, GVILIELMUM XYLANDRUM, qvem Thuanus, *omnis antiqvitatis ac literaturæ, paucis ævi ſui comparandum theſaurum* nuncupavit; conſtat illum cum ſumma egeſtate luctatũ fuiſſe, qvâ tamen velut obſtetricante, non paucos, nec ſpernendos ingenii ſui fœtus in lucẽ emiſit, ad Typographorũ ſc. [alimenta ſuppeditantium] vota, *Plutarchi Vitas & Moralia* latinitate donando, nec non *Cedreni Hiſtoriam*, *Diophanti Arithmeticam*, *Stephanum de Urbibus*, & *Pſellianum de qvatuor diſciplinis opuſculum*, aliaqve melioris notæ monumenta cum erudito Orbe communicando; eâ qvidem celeritate, ut lucubrando ſemper tantum promoverit, qvantum Typographi imprimendo abſolverunt, ut ob id, laudato Thuano teſte, *fami* potius qvam *famæ* ſcribere ſit exiſtimatus. Omnia ſanè, qvæ Rei literariæ bono edidit, nõ niſi fortunâ novercante prodierũt. E ſingularum ætatum hiſtoriis, nubem qvandam ejuſmodi literatorum hominum ſiſtere poſſemus, qvi non tam paupertatis mala & vires, qvam bona & emolumenta evidentiora ſunt experti, ac memora-

Thuan. Hiſtor. lib. 61.

Digitized by Google

morabili ſuo exemplo docuere, *liberam eſſe paupertatem ab injuriâ*, nec obicem adeò [ut multi credunt] eruditioni ſolidiori ponere, qvam ejus etiam atqve etiam promovere incrementum. Qvisqvis Vitas veterum & recentiorum Chriſtianæ Sapientiæ Antiſtitum, vaſtaqve Annalium Eccleſiaſticorum volumina duceret percurrenda, deprehenderet facilè, Maximos qvoſq; Viros, paupertate duce, primum ad doctrinam virtutemqve ſingularem, tum ad ſummos qvoſqve honores deveniſſe, tandem perpetua laudum ſuarum præconia feliciſſimè reportaſſe.

II. Neqve verò PAUPERTATEM ſolam, ſed alios qvoqve fortunæ malignantis inſultus, qvam plurimis viam ad doctrinam ac virtutem ſolidiorem oſtendiſſe, illuſtria hiſtoriarũ monumenta loqvuntur. Qvid EXILIO triſtius, aut CARCERE longiori miſerabili? ? Nihilomin⁹ utroq; hoc ſtimulo ad eruditionis iter ſcandendum nonnulli fortiter ſunt incitati. Veluti Ovidius NASO triſte ſuũ exilium, qvod Octaviani Cæſaris juſſu ſubiit, ex parto inde inſigni ſtudiorum fructu eſt conſolatus, illius enim occaſione ſe opus exegiſſe ſcripſit, qvod nec Jovis ira, nec ignes, nec ferrum, nec edax vetuſtas abolere poſſint, addens:

Cum volet illa dies, qvæ nil niſi corporis huj⁹
Jus habet, incerti ſpatium mihi finiat ævi

Parte

Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar, nomenq; erit INDELEBILE noſtrum,
Qvaq; patet domitis Romana potentia terris
Ore legar populi, perq; omnia ſecula fama,
Si qvid habent veri Vatum praſagia, vivam.

Cùm Jacobus I Magnæ Britañiæ Rex in ætate juvenili per decem integros annos apud Scotos captivus detineretur, tantas doctrinæ & virtutis copias carcere qvaſi opitulante eſt conſecutus, ut omnes docti Orbis incolas in ſui rapuerit admirationem, atq; ſcriptis multijugâ doctrinâ turgidis poſteritati apprimè ſeſe commendarit. *Confer Polyd. lib. V.* Qvem etiam in cenſum meritò venit celeberrimus Anglorum Regis Cancellarius FR. BACO VERULAMIUS, qvi invidia procurante, à ſplendido munere deturbatus, cuſtodiæq; traditus, notabile ex eâ calamitate emolumentum accepit, atqve ſtudiorum meliorum incrementum. A negotiis enim civilibus & vitâ activâ retractus, extremum illud vitæ ſuæ qvinqveñium egregiis inſumſit contemplationibus, partemqve potiorem librorum ſuorum æternâ laude digniſſimorum elaboravit pariter ac divulgavit. *Confer vit. Verulamii opp. ejus præfix. & Comment. ult. de Cur. lit. p. 1045.* In qvinqve nimirum annorum umbra (ut alibi diximus) maturuerunt ingenii illius fœcundiſſimi fructus, oſtenderuntqve, publicum ei bonum inter adverſa etiam tantoperè curæ cordiq; fuiſſe, ac ſi illius duntaxat

taxat promovendi gratia eam calamitatem ſubiiſſet.

III. Sed & graviores CORPORIS afflictiones, ſeu MORBOS, qvibusdam ad ſupremum doctrinæ & virtutis eminentioris gradum conſeqvendum facem prætuliſſe, illuſtria THEAGIS, HIERONIS, PTOLEMÆI Philadelphi, DEMOCRATIS, ITAMI, STRATONIS aliorumqve exempla oſtendêre. De primo ſeu THEAGE diſertè Ælianus ſcribit, *eum MORBI otio adductum, Philoſophia operam dare cœpiſſe.* Sic & HIERONEM Syracuſanorum tyrannum, POST MORBUM vehemētiorē, ad Muſarū ſacra ſeſe contuliſſe, ipſosq; mores in melius mutaſſe idem author perhibuit. PTOLEMÆUM Regem diuturno morbo oppreſſum, ſtudiis ſe totum dediſſe, Stratone Lampſaceno inſtitutore, atqve Bibliothecam illam toto Orbe celeberrimam condidiſſe ex Strabonis indicio cognovimus. Conſimilia de Democrate, Itamo, Stratone, aliisqve Viris inſignioribus memoriæ ſunt prodita. Et licet ex intenſiori ſtudio multisqve vigiliis non pauci graviſſimos morbos contraxerint, qvin & indefeſſis lucubrationibus ipſam cæcitatem incurrerint; maximos tamen qvoſqve in artibus & ſcientiis fecêre progreſſus, & oculorum luminibus privati, mentis oculis naturæ propemodum univerſæ obſcuritatem ſunt intuiti. Oportunè admodum

Ælian. lib. IV. var. hiſtor. ex Platone.

Strabo l. XVII.

dum huc veniet incomporabilis ætatis noſtræ Philologus & Mathematic⁹ WILHELMUS SCHIKARDUS, indicaturus, *Naturam & qvantitatem REFRACTIONUM ne Opticis qvidem antehàc cognitam, ſibi demum lippientis OCULI DEXTRI* [qvippe qvem cælaturæ ſtudium hebetarat corruperatqve] *damno innotuiſſe vel nolenti.* Calamitate itaq; urgente, Schikardus in intima Opticæ artis pervaſit, variâqve & eleganti doctrinâ ſuâ, lippientibus etiam oculis conqviſitâ, effecit: ut in amorem ſui non vulgus modo Doctorum, ſed ipſa eruditi Orbis lumina, ipſosqve Viros Principes converterit, accenderitqve. *Confer Templũ Honor. p. 339. 340.*

Diximus alibi, doctiſſimo illi famigeratiſſimoqve ætatis noſtræ Chronologo, SETHO CALVISIO, triſte aliqvod infortunium corporale, tum ad labores illos Chronicos ſuſcipiendos, tum aliorum ſtudiorum ſuppellectilem comparandam plurimum profuiſſe. Nimirum cum caſu qvopiam in dextri pedis genu vulnus accepiſſet, lectoqve affixus, egredi domo non poſſet, omne id tempus privatis impendit ſtudiis, maximaque futuri operis Chronologici præſidia eſt conſecutus. Fallendi nimirum temporis causâ, priſcorum temporum geſta, populorum inſtituta, factaqve Magnorum Virorum inſignia diligentiſſimè eruebat, inqve Theſauri ſui capedunculas relata, demonſtrationibus Chronologi- *Confer idem Templ. p. 325.*

logi-

logicis firmatiſſimis ſubjungebat, donec toto vicennio elapſo, opus omni encomio majus lucem aſpexit. Sed & JACOBO SCHEGKIO adeò proficuam fuiſſe accepimus eam, qvam triſti qvopiam caſu incurrerat cæcitatem, ut in ipsâ infelicitate ſuâ, feliciſſimi ex animo Literati imaginem expreſſerit. Vix deſcribi verbis poteſt, qvæ ac qvantæ calamitates Magnum illum, Geographum, PHILIPPUM CLUVERUM, ab ineunte ætate invaſerint. Extremæ autem infelicitatis aleam tunc maximè ille videtur ſubiiſſe, cum Martis aliqvot alumni, veſte omni, ac viatico exutum, penè, ut matre natus erat, nudum ac famelicum reliqvêre, ut non alio qvam aqvæ potu, & radicibus qvas terra dabat, ſitim ac famem levare potuerit, ſicqve ad triduum ille verè miſer, ac poetico ſimillimus Achæmenides, omni ſubſidio humano deſtitutus, terras oberrarit; Verum inde factum, ut poſtliminiò ad libros ſuos, veteresqve Præceptores ex Bohemia & Hungaria [in qvâ ad biennium militavit] in Bataviam ſit reverſus, atqve cum Muſis ſuis Geographicis feliciter adeò in gratiam redierit, ut earundem ope in totius propemodum Orbis (qvem exqviſita cura illuſtraverat) devenerit poſſeſſionem.

Conf. Orat. D. Heinſii in obit. Ph. Cluverii, habit. Lugd. B. an. 1623.

IV. Plures conſignare poſſemus Viros in Rem literariam graves, qvi vel reprehenſione & irriſione, ut Demoſthenes, vel inimicorum

& æ-

& æmulorum inſectationibus contemptuqve, vel Magnatum odiis, vel parentum & amicorum deceſſu, vel caſibus qvibuſdam funeſtioribus, ſingulares ad doctrinam & virtutem excolendam ſtimulos ſunt adepti, atq; ad Literatorum ex animo feliciſſimorũ ſortẽ adſpiravêre, nî exempla qvæ recenſuimus ſatis abunde docuiſſent, calamitates temporales maximo nonnunqvam Viris doctis emolumento & adjumento extitiſſe. Proin, ſit licet universa eorum, qvi Literarum ſtudia tractant vita, ingens & fœcunda malorum ſeges, atqve concatenata ſeries calamitatum; ludant cum eruditis hominibus, Deo connivente & probante, caſus, fortuna, & periculum pro ſuo qvaſi lubitu, implicentur miſeriarum infinitarum abyſſo; FELICITATIS tamen ſupremæ gradu neutiqvam excident, dummodo partes ſuas agant ſtrenuè, & viros ſe præſtent, nec exuant collum ab eo jugo, cui inevitabili qvâdam neceſſitate ſunt devincti, ferant patienter qvod declinari non poteſt, cogitantes ſcil. à manu divinâ eſſe, qvicqvid obtingit. Non alio iis clypeo opus eſt, niſi PATIENTIÆ, qvæ ſola trophæum in cæleſti figit Capitolio. Hoc fulcrum eſſe debet ac baſis in omni luctâ miſeriarum, ſpes Coronæ ſcil. qvâ ſubtractâ fieri non poteſt qvin ſuccumbamus. Siq; tandem maximis anxietatum temporalium fluctibus eripi, inqve optatiſſimum ſalutis

lutis perpetuæ portum devenire velint ærumnoſi Literati, neceſſe eſt, ut adfectuum vehementiorum impetui, pariter ac tumultuoſo profanè doctorum choro ſacri dent repudii libellum, veriqve evadentes Chriſti philoſophi, omnem adflictionem hilari fronte excipiant, & per anguſta, ad auguſtiſſima Paradiſi viridaria toto animi niſu ferantur.

V. Et cum arduus nimis pleriſqve Literatis, ac aſper videatur clivus, qvi ad VIRTUTIS tantæ arcem ducit, nec pauci Muſarum cultores ab adſcenſu vel ſolá difficultatis opinione deterreantur; omnind neceſſe eſt, ut adſpirantes ad celſiora eruditi, ſiniſtrum illumconceptum velocius abjiciant, ſibiqve planiſſimè perſuadeant, Virtutis viam non ita laborioſam eſſe, & aſperam, uti qvidem ignavis & Epicuri de grege porcis videtur, nec ita anguſtam, perplexam, & ſpinis obſitam, ut nuſqvam tutū figere pedē viatores anxii poſſint. Non eſt qvod ubiq; *Herculeus labor* fingatur, qvem maximo ſudore primùm aperuiſſe ſemitam virtutis veteres credidêre: Ignavo, ac nihil niſi cum faſtidio aggredienti pectori, labor omnis erit Herculeus, inter ipſa primordia, langvido ſpiritu & deſperato ſucceſſu facilè illud deficiet, atque amaritudine ea, quam Virtuti ſociatam credit, in vitiorum cœnum (miſerabili caſu) quantocyus dejicietur. Quî obſecro pacem ple-

plenam & integram animi qvietem in eo bono conſectetur Literatus, qvod ſedandis animi motibus maximè inidoneum foret, nec pacare mentem, nec optatiſſimam ejus tranquillitatem firmare, nec denique abditum in ipſis penetralibus hoſtem à turbarum concitatione penitus arcere poſſet. In arduis, fatemur lubentes, conſiſtit Virtus, graviora tamen nemo mortalium præſumat, quam in re ſunt, cogitatione; *Invia Virtuti nulla via eſt*, ſed acceſſus certiſſimus, & iter exoptabile, ſi modo animus ſit ac votum conſtans ingredi illud & nulli cedere adverſitati. Si Fides dux præeat, orationi fervidæ, & amori ſincero ſociata, verticem panſo vexillo occupabimus, & oſtendemus victoriæ palmam, SUBLIMES AQUILAS. Aſſurgamus oportet divino fulti præſidio, ſique apprehendere velimus, accedamus neceſſe eſt, ſpatio qvod disjungit feliciter trajecto. Intendamus utique robur, & manum admoveamus operi, qvod immensâ ſeſe utilitate commendat. Spe ſolâ & voto ignavo nihil efficiemus, ſtertente corpore; nec conatu duntaxat opus, ſed impetu quoque, qui ex ardore gliſcat, & tendentem ad meliora animum velut propellat, ne turpe unquam tædium ſubrepat, aut exhauſti & effœminati pectoris ſigna conſpiciantur. *Cogitemus*, (ait ſcitè ſophorum qvidam) *in ipſa crepidine montis* *G. Nicol. lib. I. epiſt. aſc. p. 3.*

montis jam ſtare nos, & aſſultu occupare poſſe caput ſacri hujus & anguſti jugi, ubi virtuti ſua regia ac thronus. Qvis mihi pertinaci clamore obtrudat, de laborioſa neſcio quâ peregrinatione ac difficili? Sapiens certè non lente accingit ſe; & evadit laboris tolerans, imò nec ſentiens qvidem. Stultorum querelæ audiuntur paſſim, qvibus mentis errore judicium omne depravatum; addit vulgus ſuum calculū, indiſcretus cenſor non minus, nec magis perſpicax; utrinq; in ſpeciem æſtimatio, neglectâ veritate rei, qvam non penetrant ingenii hebetudine, & caligante intellectu. Nos rationem (DEUM) *ſeqvamur, aurea præcepta dictantem, ſi accedere volumus juvat, appetitum enim impreſſit illis ambiendis, & commotiunculas ad amplexandū, etiam in barbara ac ſylveſtri mortalium ſtirpe; ab his copula eſt & conſpiratio animorum inter bonos, amoris enim conciliatrices ſunt, & conglutinant fœdera gentium & ſocietates. Cur igitur in aviis tanqvam Phœnicem aliqvem ſolitarium aut Pelicanum qværamus? Non habitant in humili Nymphæ iſtæ, ſcimus, nec ſordido aut deſpecto aliqvo loco, ſed nec in tali, ubi inveniri neqveant, aut nolint altius ſubmotæ, niſi defectis viribus, & longâ atq; periculosâ profectione conſumtis. Ne fas ſit hoc ſomniare: proſpectum habent & invitant ab omni latere, in declivi & patenti colle, veſtito roſis & liliis ſpino-*

Digitized by Google

ſpinoſus aditus ſolum & pes infimus montis, ſed paucis ſaltibus tranſmittendus, ubi floribus cætera rident, & ad placitũ curſoris omnia compoſita: Ingrediamur bonis auſpiciis, & ſi qvid obſtat inter initia, audaci calcaneo proteramus. Obſtat eqvidem non rarò virtutis iter ſuſcepturis ſors piorum iniqviſſima, atq; miſerrima proborum & DEO conſecratorum mortaliũ conditio. Non paucos ſanè graviſſimè ex eo offendi videm[9], qvod optimi Viri & moribus præſtantiſſimi ut plurimum graviſſimis miſeriis atqve calamitatibus percellantur. Eſto, obveniant bonis extremæ qvandoqve calamitates, ſit ipſis freqventer cum varii generis hoſtibus colluctandum, attamen ſementis duntaxat ea certamina rationem habent, ex qvâ ingens olim gloriæ ſeges exiſtat, etiamſi tenebras interdum mentĩ cœlitus colluſtratæ adverſitas offundat, lux tamen puræ ac ſerenæ felicitatis illas ſuo tempore certo certius diſpellet, atq; perennis gaudii fulgor pectora virtuti devotiſſima circumcinget. Neutiqvam eò impatientiæ illa prolabuntur, ut Menandri apud Stobæum qverelas, ſuas ducant faciendas, negentqve optandum eſſe, ut homines diutius ſuperſint. *Si qvis* (inqvit evanidus ille) *potens DEUS me accedens diceret, poſtqvam mortuus fueris denuo reviviſces: eris autem qvod voles, canis, ovis, hircus, homo, eqvus; rurſus enim vi-*

ta tibi tranſigenda eſt, ſic fata jubent, tu qvod mavis elige : Qvidvis potius, ſtatim dicturus mihi videor, fac me, qvam HOMINEM. Indigna proſperitate, rurſus in proſperitate immerita ſolus animalium homo efficitur. Optimus eqvus, diligentiori curâ qvam alius colitur. Canis ſi bonus fuerit, in pretio longè majori habebitur, qvam malus canis, Gallinaceus generoſus, peculiaribus alimentis nutritur ; ignavus verò etiam timet præſtantiorem : At Homo licet probus, nobilis, (doctus) *& valdè generoſus ſit, nihil ei prodeſt in hoc ſeculo. Adulator autem omnium optimè vivit, deinde Sycophanta, tertio loco fraudulentus. Aſinum fieri præſtat, qvam deteriores ſe, ſplendidius viventes intueri.*

VI. Annon verò præpoſtera ratio Tibi, Vir erudite, & ex virtutis ſinceræ ſtudio ac exercitio feliciſſime, videtur, imò ingens ſtupor, ſic de DEI foro ſcelerum expectare vindicationem, uti in foro civili illa puniuntur? Qvanto enim altior DEI intellectus qvam ſapientiſſimorum hominum eſt, qvanto glorioſior & excelſior ipſius Majeſtas, qvam maximorum Imperatorum, tanto longius ipſius juſtitia & providentia in puniendâ improborum malitia humanam vindictam ſupergreditur, nec iisdem cum illa ſtatutis, iisdem terminis & anguſtiis, iisdem animadvertendi modis ſe adſtringi patietur. Nihil profectò

eſt

eſt, qvod Deum ad pœnam improbis qvantocyus infligendam adigat atqve compellat, neqve ob id nimiæ aut iniqvæ lenitatis accuſari ſanctiſſimum Numen poteſt, qvod peſſimos qvoſqve ſæviſſimosqve hoſtes aliqvandiu IN BONOS viros graſſari permittit, cũ digna inju.iarũ illatarum animadverſio non tam læſis & adflictis illis innocentibus, qvam divinæ ipſius immutabiliq; juſtitię debeatur. Floreant dum vivunt improbi, (etiam Literati,) omniumq; bonorũ apparatu gaudeant, decedant tandem FELICES qvaſi ex hâc vitâ, neutiqvam tamen tremendum irati Numinis judicium, pœnasqve neqvitiæ ſempiternas effugient, qvin potius perpetuæ miſeriæ atqve INFELICITATIS funibus certo certius conſtringentur. Eo graviores inqvam illi malitiæ ſuæ daturi ſunt pœnas, qvo præfractius ſummam ineffabilemqve DEI longanimitatem toto vitæ mortalis curriculo ſunt aſpernati. Qvidqvid verò malorum, piis & virtute inſigniori præditis Literatis obvenerit, id divinæ erga eos tribuendũ eſt benignitati; ſi ipſis ex voto cuncta ſuccederent, ſi divitiis abundarent, ſi à cunctis ſuſpicerentur, nunqvam ægrotarent aut dolerent, nulla deniqve ſentirent ævi hujus incommoda; parum eqvidem imbecillitatis ſuę forent memores, nec rebus præclarè geſtis animos ita ſubmitterent, qvin & vulgus exiſtimare

facilè poſſet, eos non ſuapte ſponte colere pietatem, ſed illa qvaſi mercede allectos & invitatos: At ſi nulla adverſitas eos à felicitatis veræ tramite, DEIq; cultu abducere poſſit, evidentiſſimè patebit, virtutē honeſtatemq; & DEUM ipſū ab eis propter ſe, non verò mercedem aliam adamari. Tantum igitur abeſt, ut calamitates probis imminentes terreant animum virtutis amore præditum, ut potius accendant magis, & ad maxima qvæqve audenda extimulent. Imbelles ſumus (ait ante laudatus ſcriptor) ſi ad hæc vel pilus ſe erigat. Vir non cedit, in qvo ſangvis & virilis animus, & ridet larvam hanc perſonati morionis. Imò pertinacia difficultatem omnem & impedimentum, ſi qvippiam adhæret tale, tranſcendit, mens ſibi ipſi imperet, qvæ qvodcunqve jubet obtinet. Non eſt qvod patrocinium nobis qværamus, excuſantes infirmitudinem virium & fractos nervos, qvi neqveant pertingere ad virtutis illum apicem. Animo vitium ineſt, non corpori, cui nunqvam defuit advocatus, qvi prætextu impotentiæ defenderet. Non metienda ſunt curioſis oculis, qvæ à tergo relicta, aut objecta à fronte intervalla, nec anxiè ſupputandum, qvid reſtet laboris, & qvantum exhauſtum, ſed PLUS ULTRA tendendum impigrè, donec ad ſupremæ Salutis domicilium deveniamus.

COM-

COMMONEFACTIO XII.

COLLEGIUM HIEROSOPHICUM, IN ACADEMIA SINCERÆ PIETATIS FUNDATUM,

UBI DE PRIMA EJUS INSTITUTIONE, RECTORE PERPETUO, SINGULARUM FACULTATUM PROFESSORIBUS, LIBRIS ITEM, LECTIONIBUS, ALUMNORUM SIVE AUDITORUM OFFICIIS, VIA DENIQVE ET RATIONE EXPEDITISSIMA DISSERITUR, QVA VIRTUS CUM ERUDITIONE COPULARI, ATQVE VITA ET CONVERSATIO LITERATORUM HOMINUM MUNDANA IN SPIRITUALEM COMMUTARI QVEAT.

I.

INter celebratiſſima priſci ævi Prytannæa, atq; nobiliſſima bonarum artium emporia, principem licet locum meritiſſimo jure obtinuerit ATHENIENSE*, nec

* *Singulare de eo opus ſub tit.* Athenarum Attica-

ticarum evulgavit Johannes Meurſius, ed. Lugd. Bat. 1624. inq; eo de præcipuis Prytannæi illius ornamentis, Athenarumque Atticarum (*plures enim Athenas olim floruiſſe conſtat*) *antiqvitatibus præclare diſſeruit.*

nec reipsâ minus, qvam titulo, Sapientiæ præ ſe tulerit publicam profeſſionem; id tamen nullatenus Magnifico illi, atqve ſplendidiſſimo COLLEGIO poterit æqviparari, qvod ÆTERNA SAPIENTIA, ipſeqve DEI FILIUS in Virtutis ſuæ UNIVERSITATE fundavit, & in qvo Scientiarum omnium theſauri, nullarumqve non beatitudinum gazæ ſunt reconditæ. Huc ergo concedat LITERATUS, ſupremæ flagrans amore felicitatis, atq; plenam abſolutamq; eruditionem tú demum ſe conſecutum fuiſſe exiſtimet, ubi propter eminentiſſimam pietatis Chriſtianæ ſcientiam, mundana omnia ſpreverit, atq; ad Apoſtoli exemplum cuncta (ſc. profana ſtudia) ſtercoris loco habuerit, tantum ut Chriſtum lucrifacere poſſit. Et cum ſcientiæ cæteræ, qvæ in Academiis mundanis, publicisqve pariter ac privatis hominum profanè-doctorum Collegiis pertractantur, terrenum tantummodò finem ſibi præfixum habeant, & ex terrâ ortæ in terram neceſſariò revertantur, dubium nullum eſt, qvin eorum ſplendorem, Sacro-ſancti illi' Collegii majeſtas longiſſimè ante-

Digitized by Google

antevertat, eò qvòd cæteris omnibus meliorem religioſioremqve finem intendat, & ad Paradiſum uſqve alumnos ſuos ſpiritu ferventiores deducat. Nec minus ex eo Hierolycei iſtius dignitas elucet, qvod dogmata inibi pertractanda omnem veritatis & demonſtrationis certitudinem excedant, aſſertionesqve ex Sacrarum Literarum voluminibus depromtæ, non naturali aliqvo lumine comprobentur, cui ſæpiſſimè error adjunctus eſt, ſed divina revelatione, atqve infallibili planè authoritate confirmentur. Qvidqvid in iſto ſupremæ Sapientiæ Collegio dicitur, VERITAS eſt, qvidqvid præcipitur BONITAS, qvidqvid intenditur UNITAS eſt, perpetuæ olim ſocianda felicitati. Neqve projectæ adeò vilitatis *eſt ſupereminens* illa *cognitio*, ut à doctioribus, inqve profanæ eruditionis Republicâ eminentioribus viris deſpici mereatur atqve contemni, ut potius laus & exiſtimatio ſingularis à ſublimium myſteriorum, & ſecretorum divinorum inibi latentium profunditate illis accedat. Tam altus inqvam, & ſublimis iſtius ſapientię eſt ſenſus, ut ipſi Apoſtolo fuerit aliqvando imperſcrutabilis; *O altitudo* (exclamat ille alicubi) *divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ DEI, qvam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & imperveſtigabiles viæ ejus!* Et mox: *Qvis cognovit ſenſum Domini, aut qvis Conſiliarius ejus fuit!*

UNUM VERUM BONUM.

Rom. XI. v. 33.

Epheſ. III. v. 16. 17. 18. ſeqq.

Nec minus alio loco idem Apoſtolus teſtatur DEUM ſe indies ſollicitare, ut inclyti illius Gymnaſii alumnis Divinorum & SUBLIMIUM Myſteriorum intelligentiam concedere elargiriqve dignetur, ſc. *ut det illis ſecundum divitias gloriæ ſuæ corroborari per ſpiritum ejus in interiori homine, & Chriſtum habitare per fidem in cordibus ſuis, atq; in charitate radicari & fundari, ut poſſint comprehendere cum omnibus Sanctis qua ſit latitudo & ſublimitas, & profunditas, ſcire etiam supereminentem charitatem Chriſti, ut omnem plenitudinem DEI conſeqvantur.* Num obſecro hæc trita adeò & vilia ſunt (uti qvidem inflatis & turgidis doxoſophis videntur) Sapientiæ cœlitus revelatæ documenta, qvæ oratione ſuâ Apoſtolus, velut in tabulâ qvâdam duxit exhibenda? Anne obvia ubivis CHARITAS ea eſt, qvam hoc ipſo loco idem Chriſti diſcipulus vivis qvaſi expreſſit coloribus, atq; haud abs re SUPEREMINENTEM vocavit, eo qvod qvatuor illas dimenſiones, latitudinem, longitudinem, altitudinem & profunditatem in ſe contineat atq; complectatur. Qvisqvis *ſupereminentem* illam *Charitatem* noverit, is profundiſſima Sapientiæ ſummæ myſteria ſimul intelliget, atqve ea tandem aſſeqvetur, qvę omnem ſenſum intellectumqve humanum excedunt.

II. Cæterum ſi qvis illuſtris illius Gymnaſii

naſii Auditorem agere velit, neceſſe eſt ut ſollicitè caveat, ne pudendo faſtu & inani jactantiâ faſcinetur, hæc enim uti præſentiſſima ingeniorum, doctrinâ meliori imbuendorum peſtis eſt, ita ſpirituali profectui graviſſimum ponere obicem ſolet, ac impedire protinus, quo minus COLLEGII HIEROSOPHICI alumni feliciter proficere, atqve ad præfixam ſupremæ beatitatis metam pertingere poſſint. Exulet ab animo ſapientiæ cœleſtis appetentiori, omnis ELATIO, nullum apud ipſum tumor infamiſqve ſuperbia locum inveniat, qvotqvot in eâ Scholâ primi evadere deſiderant, ante fiant noviſſimi, qvicunqve prudentes & conſummati philoſophi haberi velint, ſtulti & inſipientes Mundo fiant, ipſam Sapientiam in ſtultitiâ inveſtigantes; Humilitas charitati ſinceræ ſociata feminis inſtar ipſis ſit, qvod emergere, ſeſeqve exerere vix poſſit, niſi ſolo benè ſubacto ac proſciſſo obtegatur. Et quamvis vera animi demiſſio cunctis omninò hieroſophis adprimè neceſſaria ſit, ijs tamen potiſſimum eſt amplectenda, qvi in UNIVERSITATE VIRTUTUM, ſub maximo illo Rectore IESU Chriſto inſigniores in veræ ſapientiæ ſtudio facere velint profectus. Qvis non miretur, ſolos illos Græciæ Septemviros Sapientum nomine fuiſſe ornatos, vel qvod primi omnium ſcientias rerum natura-

turalium invenerint, vel qvia melius & felicius in earum tractatione & explicatione ſint verſati. *O miſerum & calamitoſum ſeculum* (exclamat Lactantius) *in qvo tametſi univerſum mundum tranſcuriſſes, ſeptem tantum invenire homines erat, qvos verà hominis adpellatione dignos poſſes exiſtimare! Neqve enim qvenqvam tu hominem rectè nũcupabis, qvi etiam ſapiens ſimul non ſit, verum ſi cæteri omnes, ſeptem iſtis exceptis, ſtulti ac inſipientes erant, illud tamen neqvaqvam ſeqvitur, ipſos illos, qvos vos veteres excipiebatis ſapientes, ita videri appellari debuiſſe; neqve enim is revera ſapiens audire poteſt, quem ſtultorum hominum vana & temeraria judicia inſigni iſto titulo affecerant.* Atqvi hi ipſi ſapientes, ſcil. Atticus, Chilo Lacedemonius, Cleobulus Lydus, Tales Mileſius, Bias Prienæus, Pittacus Mithilenęus, & Periander Corinthius SOPHORUM titulum ſibimetipſis temerè neutiqvam arrogarãt, qvin poti⁹ ſapientiæ amatores voluêre nuncupari, ad Pythagoræ nimirum exemplum, qvi ingentem ex ſe philoſophorum ejuſmodi *ſeu amatorum ſapientiæ* multitudinem proſeminavit. Qvidni Chriſtianæ pietatis candidati, *Sacroſanctiqve illius Collegii* auditores, majori ſtudeant animi demiſſioni, ab omni arrogantiæ typho etiam atqve etiam abhorrentes, ac ſummoperè ſibi à pernicioſiſſimæ præſumtio

Digitized by Google

tionis fulmine caventes, ſeqve tum demum non Pythagoræ adeò, qvam ipſius Salvatoris genuinos diſcipulos reputantes, ſi nihil prorſus induſtriæ ſuæ vindicarint, & damnificum illud mundanæ fallaciæ, ruinæqve inevitabilis elementum etiam atqve etiam fuerint deteſtati. *Siqvis* (ait notanter Apoſtolus) *videtur inter vos ſapiens* (ΣΟΦΟΣ) *eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, & erit ſapiens,* (h. e. verus evadet Philoſophus) *Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud DEUM.* Non ſecus ſcilicet, ac paupertas extrema divitiæ apud illum ſunt, & convitiorum tolerantiam gloria ingens in ejus conſpectu comitatur, ita qvæ apud mundum ſtultitia reputatur, ſupremæ Sapientiæ laudem coram DEO conſeqvitur, qvemadmodum idem Apoſtolus diſertis alibi verbis fuit conteſtatus: *Qvod ſtultum eſt DEI, ſapientius eſt hominibus, & qvæ ſtulta ſunt mundi elegit DEus.* Ut ut igitur ſupremæ illius ſapientiæ ſtudioſi Mundo deſipiant, ad conſummatæ tamen eruditionis faſtigium certo certius adſpirabunt, & ad ſublimem adeò felicitatis gradum evehentur, qvalem nec Græci illi Septemviri, nec ulli unqvam profani ethnoſophi ſunt conſecuti. Hi enim, qvantumvis ſtudiorum gratiâ in diverſos mundi angulos fuerint profecti, & modo apud Indos, modo apud Ægyptios, modo inter Perſas celebriores Sapien-

I. Cor. III. v. 18.

I. Cor. I. v. 27.

pientiæ mundanæ arcana perqviſiverint; nihil tamen minus hâc ipsâ ſapientiâ, ad qvam velis remiſqve contendebant, indipiſci potuerunt: Nolebat enim DEUS (qvi ſapientiam ſuam ſtultitiæ titulo occultare conſvevit) ſecretos & inæſtimabiles adeò theſauros ſuperbis & arrogantibus obvios fieri. Atqve hinc etiam factum eſſe exiſtimamus, qvod decantati illi philoſophi in Judæam neutiqvam abierint, in qvâ veri DEI cognitio, & profundiſſima ſacrarum Scripturarum ſcientia olim hauriebatur; ſed tantummodo ad Ægyptiorũ Magos convolarint, qvi exterius abſolutam qvandam mundi ſapientiam mentiebantur, cum tamen nihil minus qvam vel leviſſimas ejus umbras præ ſe ferrent. Nonniſi ſecundum carnem ſapientes illi fuerunt,
I. Cor. I. v. 28. qvos tantum abeſt, ut DEUS elegerit, ut æternùm potius ob incredulitatem ſuam duxerit confundendos. Nuncupet licet mundus ſtultos ac miſeros, philotheos illos, qvi de ſupernæ ſapientiæ theſauris inveſtigandis etiam atq; etiam ſunt ſolliciti, habebit tamen putatitia iſthæc ſtultitia ſublimius & exaggeratius aliqvid, & Orbe ac orco fremente, ſapientiæ ſupremæ laudem aliqvando conſeqvetur. Nihil itaqve antiqvius veræ ſapientiæ amaſii humilitate habeant, nil prius fide ducant ſincera, ac morum integritate; ſiqvidem ex ſapientis judicio *in animam malevo-*

levo-

Digitized by Google

levolā non introibit Sapientia, neq; habitabit in corpore ſubdito peccatis; nulli[9] rei ſtudio æqve ſollicitè illi incumbant, ac fervidæ orationis: *Dabitur optanti ſenſus, & in invocantem ſpiritus Sapientiæ deveniet*; deniqve ex Magiſtri ſui prę́ſcripto ferventiſſimè invicem diligant, atqve charitatis mutuæ ulnis toto vitæ decurſu excipiant condiſcipulos ſuos, nulloſqve non Collegii hieroſophici ſodales. Alumnos Scholæ Pythagoricæ qvondam taciturnitas prodidit, Moſaicos tunicarum limbi, & Magiſtrorum apud veteres celebriorum diſcipuli, ſignis qvibuſdam exterioribus, tam bonis qvam malis dignoſcebantur; Aſt JESU Chriſti ſectatorem ſe eſſe, nemo mortalium alio, qvam CHARITATIS ſinceræ indicio dabit demonſtratum. Illum Charitatis incomparabilem profeſſorem (qvi homines amando crucem ipſam bajulavit, & acerbiſſima qvæqve tormenta fuit perpeſſus) imitetur, qviſqvis verus audire Chriſtianus, atqve Sacroſanctæ diſciplinæ candidatus nuncupari, & honoratiorem in *Supremæ Sapientiæ Collegio* locum tandem aliqvando obtinere velit. Qvod ſi Collegii ejuſce ratio conſtitutioq; foret, qvæ Academiarum cæterarum, qvarum cives probè nummatos opulentoſqve eſſe oportet, tum verò non immeritò auditores chriſtiani didactri magnitudinem accuſare, & qvod propter

Sap. VII. v. 7.

pter id à Collegii frequentatione abſtinuerint, poſſent conteſtari: Qvandoqvidem vero maximas eidem Deus facultates ſit elargitus, & inſigniter dotandum duxerit, erit omninò qvod alumni (ſine ullo pretio admittendi) eò lubentius accedant, & decentiſſimas Nutricio Cœleſti, Numini ſc. Ter. Opt. Max. gratias exſolvant.

III. Qvandoqvidem verò non parum ſplendoris ac ornamenti Academiæ, Collegia & Univerſitates mundanæ à FACULTATUM & Profeſſionum varietate conſeqvantur, pariter ut diſcolores & polimitæ veſtes ſingularem conciliare gratiam & ornatũ adferre conſveverunt; apprimè conſiderandum erit, qvantam venuſtatem ſupremæ Sacrorum ſtudiorum Facultates Collegio illi noſtro, inqve Uuiverſitate Virtutis Chriſtianæ fundato conciliare ſoleant, qvantaqve ſolidæ pietatis cultorib⁹ adminicula, ex Facultatũ & profeſſionum Theoſophicarum varietate, obvenire qveant. Primò ſtatim loco (ſi ab eâ Facultate, qvæ PHILOSOPHIAM, omneſqve ARTES LIBERALES ambitu ſuo complectitur, ordiamur) ſpectandus veniet SACRÆ PROFESSOR GRAMMATICÆ, rectè & congruè juxta Sanctarum Scripturarum tenorem, loqvendi ſcribendiqve methodum atqve præcepta ſubminiſtrans, docenſqve, qvanto ſtudio ſermones vani ac futiles fugi-

fugiendi, qvi morum & verborum barbariſmi & ſolœciſmi eliminandi, qvæ deniqve congrua & fructuoſa Colloqvia habenda ſint atqve inſtituenda. Alter Pietatis Profeſſor, qvem LOGICUM appellabimus SACRUM, declarat, qva ratione verum cognoſcere, falſumqve deprehendere, argumentari piè, & inferre candidè qveamus. Et cum Diabolus (immenſá pſeudoſophorum, & matæologorum catervâ ſtipatus) non rarò ſophiſtam callidiſſimum induerit, fallaciaſqve ſuas eò unicè contulerit, ut improvidi & ſimpliciores ſempiterni exitii laqveis conſtringantur, hinc *Sacræ* Profeſſor *Logicæ* tum in ſolvendis infernalis illius Sophiſtæ nodis, tum in amentatis vitioſarum argumentationum haſtis repercutiendis adprimè occupabitur, nulliſqve non maleferiatorum doctorum ſtrophis detectis, ſtrenuum veritatis cœleſtis vindicem aget atque adſertorem. Tertium in Collegio hieroſophico locum, RHETORICES divinæ Profeſſori adſignabimus, modum ac rationem tradenti, non ornatè adeò & eleganter, qvam *piè & fervidè ORANDI*, cæterum docenti, qvâ ratione coram ſupremo Cœli Terræqve Domino verba facere, atqve nulla non chariſmata, donaqve excellentiora impetrare debeamus, qvo de inſigni artificio, Theoſophorum plurimi integris ſpiſſiſqve voluminibus diſſe-

diſſeruerunt. Proximus Profeſſori huic Academico eſt Doctor qvartæ artis Liberalis, qvam MUSICAM vulgò vocamus; non alia illum cura verſat atqve cogitatio, qvam ut benè canendi præcepta pateant, & ad Pſalmiſtæ Regii exemplum, *juſtificationes divinæ in loco peregrinationis terreſtris decantentur*, qvinimò cum pueris in fornace Babylonicâ
Dan. III. v. 29. conſtitutis, ubiqve *celebrentur opera Dominica, ipſumq; adeò ſanctiſſimum Numen ſuperexaltetur in ſecula.* Qvinta ars liberalis eſt ARITHMETICA, qvæ numerandi modum ſuppeditat; neqve hæc publico caret in ſupremæ ſapientiæ Collegio Profeſſore, divina beneficia ſigillatim in memoriæ tabulas referente, & animæ rationibus inſcribente, ut chriſtiani auditores nunqvam eorum obliviſci poſſint. Diſcimus inſuper ex eo, qva ratione in arcano conſcientiæ conclavi peccata recenſere, atqve poſt accuratam diſcuſſionem ad ſacram coram DEO exomologoſin facere debeamus acceſſum. Nec minus ſingulis author eſt Sacro-ſanctæ Theoſophiæ Candidatis, ut velut in algoriſmo humanæ vitæ brevitatem, & paucitatem dierum ſuorum deprehendant, tametſi Arithmeticum planè nullum invenias, qvi rationibus & abaculis ſuis eo evadere valeat, ultimum ut vitæ diem alicui edicat. Floret & in ſæpe laudato Collegio Theoſophico GEOMETRIÆ SACRÆ ſtudi-

ſtudium, Profeſſore ejus magnitudinem latitudinem, altitudinem & profunditatem ſupereminentis charitatis Chriſti expendente, & infinitam diſtantiam improportionemqve Creatoris & Creaturæ, DEIqve & Hominis explicante. Per hanc artem Sacro-liberalem, auditores attenti terram cœlo longè minorem, & velut puncti inſtar ſeſe habere intelligent, infernum verò barathrum abyſſumqve perditionis eſſe cognoſcent. Deniqve ASTROLOGO etiam SACRO, inter publicos artium liberalium Profeſſores ſuus eſt locus; mentes ad cœleſtia erigenti, & ad Divi Apoſtoli exemplum ſollicitè exhortanti, ut qværant ea qvæ ſurſum ſunt, & cæleſtia potius qvam terreſtria ſapiant, cæterum & ſtellas contemplentur, claritate differentes, id eſt *Beatas Animas*, fulgore qvidem diſpares, attamen immenſæ lucis uſurâ æternum condecorandas.

IV. Profeſſores artium excipiunt publici cæterarum ſuperiorumqve Doctores Facultatum: THEOLOGUS in ſinceræ Pietatis Collegio *multos ad juſtitiam erudiens*, id agit potiſſimum, ut Homo rationalis eruditionis & doctrinæ capax, ſupremum ſuum bonum (qvod DEUS Triunus eſt) ritè cognoſcat, cognoſcendo amet, amando poſſideat, poſſidendo ſummâ cum voluptate illo perfruatur, qvi omnium deliciarum & gaudiorum perfe-

ctum qvoddam zeugma eſt & complementum. JURISCONSULTI ſacri officium eſt, ex ipſo Scripturarum divinarũ CODICE docere, qvomodo Regi ſupremo fides ſervanda ſit, tributum pendendum, ipſaq; præſtanda clientela, juxta normam ſc. à Salvatore optimo præſcriptam: *Reddite qvæ ſunt Cæſaris Cæſari, & qvæ ſunt DEI, DEO*; & juxta Apoſtolicorũ tenorem verborũ: *Omnis anima poteſtatibus ſuperiorib⁹ ſubdita ſit, nõ eſt autem poteſtas niſi à DEO, qvæ autem ſunt, à DEO ordinata ſunt. Itaq; qvi reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit. Reddite ergo omnibus debita &c.* En Juris divini, in Academiâ ſupremæ Sapientiæ explicandi ſummam atq; compendium luculentiſſimum! MEDICO deniqve in Hieroſophico noſtro Collegio artis ſuæ periculum facturo, enixè cogitandum eſt, qvâ ratione contra ſingulos animi morbos oportuna qvævis remedia, cumprimis ſaluberrimum *Pœnitentiæ catapotium* adplicari, contra ulcera & tumores ſuperbiæ humilitatis drachma præſcribi, contra gulam & luxuriam diætæ, h. e. ſobrietatis chriſtianæ ratio oſtendi, contra phtiſicam livoris malignitatem, pudendamqve lingvæ maledicæ aſperitatem, calores item irarum *ſubitaneos*, aliaqve ſymptomata exitialia, optima qvæqve PHARMACA adhiberi qveant. Ea ſemper Hiero-Medicum cura verſabit atqve cogitatio, ne Philo-

Matth. XXII. v. 21.

Rom. XIII. v. 1. 2. ſeqq.

Philoſophorum in morem duntaxat de vitâ, tempore & duratione diſſerat, ſed potius tum in excutiendis peſtiferis morborum myſticorum ſeminariis, tum oportunis etiam remediis ſubminiſtrandis diutius moretur, ipſumqve illud perniciosum, & plurimis familiare Literatis MALUM HYPOCHONDRIACUM, h. e. inveteratam delinqvendi aſſvetudinem eliminet atqve eradicet penitus. Et cum valentibus opus nō ſit Medico, ſed malè habentibus, hinc eſt, ut de juvandis miſeris potiſſimum & graviter laborantibus, juſtam ille habeat ſollicitudinem, eosqve cœleſti enixè commendet Archiatro, qvi in hoſpitale hujus Mundi adveniens, inſtar veri Samaritani vulnera noſtra non cataplaſmatis aut pharmacis, ſed pretioſiſſimo ſangvinis ſui emplaſtro ſanavit.

V. Cæterum, ne Hieroſophici illius Collegii Alumni, & Inclytæ ACADEMIÆ [cujus regimen perpetuum penes eundem Servatorem ac Dominum noſtrum JESUM Chriſtum eſt, utpote qvi paſſionis ſuæ tempore purpureum RECTORIS veſtimentum geſtavit, *rubrum* inqvam *illud indumentum, & veſtem calcantis in torculari*; qvo in habitu eum pridem Eſaias in ſpiritu conſpexit, & ſangvine ſuo coloratum ſummoperè eſt admiratus] CIVES, ſuperbâ qvâdam ignorantia, aut rudi & ignoranti ſuperbia a-

rem. Cur non illius virtutem, providentiam potentiamqve cognoſceremus, cujus facturas & opera admiramur? Neceſſe enim revera eſt mirabiliorem multo illum eſſe, qvi mirabilia iſthæc condidit atqve procreavit, qviqve poſt primum illum Naturæ librum, Volumen alterum ignaris & rudibus curavit conſcribi, SCRIPTURÆ ſcilicet, *unicè ad noſtram utilitatem* [ut Paulus loqvitur] *paratum, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.* Adeò plenus liber ille eſt ſublimium ac divinarum ſcientiarum, ut irrefragabilia θεοπνευςίας criteria lectori cuilibet pateant, ejusqve arcana vis, occultis qvaſi aculeis corda legentium & audientium fodicans, omni ratione potentior exiſtat. Accedit Libro huic ſanctiſſimo tertius, GRATIÆ nimirum, qvi ipſe Servator JESUS CHRISTUS eſt, inexhauſtos divinæ benignitatis & ſapientiæ theſauros avidis lectoribus pandens atqve communicans. Et qvemadmodum ille modo ſe paſtorem appellavit, modo agnum & ovem, modo Medicum, modo medicinam, modo fontem, modo aqvam; cum tota perfectio in ipſo ſit repoſita, & ab illo procedat; ita Magiſtrum ſimul & Librum illum haud incommodè nuncupaverimus, imò BIBLIOTHECAM verè ἔμψυχον, omnigenæqve doctrinæ copias ſubminiſtrantem. Atqve ut eò clarius & evidentius videamus librum illum no-

Rom. XV. v. 4.

Confer Comment. I. num. 16.

noſtrum reverà eſſe, D. Johannem audiamus,
Apoc. V. qvi in Apocalypſi ſuâ eum deſcripturus, vi-
v. 1. diſſe ſe enunciavit LIBRUM INTUS & FORIS ſcriptũ; Nonne is eſt, Dominus noſter, *LIBER VITÆ* adpellatus? latet videlicet intus divinitas, foris autem eſt humanitas, exterius in hoc libro [id eſt in Humanitate] tam in fine qvam in principio, tam in nativitate
Apoc. I. qvam in paſſione & morte legimus: *Ego ſum*
v. 8. *ALPHA & OMEGA, Principium & Finis.* Cæterum, liber hic elegantiſſimus, ſcriptus fuit in papyro ſeu pergamento virgineo, in conclavi Dei, qvod eſt venter virginalis Mariæ, per digitos ſeu ſubtiliſſimos radios Spiritus Sancti, ipſe autem Pater omnia ea dictavit, qvæ in eo libro deſcripta ſunt & exarata. Fuit idem in flagellatione raſus, & vulneribus punctuatus, illuminatus ſangvine qvem profudit, impoſitus pulpito ſanctæ Crucis, tandem in reſurrectione reſtitutus & reparatus. Hunc, ſi turgidus & inflatus literator evolvat Librum, humilitatem ex capitis inclinatione diſcet, ambitioſus Doctor modeſtiam ex contemptu honorum & dignitatum ſecularium, ex rupturâ lateris Codrus aliqvis invidus charitatem, ex manuum extenſione avarus liberalitatem, ex oratione pro hoſtibus, contentioſus & maledicus literatus manſvetudinem, & omni encomio majorem æqvanimitatem. O librum omnibus omninò Chriſtia-

ſtianis evolvendum! O volumen incomparabile, qvo nulli non gratiæ cæleſtis theſauri fiunt obvii! Et ſicuti conſtat Chriſtum manibus, ſeu protenſo digito in terrâ ſcripſiſſe, cum mulierem adulterii accuſatam crimine eſſet abſoluturus; ita eo facto clariſſimè oſtendere voluit, *LIBRUM* ſeu legem ſuam, GRATIAM potius & miſericordiam nunciare, qvam juſtitiam & aſperitatem, uti Moſaica illa lapidibus inſculpta. Qvid, qvod omne Scripturæ argumentum eò collimet, ut credamus in eum qvem Deus miſit Mundi Salvatorem, & fructus pœnitentiâ dignos proferamus, cumprimis autem ſinceræ erga Deum proximumqve ſtudeamus charitati, & infucatæ humilitati operam navemus ſollicitam.

VI. Sic tandem digitum intendimus in LECTIONES ipſas, à Theoſophiæ Sacroſanctæ Candidatis, in Academiâ Pietatis ſinceræ calamo ſolerti excipiendas, qvæ nonniſi ſaluberrima qvæq; ad benè & beatè vivendum contineāt pręcepta. Agite ergo ô felices Collegii ejuſce alūni, lectiones tā ſalutares chartis & cordib⁹ veſtris imprimite, ſapientia ęterna qvę ſuggerit ſollicitè retinete, ſic certo certius intra breviſſimum temporis ſpatium doctiſſimi evadetis. Primâ lectione apprimè vobis commendabitur TIMOR DOMINI ſi qvidem dicente Pſalmographo, *initium Sapientiæ timor ſit Domini*; is inqvam timor,

qvi (ut Eccleſiaſticus monuit) *expellit peccatum*, ſicqve hominem ad ſapientiam recipiendam egregiè diſponit, qvæ in ſordido & luculento habitaculo neqvit diutius commorari; Is porro *Timor pædagogicus*, qvi curſoris inſtar, Regi hoſpitiū præparat & manſionem, ſordes ſubmovet, & qvicqvid divinæ Majeſtati diſpliciturum putat ejicere laborat. *Nam qvi timent Dominum, præparabunt corda ſua, & in conſpectu illius animas ſuas ſanctificabunt*; Is deniqve *Timor*, ex qvo omnigenæ virtutes, velut ex radice folia, rami, & fructus progignuntur, & qvi ſapientiæ ſupremæ zeugma qvoddam & complementum meretur appellari. O beatos ac felices eos, qvibus hoc timendi donum benigniſſimus Deus fuerit elargitus! ô felices diſcipulos & auditores, qvibus ſpiritus divinus viam hujus oſtendit veritatis! Altera primæ iſti agnata, atqve adfinis lectio, ſinceræ HUMILITATIS pandit arcana, docetqve, qvâ ratione Timotheus chriſtianus coram DEO proſternere ſeſe atq; humiliare debeat. Dedit illuſtriſſimum ejuſce virtutis exemplum & documentum ipſe Rector Lycei Hieroſophici perpetuus, verbis iſtis cedro digniſſimis: *Diſcite à me, qvia mitis ſum & humilis corde*: A magiſtro inqvam veſtro, qvi fons vitæ eſt, aqvas iſtas haurite, in vitam æternam ſalientes. Diſcite, quia ſapienti-

Eccl. II. v. 10.

Matth. XI. v. 29.

entiam gratiamqve eo modo conſeqvimini. Qvæ maximos Mundi Doctores, & grandes doxoſophos latuerunt, ea parvulis & humilibus Chriſti tyronibus patefacta ſemper explicataqve fuerunt. Eqvidem ſi arcana haud libenter concredantur & manifeſtentur ijs, qvi tegere ea occultareqve vix ac ne vix qvidem didicerunt; inconveniens revera foret ſuperbis & arrogantibus, ſapientiæ ac ſcientiarum theſauros erogare, qvi nihil eorum omittunt, qvibus inanis populi rumor & applauſus capi poſſe videatur. Sed & eam ob rationem copioſioris gratiæ ſcatebra humiles literatos irrigat, qvod rectius eâ uti didicerint, cavereqve ſtudioſius, ne malitioſè eadem auferatur. Si ſuperbis turgidiſqve Doctoribus idem eveniat, qvod Ezechiæ Regi accidiſſe legimus, ſcil. ut carere cogantur theſauris temerè oſtentatis; dubium non eſt, qvin humiles indies majora chariſmata à benigniſſimo Numine ſint accepturi. Tertia Collegii Hieroſophici lectio ad CHARITATIS erga Deum & proximum ſincerioris ſtudia & exercitia (qvorum qvidem ſub commonefactionis hujus initium meminimus) alumnos dociles hortabitur, novumqve illud Salvatoris mandatum, *ut diligant invicem diſcipuli*, etiam atqve etiam commendabit. O brevem, ô ſalutarem & inſigniter utilem lectionem! adeò brevis & com-

pendiaria ea eſt, nullus ut non qvam ſæpiſſimè ejus poſſit recordari; adeò utilis, ut ad ſupremum per eam honoris gradum & intimam cum Deo adſpirare poſſimus familiaritatem; adeò deniqve facilis, ut non maria emetiri, non longas moleſtaſqve peregrinationes ſuſcipere, non deniqve multa profundere neceſſe ſit, amoris ut iſthoc chariſma impetremus. Hanc ſi lectionem Sacroſanctæ Theoſophiæ Candidati memoriæ mandaverint, mandatamq; ſtudioſius exercuerint, omnibus poſt natos homines PHILOSOPHIS ſapientiores evadent. Iſtiuſmodi profectò eſt Charitatis ſinceræ præceptum, ut omnes ad ſui obſervationem inflammare debeat Gymnaſii Chriſtiani auditores, unum qvippe habentes patrem DEUM, & unam matrem Eccleſiam, & non niſi cœleſtem immarceſſibilemqve hæreditatem expectantes. Eqvidem ſi germanos & carnales fratres noſtros diligimus, qvi hæreditatem nobiſcum dividentes, eam minuunt atqve accidunt; qvanto juſtius fratres noſtros ſpirituales amabimus, qvi hæreditatem communem nobiſcum cernentes, tantum abeſt, ut eam imminuant, ut potius augeant, & amplificent mirificè. Qvanto enim beatorum numerus major fuerit, tanto exaltatio lætitiaque noſtra copioſior erit futura; ut olim plus propemodum de proximi, qvam de noſtra felicitate ſimus gaviſuri. VII. Et

VII Et cum DEI & PROXIMI Charitas indiſſolubili vinculo invicè ſint colligatæ, dubium non eſt, qvin fraternæ dilectionis ſtudioſo, perqve omnia FELICI LITERATO, confeſtim AMOR DEI in conſpectum ſeſe ſit daturus, eoqve igne accenſus ſupremæ Sapientiæ Candidatus, laxatis præcordiorum ſuorum affectibus in faciem veluti proſtratus, hujuſmodi emiſſurus ſit ſinceræ devotionis radios: *Qvidnam hoc eſt, qvo me affici ſentio, ô DEus meus! ô pars mea DEus in æternum? Adverto cor meum, neſcio qvâ inſolitâ amœnitate, ceu vernâ qvâdam aurâ perflari; qvidnam ſibi vult hæc procella delectationis qvâ inundor? unde iſti liqvidiſſimi voluptatis fluctus ad aridum litus pectoris mei appulerunt? ô lux mea diu qvæſita, deſideranti animo concupita, ô DEus animæ meæ, agnoſco adventum tuum in cor meum; Tu per gratiam tuam me inviſis, tuiſqve donis mea reples viſcera. Pereant fœdi Naſonis amores, qvos olim literarum humaniorum amore ac ſtudio captus, plus juſto æſtimavi, nunc impuro illo amandi magiſtro ſpreto neglectoqve, dicam Chriſtiano qvodam Poëta præcinente:*

Urit amor, me torqvet amor, ſum factus amori,
Alter amor; noſtri eſt victor amoris amor.

Hunc

IIX. Sic igitur in ſecretius pietatis ſinceræ Collegium, atqve divini Amoris Academiam introducto Felici noſtro Chriſtianæ Theoſophiæ Candidato, plenius DIVINÆ & HUMANÆ Sapientiæ differentiâ conſtabit, qvin imò Bonum illi innoteſcet maximum, qvod omnes creaturæ ardentiſſimè efflagitant, *QVIES NIMIRUM, VERAQ; TRANQVILLITAS.* Si profanè doctorum plurimi, aut mentis errore, aut morum vitio inducti, deceptiqve fallant atqve fallantur, qvorum utpote animi, caligante memoriâ, ſummum qvidem bonum repetunt, ſed velut ebrii, domum qvo tramite revertantur ignorant, hincq; non in viâ ad verum bonum ambulent, ſed falſam boni imaginem inſectentur; FELIX ille Literati Orbis ſanctæq; Academiæ incola, potius omnium bonorum ſummum poſſidebit, eoq; in perpetuum fruetur: namqve qvi ipſum poſſidet ſummum, is utiqve (& longè qvidem exactius) omnibus perfruetur bonis, qvæ ſum̃o illi ſubſunt, & cum id ipſum rerum & bonorum omnium fons & ſcaturigo ſit, Conditor ſcil. Ter-Maximus, veram ſalutem ex eo omnes conſeqventur, qvi illi inhærere, eoqve frui ardentiſſimè deſiderant. Profanâ religione & eruditione imbutus philoſophus, *FELICITATIS* veræ viam ſuperare hominis naturam alicubi exiſtimavit, qvo in judicio neqvaqvam

Confer Boet. de conſolat. Phil. l. 3. proſ. 2.

Ariſtot. lib. X. Ethic.

eſſet

eſſet deceptus, dummodo ſupremam Literatorum felicitatem extra naturæ regnum indagare inſtituiſſet, deqve verâ Dei veri agnitione & cultu magis fuiſſet ſollicitus, atqve rectum humanæ literariæqve felicitatis iter, niſu majori ſcandere cœpiſſet. Memorabile circumfertur Alphonſi Aragonum Regis apophtegma: *Animum hominis* (eruditi) *a Deo profectum, non prius conqvieſcere, qvam eò rediret, unde profectus eſſet.* Et qvis animum noſtrum Dei & æternitatis capacem eſſe dubitet, qvi eapropter neqve impleri, neqve ſatiari poſſit iis rebus, qvæ fluxæ & incertæ, Deum nimirum ipſum veluti naturalem ſedem & ſuum qvodammodo perfectum appetit bonum, qvo (ut Scholaſtici loqvuntur,) obtento beatorum ſatiatur appetitus. Et qvamvis Mundus varietate ſua animum interdum delectet, nec tam multa homo terrenis deditus videat, qvin plura videre concupiſcat, veram tamen mentis ſatietatem extra Dei Regnum haudqvaqvam ille inveniet. Hinc præclara illa vox: *Apud Te Domine EST FONS VITÆ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Qvi Dei ſpiritu aguntur, hi filii Dei, hi ſupremæ Academiæ cives ſunt, pulſat aſſiduè animum eorum Spiritus motor, ſi admittant, ſtatim Deo pleni per Orbem religionis ad Dominum reportabuntur, in eo ſemper vitam poſſeſſuri. Hæc, hæc vera

vera Literati hominis eſt felicitas, ad qvam ſincera Virtus pietasqve literatos Deo-ſacratos promovet, dirigit atqve impellit; Hæc, hæc *FACULTAS* illa inclyta eſt, cujus beneficio Collegii Chriſtiano-Theoſophici alumni, & cœleſtis ſapientiæ Candidatis ſupremos & inexplicabiles honores tandem aliqvando conſeqventur.

COMMONEFACTIO XIII.

ALUMNUS DOCILIS,

SIVE

DE INSIGNI LITERATORUM, IN COLLEGIO HIEROSOPHICO DEGENTIUM PROFECTU, ET SOLLICITA CAPTATIONE CUJUSVIS BENE AGENDI OPPORTUNITATIS.

I.

MAxima vis VIRTUTIS eſt ſolidæ, & SAPIENTIÆ CONSUMMATÆ; itaqve Virum, doctrinâ & literarum ſtudiis illuſtrem ea adprimè cura verſabit atqve cogitatio, qvâ ratione majores indies in Collegio Hieroſophico [qvod prolixè modo laudavimus] profectus indipiſci, & ad ſupremum Honoris & felicitatis inibi promiſſæ gradum adſpirare poſſit. Neqve verò voluntas ſolum pro-

na

na promptaqve ad eam rem eſt adferenda, verū animus etiam probè fulciendus & præmuniendus, ſcil. ut rerum voluptariarum uſum conſtantius contemnere, & nulli cedere adverſitati conſtituat. Summa Aretophilo ſincero opus eſt magnanimitate, tum ut patiatur omnis generis divexationes, tum etiam cupiditates ſuas & pravas inclinationes eo qvo par eſt ſtudio refrœnet. Qvamprimum operi ſaluberrimo admoverit manum, rèipsâ intelliget, *DEUM* [ut veteres dicebant] *Virtutem veram in altum & arduum poſuiſſe, ut non niſi per angores & ſudores multos ad ſedem ejus devenire qveamus.* Erit ipſi (pariter ac priſcis philoſophis) plus olei qvam vini conſumendum, plurimum moleſtiæ perferendum, plurimum obtrectationis & injuriarum devorandum, nihil non deniqve ſubeundum calamitatis. Et qvis modus ſit ac ratio certiſſima Virtutem acqvirendi, atq; eminentiores in ejus ſtudio faciendi profectus, ipſi ethnoſophi [qvamvis obſcurius paulò & intricatius] dedêre demonſtratum, dum Laertio Biographo teſte, qvamlibet diſciplinam tribus maximè indigere enunciarunt, NATURA ſcil. DOCUMENTO, & CONSUETUDINE, ſeu ut clarius dicamus, INGENIO, SCIENTIA & EXERCITIO. Ingenio nimirum acri, acuto non agreſti vel Bœotico, opus eſt tum

ἀνέχου καὶ ἀπέχου, *Suſtine & abſtine.*

ad virtutem acqvirendam, tum aliorum præcepta dijudicanda; qvotqvot olim philoſophi leguntur fuiſſe, ingeniis floruerunt, ut non abs re Plato ſapientem, id eſt virtute prędîtum nullum perfectum eſſe poſſe, niſi cæteris ingenio præſtet & artibus, ac prudentiæ veræ legibus ſit imbutus. *INGENIO noſtro* ſcitè ait Tullius in Tuſcul. qvæſtionibus, *innata ſunt ſemina qvædam Virtutum, qvæ ſi adoleſcere liceret, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret.* Si igitur ingeniis noſtris innata qvædam ſemina virtutum ſint, dubium non eſt, qvin ex ingenio velut agro fertiliſſimo, copioſa virtutum ſeges ſit proventura. Et cum ex Qvintiliani ſententia, homini ingenio carenti, non magis proſint præcepta qvam ſterilibus agris cultura, hinc eſt, qvod veteres philoſophi in diſciplinam nullum ſuſceperint, niſi cujus indolem probè prius eſſent perſcrutati. Dum rudis & obtuſi ingenii homo inſtar eqvi ſegnioris vel aſini, calcaribus ad curſum eſt adigendus, ingenioſus ultro & velociter virtutem conſeqvitur, & frœno nonnunqvam, inſtar eqvi citati eſt retinendus.

II. Poſt ingenium SCIENTIA qvoq; ſive inſtructione opus eſt fideliori, non enim ſola natura vel ingenium ſufficit, niſi & inſtructio accedat, qvæ qvod à natura imperfectum eſt, perficit, & optimam tutiſſimamqve acqvirendæ

dæ virtutis rationem ſubminiſtrat, idqve viâ geminâ fieri ſapientiſſimi mortalium huc uſqve obſervarunt: Altera *muta* eſt, ſeu librorum, qvi inſtruunt lectores, qvi docent, ſine tamen vocis ſono; altera *viva* eſt, ſeu præceptorum, qvi ore vivo proferunt & infundunt qvaſi virtutis præcepta adoleſcentum auribus, qvod poſterius inſtructionis genus, licet multis nominibus priori illi ſeu *librario* ſit anteponendum, tantum abeſt tamen, ut iſtud penitus negligendum ſit, ut potius apprimè conſectandum videatur, ſiqvidem plurimis ſeſe utilitatibus commendet. Nominatiſſimi qvîq; priſci ævi philoſophi, umbratico & lucernario ſtudio haudqvaqvam contenti fuerunt, ſed ſuſceptis peregrinationibus longioribus, inſtructores fideles inveſtigavêre, atqve virtutis amore vix ulla Orbis habitacula inacceſſa reliqvêre. Cæterum; primus ſine controverſiâ locus inter Hiero-daduchos illos tribuendus eſt Scripturarum divinarum Codici; cum ex eo evidentiſſimè pateat ratio, qvâ DEUS Ter-Maximus verè cognoſci, & revelata ejus voluntas adimpleri poſſit. Sit ſuus Moralibus Doctorum veterum monumentis honor, lateant in mythologorum æq; ac hiſtoricorum priſcorum libris commonefactiones qvæpiam ſalubriores, ex qvibus vitæ probatioris inſtituta etiam atq; etiam hauriri, & benè agendi præcepta deſumi poſſint,

ſolius tamen Scripturæ elogium eſt omni exceptione majus, qvod lectorem & ſcrutatorem ſuum indefeſſum & docilem erudire ad SALUTEM, & ad omne bonum opus (Spiritus Sacro-ſancti ſcatebrà accedente) idoneum facere poſſit. Si indocti aliàs ſint ſcrutatores illi, nec literas unqvam didicerint, vel ſolius tamen Sacri Codicis beneficio inſtrui ad ſalutem, & ad ſupremæ eruditionis (qvæ electorum propria eſt) apicem deduci poſſunt. Nec minus ſollicitè curandum eſt, ut lectionem & meditationem aſſiduam ipſa comitetur vel excipiat EXERCITATIO, ſiqvidem parum ſit noſcere, qvid Virtus, qvid pietas ſit, qvid honeſtum, qvid ſalutare, niſi ingenio & inſtructioni continuà ἄσκησις acceſſerit. Et cum artes ſingulas non ideò tractemus & excolamus, ut ſciamus duntaxat, qvin potius ut exerceamus; parum etiam erit noſcere qvid Virtus ſit ſolida, niſi & ſedulæ incubuerimus operationi. Exercitationi cumprimis debetur feliciſſimus in Virtute PROFECTUS, qvo ſi Sapientiæ ſupremæ cultores atqve ſtudioſi deſtituantur, deficient facilè, & priſtinis ſuis miſeriis atqve labyrinthis qvantocyus involventur. Ne in vitia rurſus inclinemus, & flectamur ad deteriora, ſemperqve morbidi maneamus, jugis exercitatio ſeu actio freqvens ſecundum virtutem optimam & perfectiſſimam (divinò adſpirante favoniò) haud dubiè

dubiè efficiet. Arripienda propterea omnis benè agendi opportunitas, nullaq; excercendæ & adaugendæ Virtutis OCCASIO negligenda. Et qvoniam in illa temporis opportunitate, rei ſemper aliqvid obvenit, qvæ eam, qvâ accidit ætatis particulam ad aliqvid vel faciendum vel omittendum opportunam & tempeſtivam reddit; hinc manu qvamprimum injectâ apprehendenda illa eſt, & cuſtodienda ſollicitè, ne ſi vel tantillum hæreamus, irreparabile rei omnium pretioſiſſimæ detrimentum ſubire cogamur.

III. OCCASIONEM uſqve adeò olim venerabatur Antiqvitas, ut teſte Calliſtrato, divinitate eam ſuo more donarit; ſic tamen ut Græci Deum, Deam verò Latini gentiles effingerent: At Literati Chriſtiani, unum Deum auctorem omnium profitentes, rejectâ illa ſuperſtitioſâ idololatriæ ſcoriâ, aurum qvod in abdito OCCASIONIS receſſu velut ſinu deliteſcit, purum ſeligant, & in chriſtianæ religionis, ſalutiſqve propriæ utilitatem prudenter & ſeriò convertant. Ipſius autem nomenclaturæ ſeu etymologiæ ratio ſubindicabit, *Occaſionem* non niſi qvandam *Temporis opportunitatem* eſſe, CASU provenientem; at cum opportunitas illa ferè momentanea ſit, modico nempe tempore conſiſtens, immò prætervolans, manu qvamprimùm injectâ erit arripiēda, alioqvi ſemel dimiſſa ſpre-

 taqve,

taqve, nulla arte recuperabitur. Hinc eſt, qvod Antiqvitas laudata Occaſionem effinxerit velut Nympham alatis talaribus, volubili rotæ inſiſtentem, vertigine adhæc qvam citatiſſimâ ſemet in orbem circumagentem, priore capitis parte CAPILLATAM, poſteriore verò CALVAM, novaculam inſuper manu tenentem, ut qvæ acie qvidem eſſet acutiſſima, oppoſita verò parte planè obtuſa uſuiq; inepta, ſic enim Auſonius Deam illam inducit loqventem:

Sum Dea, quæ rara & paucis Occaſio nota,
Sum Dea cui nomen nec Cicero ipſe dedit,
Sum Dea, quæ facti non facti, exigo pœnas;
Nempe ne pœniteat, ſic METANOEA vocor.

Qvanta enim negligentia eſt in occaſione oblatâ, nec arreptâ, tanta mox ab elapſâ pœnitudo ſuboritur, ut eam ob cauſam ſcitè admodum METANOEÆ appellationem illa ſortita ſit, cum ſerâ nimis pœnitentiâ, contemptores occaſionis capillatæ inſipientiam ſuam deplorent. Rectius itaqve ſapiant erudita pectora, atqve probè intelligant, nullam omninò ad bonum perficiendum occaſionem ſibi negligendam, temporisq; citò prætervolantis rationem ſollicitè admodum habendam eſſe, ne miſeras cum Phrygibus, *ſerò* nimis *ſapientibus* voces ingeminare, & ſpretæ tempeſtivitatis pœnas dare perpetuas cogan-

gantur. Qvod ſi planiſſimè ſibi perſvaſerint, temporis occaſionisqve opportunitatem, ad eruditionem, virtutem, ipſamqve ſupremam felicitatem aſſeqvendam Dei munere immitti; erit qvod hoſpitem tam gratum eâ qvâ par eſt humanitate excipiant, eoqve toto vitæ mortalis ſpatio familiariſſimè utantur. Sed & ipsâ improborum hominum, hujusqve ſeculi filiorum (diaboli exemplo qvamlibet ad malum occaſionem arripientium) ſolertiâ edocti, nullam non ad bona qvælibet perficienda captent occaſionem. Non poſſum, qvin literarum humaniorum cultoribus ad animum revocem memorabile illud Comici effatum; *Rerum omnium primum eſſe tempus*, h. e. Occaſionem, temporisqve opportunitatem, in qvâvis re ritè peragendâ præcipuè attendendam; nec non Lyrici monitum: *Terent.* *Horat. Sat. I. lib. 2.*

- - - Niſi dextro tempore, Flacci,
Verba per attentam non ibunt Cæſaris aurem. *Ovid. 9. Met.*

Deniqve Naſonis de malè obſervatâ hujuſmodi opportunitate qverelam:

Non adiit aptè, non legit idonea, credo
Tempora.

IV. Itaqve cuncti Orbis eruditi incolæ maximâ curâ in bonum advigilent, ne qvâ ipſis rectè faciendi occaſio præterlabatur; *nihilqve* (ut prudenter admodum Demoſthenes monuit, *illi prætereant, qvod ad rem pertinere videatur.* Qvid Seneca hanc in rem

ad

ad Lucilium ſuum? *Ita fac ergò* ſcribit, *mi Lucili, vindica Te Tibi, & tempus (qvod adhuc aut auferebatur, aut ſurripiebatur, aut excidebat) collige & ſerva. Qvē enim mihi dabis, qvi aliqvod pretiū tempori* (occaſioni) *ponat? qvi diē æſtimet? qvi intelligat ſe qvotidie mori.*

Seneca Epiſt. I.

Qvod ſi ex Pittaci Mitylenæi conſilio, ijs qvi apud Principem impetrabiles [ut ille qvidem loqvebatur] eſſe volunt, tempus captandum, qvo remiſſior, hilarior indulgentiorque eſſe ſolet; magnoperè omninò literatos Viros juvabit, ſolers bonæ occaſioni ſtudium adhibuiſſe, & qvamvis arripuiſſe virtutis exercendæ opportunitatem. Sit licet tempus fugaciſſimum, neqveat ſtabile retineri, neqve revocari elapſum, ſiſtet tamen Occaſio [tametſi fugam ſuo qvoqve modo minetur] greſſum, ipſiuſqve temporis prætervolantis fluxum qvadantenus cohibebit, dummodo capillatâ fronte capiatur, remoramqve per ſedulam apprehenſionem accipiat. Verum nullæ prorſus nectendæ ſunt moræ, accelerandum utiqve negotium, nec dimittenda Occaſio captata, donec votis captatorum per omnia ſatisfecerit, atqve ad juſtam laborum ſtudiorumq; metam juxta animi ſententiam eoſdem perduxerit. Lucrum eqvidem ex occaſione arreptâ admirandum tunc referent feliciſſimi illi, qvando torpidi occaſionis oblatæ contemptores, voces haſce ſeveriſſi-

riſſimas audire cogentur: *Serve male & piger*, aliaſqve conſimiles malæ notæ nomenclaturas; *Tollite ab eo talentum, & inutilem ſervum ejicite in tenebras exteriores; illic erit fletus & ſtridor dentium.* Utqve vigilantibus, occaſionemq; ſollicitè obſervantibus, etiam divina jura ſubveniunt, ita ſtertentes, rebuſqve & commodis ſuis indormientes causâ cadere neceſſum eſt. Veriſſimè rurſus Seneca; *Qvædam tempora* (occaſiones) *nobis eripiuntur, qvædam ſubducuntur, qvædam effluunt. Turpiſſima autem jactura, qvæ per negligentiam fit. Qvanta* pergit, *ſtultitia eſt mortalium, ut uſqve minima, viliſſima, & irreparabilia ſibi imputari patiantur; nemo verò judicat ſe qvidqvam debere, qvi tempus acceperit.* Verè admirabile, qvomodo tã pretioſarum rerum tam exigua nobis cura ſit atqve æſtimatio, dum abundè ſuppetunt, perdimus prodigè, qvorum mox indigemus. Norint itaqve Viri hierodidacti toto vitæ labentis ſpatio uti temporis opportunitate, ut nunqvam ſine fructu prætereat, qvandocunqve offertur. Prudentes illi Navarchos agant, celerrimè fortiſſimeqve ad ventum vela componentes, ejuſqve ſint obſervantiſſimi, undecunqve illum adſpirare conſpexerint. Si aliqva ipſis DEUM colendi, beneqve de proximo merendi occaſio prove- *Senec. l. c.*

niat, arripiant qvantocyus, ſi verbum ſalutaris admonitionis, inſtructionis, correptionis præſtandum alicui, ne obſecro deſint officio tam ſalutari & proficuo; ſi patientiæ & manſvetudinis exercendæ occaſio profeeratur, mox iſtum qvoqve infiniti pretii theſaurum arripiant, neqve ſinant elabi è manibus; ſi liberalitatis, humilitatis & cujuſcunq; alterius virtutis exercendæ anſa concedatur, non omittant eam, verum juxta divini verbi dictamen bona omni tempore operentur. Ditiores ſic evadent mercatorib' avidiſſimis, nullam augendarum opum occaſionem negligentibus; doctiores erunt ipſis Scientiarum Præſidibus, qvi omnem accumulandæ eruditionis opportunitatem impigrè ſolent amplexari. Nulla felices illos (qvemadmo- ingratiſſimos occaſionis proculcatores,) METANOEA adfliget, nec efficaci divini amoris argumento, gratiæqve ſalutaris præſidio unqvam deſtituentur, qvin imò adverſa omnia in VIRTUTIS OCCASIONEM convertent, & in ipſâ morte temporali, vitæ ſempiternæ OPPORTUNITATEM certo certius conſeqventur.

AMICE ANAGNOSTA!

NOn dimittemus ALUMNUM noſtrum DOCILEM, ſive Literatum in

in Collegio Hieroſophico egregiè profi-cientem prius, qvam cum eo cōmunica-verimus inſignem fideliſſimamqve Magni FR. BACONIS VERULAMII de Profectu in Virtute faciendo admonitionem; qvippe qvâ Vir ſapientiſſimus, viâ conſeqvendæ pariter ac adaugendæ Virtutis expeditiſſimam commonſtravit, ipſiusqve EXERCITATIONIS perficiendæ rationem feliciſſimè edocuit. Utinam præclaro illi monitori faciles Literati ſinguli aures præberent, intenſioriqve ſtudio de acqvirendo virtutis incremento eſſent ſolliciti!

FRANCISCUS BACO VERULAMIUS, SERMONE FIDELI LVII, qvi extat Opp. fol. 1237. & ſeqq.

QVOMODO PROFECTUS IN VIRTUTE FACIENDUS SIT.

PLurima confici poſſunt præcepta, de prudenti inſtitutione EXERCITATIONUM ANIMI non minus qvam corporis. Illorum paucula recenſebimus:

Pri-

Primum erit, ut jam à principio caveamus, *à penſis, vel magis arduis, vel magis puſillis*, qvam res poſtulat: Nam ſi oneris nimium imponatur apud ingenium mediocre, bene ſperandi alacritatem obtundes: apud ingenium fiduciæ plenum, opinionem concitabis, qva plus ſibi polliceatur, qvam præſtare poſſit; qvod ſecum trahit ſocordiam. In utroqve autem ingenii temperamento fiet, ut experimentum expectationi non ſatis faciat; id qvod animum ſemper deiicit, & confundit. Qvod ſi penſa leviora fuerint, magna inducitur, in progreſſionis ſumma, jactura.

Secundum erit, ut ad *exercendam facultatem aliqvam, qvo habitus comparetur, duo* inprimis *tempora obſerventur*: Alterum, qvando animus optimè fuerit ad rem diſpoſitus: alterum, qvando peſſimè: ut ex priore, plurimum in via promoveamus; ex poſteriore, nodos obiceſqve animi contentione ſtrenua deteramus: unde tempora media facilè & placidè labentur.

Tertium erit illud præceptum, cujus

Ari-

Ariſtoteles obiter meminit, *ut totis viribus* (citra tamen vitium) *nitamur in contrarium illius, ad qvod natura maxime impellimur:* Sicut cum in adverſum gurgitis remigamus; aut baculum incurvum, ut rectum fiat, in contrarium flectimus.

Qvartum præceptum ex illo axiomate pendet qvod veriſſimum eſt; *Animum ad qvæcunq; felicius trahi & ſuavius, ſi illud, qvo tendimus, in intentione operantis non ſit principale, ſed tanqvam aliud agendo ſuperetur;* qvoniam ita fert natura, ut neceſſitatem & imperium durum ferme oderit. Sunt & alia multa, qvæ utiliter præcipi poſſunt de regimine *conſvetudinis: Conſvetudo* enim ſi prudenter & peritè inducatur, fit revera (ut vulgo dicitur) *altera natura:* Qvod ſi imperitè & fortuitò adminiſtretur, erit tantum *Simia* naturæ; qvæ nihil ad vivum imitetur, ſed inſcitè tantum, & deformiter.

Similiter, ſi de *Libris & Studiis*, eorumqve ad *Mores* virtute & influentia verba facere vellemus; num nam deſunt plurima præcepta, & conſilia fru-

ctuo

ctuoſa, eo ſpectantia? Annon unus ex Patribus, magna cum indignatione, *Poëſin* appellavit *vinum dæmonum*: cum revera progignat plurimas tentationes, cupiditates, & opiniones vanas? Annon prudens admodum, & digna, qvæ bene perpendatur, eſt ſententia Ariſtotelis: *Juvenes non eſſe idoneos moralis Philoſophiæ auditores*; qvia in illis perturbationum æſtuatio nondum ſedata eſt, nec tempore & rerum experientia conſopita? Atqve ut verum dicamus, annon ideo fit, ut ſcriptorum priſcorum præſtantiſſimi libri & ſermones (qvibus ad virtutem homines efficaciſſimè invitati ſunt; tam *auguſtam* ejus *majeſtatem* omnium oculis repræſentando; qvam opiniones populares, in virtutis ignominiam, tanqvam *habitu paraſitorum* indutas, deriſui propinando) tam parum proſint ad vitæ honeſtatem, & mores pravos corrigendos, qvia perlegi & revolvi non conſveverunt à Viris, ætate & judicio maturis, ſed pueris tantum & tironibus relinqvuntur? Annon & hoc verum eſt, juvenes multo minus *Politica*,

qvam

qvam *Ethicæ* auditores idoneos eſſe, anteqvam *Religione* & *Doctrina de moribus & officiis* plane imbuantur; ne forte judicio depravati & corrupti, in eam opinionem veniant, non eſſe rerum differentias morales veras & ſolidas, ſed omnia ex utilitate aut ſucceſſu metienda? Sicut Poeta canit:

Proſperum & felix ſcelus virtus vocatur.

Et rurſus;

Ille crucem pretium ſceleris tulit, hic diadema.

Ac Poetæ qvidem hæc ſatyricè & per indignationem loqvi videntur; at *Libri* nonnulli *Politici* idem ſerio & poſitivè ſupponunt. Sic enim Machiavello dicere placet: *Qvod ſi contigiſſet, Cæſarem bello ſuperatum fuiſſe, Catilina ipſo fuiſſet odioſior.* Qvaſi vero nihil interfuiſſet, præter fortunam ſolam, inter Furiam qvandam, ex libidine & ſangvine conflâtam, atqve animum excelſum, & inter homines naturales maxime omnium (ſi ambitio abfuiſſet) ſuſpiciendum. Videmus etiam ex hoc ipſo, qvam neceſ-

ſari,

ſarium ſit, homines, *doctrinas pias & ethicas*, anteqvam *Politicam* deguſtent, plenis faucibus haurire? Nimirum, qvod qvi in Aulis Principum, & negotiis civilibus, à teneris (ut ajunt) ungviculis innutriti ſunt, nunqvam ferè ſinceram & internam morum probitatem aſſeqvantur: qvanto minus ſi acceſſerit etiam librorum diſciplina? Porrò, & in documentis ipſis moralibus, vel ſaltem aliqvibus eorum, annon cautio pariter eſt adhibenda, ne inde fiant homines pertinaces, arrogantes & inſociabiles, juxta illud Ciceronis de M. Catone: *Hæc bona, qvæ videmus, divina & egregia, ipſius ſcito eſſe propria: qvæ nonnunqvam reqvirimus, ea ſunt omnia non à natura, ſed à magiſtris.* Sunt & axiomata alia complura de iis, qvæ à *Studiis* & *Libris*, hominum animis ingenerantur. Verum eſt enim qvod dicit ille, *abeunt ſtudia in mores*: Qvod pariter affirmandum de cæteris illis rebus, *convictu*, *fama*, *legibus patriis*, & reliqvis, qvas paulò ante recenſuimus.

Cæterum, animi qvædam eſt *cultura*, qvæ

qvæ adhuc magis accurata & elaborata videtur qvam reliqvæ. Nititur autem hoc fundamento; *Qvod omnium mortalium animi, certis temporibus, reperiantur in ſtatu perfectiore: aliis, in ſtatu magis depravato.* Hujus igitur culturæ intentio fuerit & inſtitutum, ut *bona* illa *tempora* foveantur, *prava* verò tanqvam ex Kalendario deleantur, & expungantur. Ac *bonorum* qvidem *temporum fixatio* duobus modis procuratur: *Votis*, aut ſaltem *conſtantiſſimis animi decretis*, & *obſervantiis*, atqve *exercitationibus*; qvæ non tantum in ſe valent, qvantum in hoc, qvod animum in officio & obedientia jugiter contineant. *Malorum temporum obliteratio* duplici itidem ratione perfici poteſt: *Redemptione aliqva*, vel *expiatione præteritorum*; & *novo vitæ inſtituto*, veluti *de integro*. Verum hæc pars ad religionem planè ſpectare videtur: Nec mirum, cum *Moralis Philoſophia* vera & genuina (ſicut ante dictum eſt) ancillæ tantum vices erga Theologiam ſuppleat.

Qvamobrem concludemus hanc

partem cum eo *Remedio*, qvod omnium eſt maximè compendioſum, & ſummarium; & rurſus maximè nobile & efficax, qvo animus ad virtutem efformetur, & in ſtatu collocetur perfectioni proximo. Hoc autem eſt, *ut fines vitæ actionumqve deligamus, & nobis ipſis proponamus, rectos, & virtuti congruos: qvi tamen tales ſint, ut eos aſſeqvendi nobis aliqvatenus ſuppetat facultas.* Si enim hæc duo ſupponantur: ut & *fines actionum ſint honeſti, & boni; & decretum animi de iis aſſeqvendis, & obtinendis, fixum ſit & conſtans;* ſeqvetur, ut continuo vertat & efformet ſe animus, una opera in virtutes omnes. Atqve hæc certè, illa eſt operatio, qvæ *naturæ ipſius opus* referat; cum reliqvæ, qvæ diximus, videantur eſſe ſolummodo ſicut *opera manus.* Qvemadmodum enim *ſtatuarius*, qvando ſimulachrum aliqvod ſculpſit aut incidit, illius ſolummodo partis figuram effingit, circa qvam manus occupata eſt, non autem cæterarum; (veluti ſi faciem efformet, corpus reliqvum rude permanet & informe ſaxum, donec ad illud

qvo-

qvoqve pervenerit:) E contra verò *natura*, qvando florem molitur, aut animal, rudimenta partium omnium ſimul parit & producit: eodem modo, qvando virtutes habitu acqviruntur, dum temperantiæ incumbimus, ad fortitudinem, aut reliqvas, parum proficimus: qvando autem *rectis & honeſtis finibus* nos dedicaverimus penitus, & devoverimus, qvæcunqve fuerit virtus, qvam animo noſtro commendaverint & imperaverint fines illi, reperiemus nos jamdudum imbutos & prædiſpoſitos habilitate & propenſione nonnulla, ad eam aſſeqvendam & exprimendam. Atqve hic poſſit eſſe ſtatus ille animi, qvi egregiè ab Ariſtotele deſcribitur: & ab eo, non *Virtutis*, ſed *Divinitatis* cujusdam charactere inſignitur, ipſa ejus verba hæc ſunt: *Immanitati autem conſentaneum eſt opponere eam, qvæ ſupra humanitatem eſt, heroicam* ſive *divinam virtutem*, & paulò poſt: *Nam ut fere, neq; vitium, neq; virtus eſt, ſic neq; Dei. Sed hic qvidem ſtatus, altius qviddam virtute eſt: ille aliud qviddam à vitio.* Plinius certè Se-

cundus, ex licentia magniloqventiæ Ethnicæ, Trajani virtutem, divinæ, non tanqvam imitamentum, ſed tanqvam exemplar, proponit, cum ait: *Opus non eſſe hominibus alias ad Deos preces fundere, qvam ut benignos aq; & propitios ſe domi nos mortalibus præſtarent, ac Trajanus præſtitiſſet.* Verum hæc profanam Ethnicorum jactantiam ſapiunt, qvi umbras qvaſdam corpore majores prenſabant; Ut Religio vera, & ſancta Fides Chriſtiana, rem ipſam petit; imprimendo animis hominum charitatem, qvæ appoſitiſſimè *vinculum perfectionis* appellatur, qvia virtutes omnes ſimul colligat, & revincit. Sanè elegantiſſimè dictum eſt à Menandro, de *amore ſenſuali*, qvi *divinum* illum perperam imitatur: *Amor, melior Sophiſta lævo, ad humanam vitam.* Qvibus innuit, morum decus melius ab amore efformari, qvam à Sophiſta & præceptore inepto, qvem *lævum* appellat. Siqvidem univerſis ſuis operoſis regulis & præceptionibus hominum tam dextrè & expeditè effingere neqveat, ut ſeipſum & in pretio habeat,

beat, & ſic bellè in omnibus componat, qvam amor facit. Sic procul dubio, ſi animus cujuſpiam, fervore *charitatis* veræ, incendatur, ad majorem perfectionem evehetur, qvam per univerſam *Ethicam doctrinam*: qvæ *Sophiſtæ* profecto habet rationem, ſi cum altera illa confeeratur. Qvin etiam ſicut Xenophon rectè obſervavit; *Cæteros affectus, licet animũ attollant, eum tamen diſtorqvere & diſcomponere, per ecſtaſes, & exceſſus ſuos: Amorem verò ſolum, eum ſimul & dilatare, & componere*: Sic omnes aliæ humanæ, qvas admiramur, dotes, dum naturam in majus exaltant, exceſſui interim ſunt obnoxiæ; ſola autem *charitas* non admittit exceſſum. Angeli, dum ad potentiam, divinæ parem aſpirarent, prævaricati ſunt, & ceciderunt; *Aſcendam, & ero ſimilis altiſſimo*. Homo dum ad ſcientiam, divinæ parem, aſpiraret, prævaricatus eſt, & lapſus; *Eritis ſicut Dii, ſcientes bonum & malum*. Verum ad ſimilitudinem divinæ *bonitatis* aut *charitatis*, adſpirando, nec Angelus, nec homo unqvam in periculum venit, aut veniet.

Imò ad hanc ipſam imitationem etiam invitamur; *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qvi oderunt vos, & orate pro perſeqventibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii patris veſtri qvi in cælis eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injuſtos;* Qvin & in ipſo Archetypo naturæ divinæ, verba ſic collocat religio Ethnica (*Optimus, Maximus*) Scriptura autem Sacra pronunciat; *Miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus.*

COMMONEFACTIO XIV.

FELIX LIBRORUM HELLUO,

SIVE

DE SUMMA LECTIONIS SACRÆ NECESSITATE ET INSIGNI UTILITATE;

UNA CUM

BIBLIOTHECA SANCTA LITERATORUM EX ANIMO FELICIUM.

I.

SOlent Viri multijugæ lectionis, qvi avidè, qvos poſſunt verſant libros, ut in mentis ventrem trajicere eos velle, totosq. devorare videantur, elegantis proverbii ſalivâ LIBRORUM HELLUONES nuncupari, ipſo qvidem Tullio prælucente, qvi avidos lectores librorum, ac propemodum inſatiabiles, HELLUONES dixit, ſiqvidem vaſtiſſima volumina percurrant, & qvicqvid boni ſucci exprimere poſſunt, propriis & alienis impendant emolu-

mentis. Immenſus eqvidem copioſæ, & multijugę lectionis fructus (Zenoni etiam apud Laertium libri ſeptimi initio probatus) emerget, ſi conſtans illa ſit & diuturna, ita ut ſapientia, à multis variisqve authoribus longo labore parta, longoqve ſtudio congeſta, tantuli temporis impendio fiat, qvantum in legendo conſumitur. Et ſicuti felix ille habetur, qvi diviti parenti, longoq; plurium annorum mercimonio opes ingentes adepto, hæres factus, alienis curis potitur, & expers ipſe laboris defoſſo per anteriores auro incubat; ita multorum poſſeſſor lectorqve librorum, hæres qvodammodo animorum & ingeniorum ditiſſimorum efficitur. Cæterum, cum immenſa penè ſit librorum multitudo & varietas, fieri non poteſt, qvin eorum opibus diteſcere deſiderans, non aſſiduam longamqve lectionem adhibeat. Perincommodè autem Tartarei hoſtis fraude factum eſt, atqve hominum improborũ, tum veterum æq; ac recentiorum vitio, ut præclaris operibus, noxia plurima, veluti herbis ſalubribus mala gramina ſint commixta, qvæ dum incautius, ſtudio multa legendi, literati nonnunqvam conſectantur, mirum non eſt, qvod venenatis etiam, mentis ventriculum repleant cibis, tandemqve perpetuæ tradendi ſint internecioni. Tantum profectò abeſt, ut nimia illa ciborum, ſeu librorum congeſtio ſaluti ſemper

ſit,

ſit, ut potius morborum nonnunqvam ſementis fiat, & nimii librorum *Helluones* indigeſtam intellectûs confuſionem rariſſimè evadant. Ea pernicies cum longè maxima, atqve triſtiſſima eſſe videatur, nec ulla omninò cauſa ſit, cur graveolentes ac peſtiferæ paludes adeantur, cum amœni atqve ſalubres agri pateant, unde pulcherrima optimarum artiû & diſciplinarû, fructuoſarumq; lectionum ſeges petatur; neceſſe eſt, ut Literati, felicitatis veræ amore æſtuantes, & infelicium illorum, ſeu noxiâ lectione perditorum hominum periculis edocti, diligentiori cura ejuſmodi monumenta devitent, qvæ bonis piisqve mentibus graviſſimo ſint offendiculo, haudqvaqvam tales fœtus amantes ac perqvirentes, neqve ad periculoſos adeò ſcopulos naves ſuas adfligentes; ſed ſaniora conſilia ſectati, utiliſſimos & ſaluberrimos qvoſqve ingeniorum partus evolvant, ſibiqve reddant adprimè familiares. Maximè autem tales curâ aſſiduâ verſabunt libros, qvi pietati opitulentur ac moribus, & meliores non minus qvam doctiores *anagnoſtas* ſuos reddere qveant. Pii inqvam, & ſancto flagrantes zelo ſcriptores cæteris ſunt anteponêdi, & freqventiſſimè perluſtrandi, qvi Spiritum DEI, devotionis ardorem, deſiderium rerum cæleſtium, omnigenæqve Virtutis ſtudium vel infundant, vel apprimè foveant atqve adaugeant. Horum qvanta utilitas ſit

librorum, vel ex ſolo liqvet conſilio D. Hieronymi, admonentis, ut opes, qvæ ex ſacrorum operum lectione eruuntur, non alibi, qvam in mentis arcâ aſſerventur; *Locupletet* (inqvit) *his opibus cellarium pectoris ſui*; certè, cum in eo potiſſimum pii libri occupentur, ut mores componant, ad chriſtianæ ſanctitatis, verbiqve cælitus revelati normam, & ex ſacrorum oraculorum voluminibus, tanqvâ ex perenni & inexhauſtâ ſcaturigine ſint derivati; feliciſſimè ſacris iſtis opibus pectorum ſuorum cellaria illi locupletabunt, qvi pietati ſinceræ operam ducunt navandam, & in omnigenæ virtutis exercitatione, perpetuoqve velut pugillatu ac luctâ adverſus ſempiternæ ſalutis hoſtes ſunt conſtituti. Neqve verò eorum meletematum lectione ſanctæ iſtæ, & veram juſtitiam ſitientes animæ multum capientur, qvæ meram qvidem in fronte & titulo præ ſe ferunt pietatem, in receſſu autem nil habent, niſi verborum phaleras, & inanium curioſitatum pompas, vaniloqvia item innumera, & evaneſcentium bullarum oſtentationem; verum ejuſmodi deligent paginas Scriptorum, qvi veri & infucati morum chriſtianorum magiſtri dici merentur, qvi in ſe ipſis virtutum omnium, ac ſolidæ pietatis exempla longo tempore ſtatuerunt, atqve effecerunt, *ne dicta* (dicente Tertulliano) *factis deficientibus erubeſcant*, deniqve qvi

Hieron. ep. VII. ad Lamat.

Tertull. de patient. c. 1.

qvi (ut de ſe ipſo alicubi ait S. Proſper) *non adeò ſatagunt, de accuratione dictionis elaboratæ, nec illis pudori eſt, ſi quoſdam horrore incomptæ dictionis offendant*, ſiqvidem ut idem loqvitur ſcriptor, *ſententiarum vivacitas, ſermone ex induſtriâ culto ut plurimum enervetur, & tota vis dictorum, ſplendore elaborato evacuetur, nec placeant prudentibus phalerata, ſed fortia, qvando non res pro verbis, ſed pro rebus enunciandis verba ſint inſtituta.* *Proſp. de vita contempl. c. 34.*

II. Tales itaq; FELICI LIBRORUM HELLUONI apprimè arrideant ſcriptores, *qvi* (uti Gr. Naz. loqvitur) *non in extremæ literæ cortice pedem figunt, nec verborum tantum ſuperficiem ſpectant, ſed ulterius progrediuntur, atq; ex profundo in profundum tranſeunt, abyſſum per abyſſum invocantes, ac per lumen lumen invenientes, qvoad usq; ad ſummum tandem verticem perveniant.* Nobiliũ adeò Scriptorũ aſſiduam lectionem freqventer ejuſmodi animi mutatio excipit, qvalis eidem Gregorio, lectis Baſilii M. voluminibus obvenit: *Cum Martyrum* inqvit ille, *encomia* (à Baſilio ſc. conſcripta) *lego, corpus contemno, & cum iis qvi laudibus efferuntur, animo verſor, atq; ad certamen excitor; cum orationes eas, quæ de moribus, ac benè vivendi ratione ſcripſit, in manus accipio, animo & corpore purgor, templumqve DEI capax efficior, atq; inſtrumentum Muſicum à ſpiritu pulſatum, divinam gloriam & poten-* *Gregor. Naz. orat. XX. in laud. M. Baſilii.*

ten-

tentiam canens, per eas corrigor & concinnor, atq; DIVINA QVADAM IMMUTATIONE alius ex alio efficior. En miram piæ lectionis utilitatem! Nonne meridiano Sole clarius hinc elucеſcit, qvantum ſubſidii illa ad pios affectus concipiendos conferat, atqve ad exercitationem virtutis, deniqve ad firmitatem in ſancto propoſito retinendam. *Lectionis ejusmodi modũ ſimilis meditatio* [Bernardo obſervante] *ſeqvi ſolet, de qvotidiana lectione aliqvid qvotidie in ventrem memoriæ dimittendum eſt, qvod fidelius digeratur, & rurſus revocatum crebrius ruminetur, qvod propoſito conveniat, qvod intentioni proficiat, qvod detineat animum, ut aliena cogitare non libeat.* Atqve ut eo minus inſigni hoc ſacræ lectionis fructu optimi qviqve excidant, gemina iis adhibenda eſt cautio; Prima ut animarum ſuarum agri prius ſubigantur præparenturqve, qvam cæleſti illo ſemine conſerantur, ne ſi ſpinis aut ſaxis oppleti ſint, hoc eſt, ſi inutilium cogitationum vepretis horreant, vel pravæ conſvetudinis uſu obduruerint, atqve ad vota divini agricolæ (ſementem illam ſpargentis) penitus velint obſurdeſcere, nihil omninò proficiant, atqve optato fructu æternum ſint deſtituendi: Profectò ni ſolo idoneo mandetur ſemen illud præſtantiſſimum, contaminabitur facilè, aut peribit penitus, at verò terræ fertiliori commiſſum,

Bernar. ad fratres de monte Dei.

ſum, cæleſtis ſcatebræ beneficio facilè ſuccreſcet, ac centeno fœnore fructificabit. Secũdò, conſultum eſt piarum exercitationum peritis, ne ſacræ lectionis cibus avidius ingeratur, ſed qvietè, ſedatè, atqve etiam interruptè ſumtus, nauſeæ omni viam acceſſumq; intercludat, ſanè ſi in profanorum ſtudiorum tractatione omnis lectio præcipitata reprehendatur, nec omnes omninò laudentur LIBRORUM HELLUONES, multò cavendum id magis, ubi affectui potius ſtudetur qvam intelligentiæ, & diſciplinæ omnium nobiliſſimæ opera ſollicita impenditur. Tantum fructuoſæ lectionis, ad inſtar cibi cujusdam ſumendum eſt, qvantum mentis ventriculus digerere conficereqve unâ die poterit, altiſſimeqve pectoribus, ſacræ eruditionis amore flagrantibus, imprimendum ſaluberrimum nectarei Doctoris documentum: *Hauriendus eſt* [ait Bernardus] *ſæpè de lectionis ſerie affectus, & formanda oratio, qvæ lectionem interrumpat, & non tam impediat interrumpendo, qvam puriorem continuò animum ad intelligentiam lectionis reſtituat.* Qvibus verbis ſignificantiſſimis & prudentiam lectori neceſſariam egregiè commendavit, & modum interpellandæ devotâ oratione lectionis maximè ſalutarem indicavit, cui monito jam olim D. Hieronymus præiverat; *Orationi* (ſcribens) *lectio, lectioni ſuccedat oratio, & breve* *Hieron. ep. XIIX*
vide-

videbitur tibi tempus, quod tantis rerum varietatibus occupatur, eundemqve morem exemplo valdè illuſtri, Origenis videlicet, commendaturus; *Origenes* (pergit) *diebus ac noctibus hoc egit, ut lectio Orationem exciperet, & oratio lectionem; Qvid nos ventris animalia, tale unqvam fecimus? qvos ſi vel ſecunda hora legentes invenerit, oſcitamus manu faciem defricantes, continemus ſtomachum, & qvaſi poſt multum laborem mundialibus rurſum negotiis occupamur.* Qvæ poſtrema Hieronymi verba, (facto Origenis conſona) licet longiorem qvandam interruptæ lectionis ſacræ moram reqvirere videantur, qvam qvæ à legentibus ſimul ac Numini ſupplicantibus interponi ſoleat; qvantoperè tamen illa ipſa lectionis & orationis temperatio & vices proſint, ſatis ſuperqve indicant, veluti de eâdem cum Deo familiaritate, per preces & lectiones ſacras contrahendâ, ejusqve incredibili tum ſvavitate tum utilitate elegantiſſimè diſſeruit Albinus Flaccus Alcuinus, in qvinto opuſculi de virtutibus & vitiis capite ad h. m: *Lectio aſſidua purificat animam, timorem incutit gehennæ, ad gaudia ſuperna cor inſtigat legentis. Qvi vult cum DEO ſemper eſſe, freqventer debet ORARE & LEGERE; nam cum oramus, ipſi cum DEO loqvimur; cum verò legimus, DEUS nobiſcum loqvitur.*

Alcuinus lib. de virt. & vitiis c. 5.

III. Via eqvidem hæc eſt ad veram pio-

rum

rum Literatorum felicitatem pertingendi compendioſiſſima, licet trita haud ſit atqve pervulgata, cũ ſublimiora plerunq; & rariora monumenta Helluones Librarii expetant, atq; vagæ & infructuoſæ, [qvinimò vanæ, profanę & noxiæ, ſaltim omni emolumento ſpirituali deſtitutæ] lectioni freqventius incumbant, qvam piæ & ſalutari, non attendentes, qvod inani illo labore animæ vires exhauriantur & minuantur penitus, & bibliophagi profani, ad ſanctiora ac utiliora percipienda reddantur ineptiſſimi. Utinam idem lectoribus ſemper propoſitum eſſet, qvod ſcriptoribus divino ſpiritu agitatis; utinam chriſtianum illi cum iſtis in verâ pietate profectum ubiqve reſpicerent atqve ſectarentur! Aſt dum eruditionem plerunqve venantur potius, qvam animę ſuæ emolumentum, accidit eheu! ut præpoſtero & perturbato ordine omnia legant, & immenſis voluminibus evolutis, tantumqve non penitus devoratis, profectum nullum conſeqvantur. Nulli ſtudent helluones iſti extirpationi vitiorum, nulli mortificationi perturbationum, nullum in iis deprehendas devotionis incrementum, nullumqve ſinceræ documentum pietatis, extincta apud eos æternarum rerum cupiditas, charitatis & gratiæ divinæ ſplendor ſubtractus, atqve ut uno verbo dicam, conclamatæ & tantum non penitus deſperatæ ſalutis triſtiſſi-

ſtiſſimà indicia apud eos invenias. Ipſi ſibi freqventiſſimè diſplicent Helluones illi [vel ut nonnunqvam appellantur HEROES] Literarii, totqve volumina pervolutantes, veritatemqve per latebras & receſſus altiſſimos inqvirentes, miſerè utplurimum fatigantur, ac perturbantur, & cunctis laboribus exantlatis, vix ac ne vix qvidem eò perveniunt, ut ſapere incipiant. Qvod ſi verò infelices illi, Sacrorum & ſpiritualium potius, qvam profanorum librorum lectioni inſudarent, certo certius graviſſima iſta evaderent pericula, qvin imò æternis eriperentur malis, & ad ſortem verè felicium Literatorum, viâ longè faciliori adſpirarent, ſiqvidem qvælibet lectio ſacra, divinæ præſertim Scripturæ, (pietatis ac devotionis, non curioſitatis aut ſcientiæ causâ inſtituta) ad omnium virtutum officia excitanda efficaciſſima exiſtat, eiqve lectioni freqventer ſapienterqve intendentes, copioſiſſimâ cæleſtis gratiæ ſcatebrâ etiam atq; etiam ſint recreandi.

IV. Qvidni chriſtianos Literatos, Sacra illa, totqve inſignium Virorum calculis celebrata anagnoſis apprimè afficiat, cum qvendam è grege Gentilium, moralium evolutio librorum ita tenuerit, ut ad eam impigrè peragendam cunctos profundioris ſapientiæ cultores verbis ſignificantiſſimis duxerit incitandos; *Illud* (inqvit) *admoneo, auditionem*

philo-

philoſophorum, lectionemq́; ad propoſitum bea- *Seneca*
ta vitæ trahendum: non ut verba priſca, aut fi- ep. 108.
cta captemus, & translationes improbas, figu-
raſq́; dicendi, ſed profutura præcepta, & ma-
gnificas voces, & animoſas, quæ mox in rem
transferantur. Sic iſta diſcamus, UT QUÆ
FUERUNT VERBA, SINT OPERA.
Multa in hunc ſenſum, tum apud eundem
Senecam, tum etiam Epictetum ejuſqve ex-
planatorem Arrianum leguntur, qvæ Litera-
tos chriſtianos rubore perfundant, ſi in ſa-
crorum; & veræ ſupernæqve ſapientiæ the-
ſauris refertiſſimorum librorum lectione ſint
remiſſiores. *Nunqvam* (ita B. Alcuinus ad *Alcuin.*
ævi ſui Viros eruditos) *ſacra lectio temporibus* ep. 101.
opportunis de manibus eorum recedat, vices ſuas
habeant lectio & oratio. Et cum Damiano di- *Petr.*
cente, multi libros habeant, qvibus vacare *Dam.*
poſſint, ut animæ non ſolùm oratione cre- *opuſc.*
ſcant, verùm pingveſcant etiam lectione, eos 14.
eligant præ cæteris, inqve ſuccum ac ſangvi-
nem vertant, qvi authoritate probatiori &
fructu copioſiori ſint illuſtriores. Specialius
verò qværenti, qvinam illi ſint, & qvæ volu-
mina cumprimis tractanda & volutanda? Re-
ſpondem⁹, ad tria capita Scriptores illos poſ-
ſe revocari: ad Θεοπνεύστους, Veterum Patrum
monumenta, & libros qvoſdam Doctorum
recentiorum, qvorum aliqvi res prorſus aſce-
ticas tractant, & Pietati chriſtianæ comparan-

dæ accommodatas; alii verò fidei dogmata, ipſaqve religionis orthodoxę fundamenta u-ná cum documentis moralibus complectuntur. Hæc tria librorum genera ſeſe habent inter ſe, ut FONS, FLUMEN, & RIVULUS; FONTIS elogium non niſi Sacræ Scripturæ competit, *utpote largis* (Chryſoſtomo dicente) *perennibusq́, ſententiarum fluentis ſcaturienti*; Doctorum antiqvorum, qvos vulgò PATRES appellam⁹, opera cum FLUMINIBUS conveniunt, de Scripturæ Sacræ fonte originem trahentibus; RIVULORUM deniqve rationem habent monumenta qvorundam recentiorum, qvi de pietate excolendâ & propagandâ præclarè non minus qvam fructuoſè ſcripſerunt, lectorum mentes, mores, & corda ſpiritualibus præceptis, exemplis & affectibus irrigantes. Innumeris eqvidem ejuſmodi librorum lectio emolumentis ſeſe commendabit, eamqve cæleſtium rerum amor, ſinceritatisqve ſtudium, motio item pia ac ſvaſio certo certius excipient, qvâ Lectores ſtrenui ad exeqvenda præcepta ſalutaria perſvadeantur, atqve accendantur, & incitentur ad proborum, & doctrinâ non minus qvam Virtute chriſtiana illuſtrium Virorum imitationem.

V. Qvos verò ex ſacrorum oraculorum voluminibus, tanqvam ex perenni & inexhauſtâ ſcaturigine derivatos dixim⁹ PATRO-

RUM

rum Doctorum comentarios, eos nunc ſpeciatim per Duodecim à nato Salvatore Secula recenſere liber, ut Literati ad veram imperturbatamqve FELICITATEM tendentes, Sacro-Librario apparatu deinceps gaudere, & ſelectiora veterum Doctorũ monumenta in numerato habere, magisqve familiaria ſibi reddere poſſint ſcripta eorum, qvi ſanctioris vitæ ſtudio altiꝰ olim invigilarunt, & ſpretâ doctrinæ profanæ vanitate, intenſiori ſtudio, PIETATI ſolidæ ſaluberrimam impenderunt operã. Sanè cum JUSTINUM Philoſophum & Martyrem (Literatum illum feliciſſimum) à gentili ſuperſtitione ad fidem chriſtianam converſum, confeſtim [ut ipſe ait] mirûs amor Sanctorum hominum, eorumqve cumprimis Virorum inceſſerit, qvi CHRISTI AMICI fuêre, atq; philoſophiam ſupremam [qvam ſolam ille tutam atqve utilem deprehendit] monumentis æternâ laude digniſſimis tradidêre; erit profectò, qvod FELICEM noſtrum, h. e. ad pietatis ſtudia æqve converſum, inqve perpetuâ fidei & virtutum exercitatione, nec non ſerio ac indefeſſo pugillatu contra ſalûtis ſuæ hoſtes conſtitutum LITERATUM, conſimilis amor Sanctorũ [priſci cumprimis ævi] Doctorũ incedat: Operam ſane ille haudqvaqvã perdet, ſi ſtudiũ & tempꝰ multum in evolvendis lectitandisq; illis authoribus inſumat, qvi è limpidiſſimis, nec unqvam

Juſtin. in Dial. cum Tryphone Jud.

qvam exhauſtis Scripturarum divinarum fontibus ſummam Dei notitiam hauſerunt, ſcientiæ omnium ſaluberrimæ, ſanctimoniæqve cælo acceptiſſimæ ſociatam. Induſtrii eqvidem lectores, non ſecus ac præſtantiſſimorum ejuſmodi monumentorum conditores, copioſam divini Spiritûs ſcatebram accipient, pariqve cum ſanctis illis Doctoribus [qvi admirationi omnibus facti, tum dictis tum exemplis propriis docere, & commonere continuato labore ſategerunt] paſſu, ad incommutabile bonum, ſupremæqve felicitatis ſedem, ſpretis fallacibus pereuntis hujus ſeculi, Orbisqve profanè-docti deliciis contendent. Nimirum ſi piis ſcriptionibus non legendis ſolùm & intelligendis, verum etiam imitandis, [inqve ſuccum & ſangvinem convertendis operam navaverint diligentiorem, nec non ſanctiſſimis authorum paulò poſt laudandorum veſtigiis religioſius inhærere ſtatuerint. Et qvemadmodum D. Chryſoſtomus, pios qvoſvis Scriptores decentiſſimo elogio ornaturus, SPIRITUALES APES vocavit, cùm non ſibi laborent, ſed PUBLICO, & opera eorũ veluti qvidã favi ſint, qvibus pietatis ſinceræ, & ſapientiæ non adulterinæ mel feliciſſimè conditur; ita non malè lectores qvoqve Scriptorum ejuſmodi mellitiſſimorum cum apibus conferre liceat, qvippe qvi:

Chryſoſt. Homil. XI. ad pop. Ant. idem innuit Theodoretus, ad illud Cant. IV. Favus diſtillãs labia tua ſpõſa &c.

Flori-

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia guſtant,
Et bellè ſugunt, Sole favente, favus:

Svaviſſimo eqvidem ſanctiſſimoqve niſu apes illæ myſticæ undiqve colligunt deguſtantqve Theoſophorum ſcripta, & beatæ æternitati conſecrata monumenta ſtudioſè delibant, ut ſua inde ſpiritualia capere emolumenta, atq; cum inſigni fructu mellificare qveant. Opportunè huc veniet Origenes, illud Salomonis exponens: *Mel inveniſti, comede qvod ſufficit; Num curavit* [ſcribit ille] *Spiritus ſanctus de melle iſto qvod notum eſt, ne forte plus comedamus? Sed ſciens utiq; mel ſpirituale, ait, mel inveniens comede qvod ſufficit? Vade ait ad Apem, & diſces qvomodo operatrix eſt; Et inveniuntur prophetæ* [cunctiqve adeo Scriptores pii] *apes eſſe: Fingunt ſiqvidem ceras, & mella conficiunt, & ſi audienti mihi expedit dicere, favi eorum Scripturæ ſunt, qvas reliqverunt. Non ait, Volens veni ad Scripturam & inveni mel, ſed comede mel. Et in proverbiis rurſus dicitur: Bonus eſt enim favus ut indulcentur fauces tuæ -- Si videas apes Prophetas, & opus eorum mella, vel favos, tunc videbis qvomodo pro dignitate Sancti Spiritus dicatur: Comede mel fili, bonum eſt enim.* Itaqve mel ſapientiæ profundioris ab apibus ſpiritualibus confectum comedentes, h. e. Sanctorum ſcriptorum lectioni ſedulò incumbentes Literati, apes qvodammodo agere, & ſummo

Origen. hom. II. in Iſa.
Prov. XXV.

cum fructu [Sole cæleſtis gratiæ ipſis affulgente] mellificare poterunt. Denique cum piorum hominum monumentis ea divini amoris vis ineſſe credatur, ut legentium corda ſublevare, illuſtrare intellectum, voluntatem accendere, atque adeò totum hominem propemodum cæleſtem efficere queant; maximum utique operæ pretium fuerit, opera illa pretioſiſſima diligentiori curâ, non autem vagâ & alienâ mente revolvere, & frequentiori accuratiorique eorundem incumbere lectioni Quod ſi fiat, FELICES ANAGNOSTÆ ad omnigenæ Virtutis exercitium etiam atq; etiam inflamabuntur, & quã ſancti illi Doctores undiq; ſpirant fidem, divinam dilectionẽ, ſecularium contemptum, amorem ſupernorum, animi ſubmiſſionem, crucis tolerantiam horroremque voluptatum carnalium & ipſi indipiſcentur lectores, ac felici cum Scriptoribus niſu, ad proſperitatis veræ apicem tandem aliquando pervenient. Ac licet Catalogo huic etiam inſcribi potuiſſent vitarum ſanctè pièque olim tranſactarum hiſtoriæ, (quarum lectione ſanctiora fidei virtutisque chriſtianæ exercitia mirificè juvari poſſe vix inficias quiſpiam ire audebit) ſelectæ item piorum quorundam ævi recentioris hominũ meditationes, eas tamen, prolixitatis nimiæ evitandæ cauſa hoc quidem loco duximus omittendas, atq; commodiori reſervandas occaſio-

caſioni. Hoc ergò, qvem veſtro conſpectui, ô feliciſſima pectora, ſiſtimus, piorum Scriptorum indiculo fruamini, & è deſignatorum auctorum farragine locupletiori, alia atqve alia ad chriſtianæ pietatis ſtudia & exercitia capite incitamenta!

BIBLIOTHECA SANCTA LITERATORUM FELICIUM,

SIVE

SCRIPTORUM VETERUM, PIETATIS ET VIRTUTIS CHRISTIANÆ STUDIO AC EXERCITIO SUBSERVIENTIUM DESIGNATIO.

PHILONIS JUDÆI Liber de vitâ contemplativâ: ubi mores Chriſtianorum primitivæ Eccleſiæ, Alexandriæ viventium, nec non præclarum Virtutis ſolidioris exemplar reperire licet. Teſte Hieronymo lib. de Scriptor. Eccleſiaſt. in Philone.

JGNATII Epiſcopi Antiocheni & Martyris Epiſtolæ, ad pietatis chriſtianæ exercitia valdè *Flor. anno C. 71.*

valdè utiles, *Extant tum ſeorſim excuſæ, tum aliis P.P. antiqvorum monumentis ſociatæ, vid. Bibl Patrum Maxima, anno 1677. Lugduni excuſa Tom. II. p. 1. ſeqq.*

DIONYSII AREOPAGITÆ, ſuppoſititia licet, perqvam utilis tamen epiſtola ad Demophilum, de manſvetudine chriſtianorum, Superiorum cumprimis erga inferiores exemplo Dei & Salvatoris noſtri J. C. exhibenda. *Ext. inter opp. Dionyſ. a Corder. ed. & in Bibl. PP. Max. Tom. II p. 357. ſeqq.*

an. 150. JUSTINI *Philoſophi & Martyris* *, epiſtola ad Diognetum parænetica, ubi admirabilis primorum Chriſtianorum vita deſcribitur,

Item Epiſtola ad Zenam & Serenum, qvâ de Pietatis chriſtianæ exercitiis, nec non vitiis eâ profeſſione indignis, virtutibusqve ſublimioribus præclariſſimè diſſeruit.

an. 170. THEOPHILI Epiſcopi ANTIOCHENI liber primus & tertius ad Autolycum, contra chriſtianæ pietatis calumniatores, nec non de iis, qvæ nos ad Dei cognitionem promoveant, cumprimis vitæ ſanctitate & puritate. *Ext. in Bibl. P.P. Max. Tom. II. p. 2. ſeqq. nec non inter Opera Juſt. Mart. anno 1636. Pariſ. edita.*

TER-

* *Prodière opera Juſt. ſtudio Frid. Sylburgii Pariſ. 1636. Gr. & Lat. inſertaq; etiam ſunt Bibl. PP. Max. Tom. II p. 2. ſeqq.*

TERTULLIANI opus de patientia paræneticum, qvo Martyres chriſtianos in carcere propter fidem detentos conſolatur, & hortatur ad martyrium fortiter capeſſendum. an. 203.

Ejusd. lib. de pœnitentia, & ſcorpiacum adverſus Gnoſticos. Orationis item Dominicæ explicatio, & liber de fugâ in perſecutione, ubi præclarè de ferendis æqvanimiter injuriis & perſecutionibus diſſeruit.

Liber ejusd. Tertulliani de abſtinentiâ adverſus pſychicos [uti catholicos appellavit] æq; fructu ſingulari ſeſe commendabit, dummodò fermentum Montaniſticum inibi latens caveatur. *

CLEMENTIS ALEXANDRINI [divini planè Scriptoris, ſed non illotis manibus tractandi] PÆDAGOGUS, tribus libris comprehenſus, doctrinisqve planè egregiis refertus, non parum emolumenti ſtudioſo pietatis conciliabit. *Extat quoq; in Bibl. PP. Max. Tom. III. fol. 23.* an. 204.

ORIGENIS Homiliæ omnes etſi ſacræ diſciplinæ alumnis perutiles appareant, eæ tamen qvas in Pſalmos & Novum Teſtamentum concinnavit, præ cæteris merentur commendationem. an. 206.

Ejusdem etiam *Philocalia* non parum ad pietatis exercitium, Scripturæq; ſacræ intelligentiam conducet. ** CY-

* *Prodiêre opp. Tertull. noviſſimè Pariſ. cum notis Rigaltii & Priorii 1664.* ** *Pro-*

valdè utiles. *Extant tum ſeorſim excuſæ, tum alüs P.P. antiqvorum monumentis ſociatæ, vid. Bibl. Patrum Maxima, anno 1677. Lugduni excuſa Tom. II. p. 1. ſeqq.*

DIONYSII AREOPAGITÆ, ſuppoſititia licet, perqvam utilis tamen epiſtola ad Demophilum, de manſvetudine chriſtianorum, Superiorum cumprimis erga inferiores exemplo Dei & Salvatoris noſtri J. C. exhibenda. *Ext. inter opp. Dionyſ. a Corder. ed. & in Bibl. PP. Max. Tom. II p. 357. ſeqq.*

an. 150. JUSTINI *Philoſophi & Martyris* *. epiſtola ad Diognetum parænetica, ubi admirabilis primorum Chriſtianorum vita deſcribitur.

Item Epiſtola ad Zenam & Serenum, qvâ de Pietatis chriſtianæ exercitiis, nec non vitiis eâ profeſſione indignis, virtutibusqꝫ ſublimioribus præclariſſimè diſſeruit.

an. 170. THEOPHILI Epiſcopi ANTIOCHENI liber primus & tertius ad Autolycum, contra chriſtianæ pietatis calumniatores, nec non de iis, qvæ nos ad Dei cognitionem promoveant, cumprimis vitæ ſanctitate & puritate. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. II. p. 2. ſeqq. nec non inter Opera Juſt. Mart. anno 1636. Pariſ. edita.*

TER-

* *Prodiêre opera Juſt. ſtudio Frid. Sylburgii Pariſ. 1636. Gr. & Lat. inſertaq; etiam ſunt Bibl. PP. Max. Tom. II p. 2. ſeqq.*

Digitized by Google

TERTULLIANI opus de patientia paræneticum, qvo Martyres chriſtianos in carcere propter fidem detentos conſolatur, & hortatur ad martyrium fortiter capeſſendum. an. 203.

Ejusd. lib. de pœnitentia, & ſcorpiacum adverſus Gnoſticos. Orationis item Dominicæ explicatio, & liber de fugâ in perſecutione, ubi præclarè de ferendis æqvanimiter injuriis & perſecutionibus diſſeruit.

Liber ejusd. Tertulliani de abſtinentiâ adverſus pſychicos [uti catholicos appellavit] æq; fructu ſingulari ſeſe commendabit, dummodò fermentum Montaniſticum inibi latens caveatur.*

CLEMENTIS ALEXANDRINI [divini planè Scriptoris, ſed non illotis manibus tractandi] PÆDAGOGUS, tribus libris comprehenſus, doctrinisqve planè egregiis refertus, non parum emolumenti ſtudioſo pietatis conciliabit. *Extat qvoq; in Bibl. PP. Max. Tom. III. fol. 23.* an. 204.

ORIGENIS Homiliæ omnes etſi ſacræ diſciplinæ alumnis perutiles appareant, eæ tamen qvas in Pſalmos & Novum Teſtamentum concinnavit, præ cæteris merentur commendationem. an. 206.

Ejusdem etiam *Philocalia* non parum ad pietatis exercitium, Scripturæq; ſacræ intelligentiam conducet.** CY-

* *Prodiêre opp. Tertull. noviſſimè Pariſ. cum notis Rigaltii & Priorii 1664.* ** *Pro-*

** *Prodiit Græce Cantabrigiæ cum verſ. & notis Guil. Spenceri 16 8.*

an. 250. CYPRIANI * Epiſcopi Carthag. & Martyris opera tantum non omnia ad eundem collimant ſcopum, præſertim ſeqventia:

Epiſtola in ordine ſecunda ad Donatum, qvâ Cyprianus admirabilem efficaciam divinæ gratiæ in mutandis hominum animis ex ſe ipſo oſtendit.

Epiſt. it. IX. ad Martyres. XVI. ad Moyſen &c. XXVI. Moyſis ad ipſum Cyprian. LVI. ad Thibaritanos de exhortatione Martyrii. LXXVII. ad Nemeſianum &c. LXXXI. ad Rogatianum.

Tract. de exhortatione Martyrii ad Fortunatum, & de duplici Martyrio, nec non alius Tractatus de laude Martyrii [perperam D. Cypriano adſcriptus] præclaras ad patiendum pro Christo adhortationes complectuntur. Qvo etiam referendus ejusd. Cypriani Liber de bono patientiæ ad imitationem Tertulliani, epiſtola item LXIX. ad Florentium, de ferendis æqvanimiter obtrectatorum calumniis. it liber ad Demetrianum, calamitates non chriſtianis ſed idololatris imputandas eſſe oſtendens. Nec prætereundæ ſunt reliqvæ S. Cypriani commentationes aſceticæ,

* *Cypriani opera noviſſime lucem aſpexêre Pariſ. cura Ph. Priorii, & cum varior. annotat. 1666.*

cæ, videlicet Tractatus De Zelo & livore. De mortalit. ſeu de morte non timenda Epiſt. V. VI. & XXXVI. de curâ pauperum. XXXVII. & LX. de charitate afflictis exhibenda. Epiſt. VIII. ad Clerum & plebem, de deprecando Deo pro peccatis. Porrò Tract. de Unitate Eccleſ. Catholicæ, ubi de pace & concordiâ. De Singularitate Clericorum.

De vitando Clericis feminarum conſortio.

Liber III. ad Quirinum, dogmata Vitæ chriſtianæ comprehendens.

De XII. abuſionibus ſeculi. *Qui poſtremus tamen fœtus aſceticus Cypriano falſo tribuitur.*

ZENONIS VERONENSIS Epiſc. & Martyris Homil. de virtutibus; ſcil. ab homil. de fide ad illam de S. Arcadio excluſ. item ſermo in illa verba: *Attende Tibi &c. Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. III. fol. 356. ſeqq.* *an. 260.*

LACTANTII FIRMIANI, Lib. III. V. & VI. Inſtitutionum, de falsâ ſapientiâ, de juſtitia, de vero cultu. *Ext. Tom. III. Bibl. PP. Max. fol. 514. ſeqq.* *an. 290.*

ANTONII Abbatis epiſtolæ ad fratres ſuos Arſenoitas, de inſidiis dæmonum, de Chriſti beneficiis, &c. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. V. fol. 77. ſeqq.* *an. 330.*

MACARII homiliæ de Regno tenebrarum, hoc eſt de peccato, de prælio interiori, de vitæ chriſtianæ profectu, de excellentiâ vitæ chriſtianorum, de modo precandi, de iis *an. 340.*

quî

qvi ſe Deo vovent, de tentationibus qvibus ſpirituales homines obnoxii ſunt; de chriſtianorum ſpirituali unctione, & reliqvę omnes, pietatis ſinceræ illuſtria planè exhibentes documenta. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. IV. fol. 100. ſeqq.*

eod. an. ATHANASII Magni, Epiſc. Alexandrini, epiſtola ad Ammonium, qvâ oſtendit, nihil in homine fœdum eſſe niſi peccatum.

Vita Antonii Abbatis ab eodem conſcripta.

Item exhortatio de vitæ inſtitutione, ad ævi ſui Viros religioſos.

an. 360. PACIANI Barcinonenſis Paræneſis ſeu exhortatio ad pœnitentiam. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. IV. fol. 315.*

an. 365. CYRILLI Hieroſolymitani Catecheſes omnes, præſertim qvæ agunt de præparatione ad baptiſmum; de pœnitentia, de baptiſmo, & de vitæ ſanctitate poſt baptiſmum excolendâ. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. IV. fol. 477. ſeqq.*

eod. an. EPHRÆMI SYRI opera pleraqȝ pietati excolendæ ſubſerviunt, & ad ſanctiſſimum illum ſcopum unicè collimare videntur, ſelectiora tamen conſignamus ſeqventia: De fide, de virtutibus & vitiis, de rectâ vivendi ratione, ſeu de vitâ ſpirituali, de charitate, de timore animi; de pœnitentia, de compunctione, de panoplia ſpirituali, de reprehenſione ſui

ſui ipſius, de recurſu ad Deum in tentationibus, de ſuperbiæ everſione, de vitiis lingvæ, de mortificatione carnalium concupiſcentiarum, de patientia, de qvatuor noviſſimis, parænęſes & adhortationes ad neophytum, ſerm. aſcet. ad fratres, de beatitudinibus animæ, de non ſcandalizando proximo, de lenitate animi & longanimitate, de veritate, de abſtinendo ab omni conſvetudine pernicioſa, de recordatione mortis, de gravitate peccati qvod eſt in Spiritum ſanctum, de odio proximi, de paſſionibus ſive perturbationibus animi, huc etiam pertinent ejusdem Ephræmi qvædam verè chriſtianæ ac perutiles interrogationes & reſponſiones, threni item, ſive lamentationes variæ, deniqve piæ qvædam ad Deum precationes.

BASILII MAGNI inſignes qvædam Homiliæ, utpote tertia de vigilantia, decima de ira, undecima de invidia, decima qvarta de ebrietate, vigeſima ſecunda de humilitate, vigeſima octava de pœnitentia, & aliæ; porrò tractatus varii de rebus ſpiritualibus, cumprimis de judicio Dei, de abdicatione rerum, moralia ſeu regulæ piè vivendi, eædem regulæ fuſius diſputatæ &c. Deniqve epiſtolæ ejusdem Baſilii qvamplurimæ huc referendæ ſunt; cumprimis qvæ ad Chilonem diſcipulum, Gregorium item Theologum, nec non ad Epiſcopos, Clericos & Religioſos magno numero ſunt exaratæ. * an. 370.

n *Extant epiſtolæ illæ Tom. III. opp. Luter. 1578. editor. num. 1. 42. 50. 51. 61. 68. 75. 79. 168. 186. 188. 189. 191. 201. 202. 280. 281. 285. 289. 292. & 296.*

An. 370. GREGORII NAZIANZENI, Oratio qvinta de laudibus vitæ ſolitariæ, & de ſolitudine propter Chriſtum relinqvendâ, ſexta de imitatione ſanctorum Martyrum, ſeptima & octava de munere paſtorali, decima qvarta de concordiâ & diſſidiis animorum, decima ſeptima ad cives Nazianzenos gravi timore perculſos, vigeſima ſexta de moderatione in diſputationibus obſervandâ, &c. Ex EPISTOLIS Nazianzeni non prætereundæ ſunt decima ſeptima ad Cæſarium fratrem, trigeſima ad Euſebium in exilio degentem, qvinqvageſima ad Olympium, ſexageſima tertia ad Eudoxium Rhetorem, octuageſima prima ad Theodorum, deniqve centeſima & octuageſima ad congregationem fratrum in Sannabadaa degentium. Ejusdem farinæ ſacræ ſunt qvædam Naz. *Carmina*, ſcil. octavum de virtute, & nonum ad eandem exhortatorium, item de ſuis calamitatibus, de mundi rerumqve omnium vanitate, ad fictos Monachos, ad Helennium & alia plurima.

An. 374. AMBROSII Mediolanenſis Epiſcopi, Officiorum libri tres, perpulchram continentes Ethicę chriſtianæ doctrinam &c. it. de pœnitentia libri duo, & de fuga ſeculi; Enarrationes

Digitized by Google

tiones in Pſalmos, qvæ morales potiſſimum ſunt, & ſingulari elegantiâ adornatæ; Liber primus de Abel & Cain, á qvarto capite præclara continet de voluptate hominum animos irretiente; Item qvod fortiter reſiſtendum ſit tentationibus; qvod non niſi labore virtus comparetur; Liber primus de Jacob & vitâ beatâ, ubi de paſſionum mortificatione &c.

Huc etiam pertinent varii B. Ambroſii *Sermones*, utpote Nonus de unitate charitatis, it. XXV. XXVI. XXIX. XXXIV. & præprimis XXXV. de modo agendi pœnitentiam.

Ex *Epiſtolarum* voluminibus, tertium qvod de vita agit morbusq; Præpoſitorum, & qvartum, egregias commonefactiones epiſtolicas continens, de Chriſtianorum divitiis, de eorundem hæreditate, de ſolitaria & humili vitâ, de inſtitutione juvenis poſt lapſum pœnitentis, &c.

GREGORII NYSSENI Orationes octo de totidem beatitudinibus, ſingulæ de ſingulis; prima de paupertate ſpiritus, &c. *an.* 380.

Orationes qvinqve de Oratione Dominicâ, qvarum prima de excellentia & utilitate orationis.

Vita Moſis, ſeu lib. de vita perfecta, ex præſcripto Virtutis inſtituenda.

De propoſito ſecundum Deum, ſeu de ſcopo & fine chriſtianæ vitæ.

Oratio in eos, qvi temerè de aliis judicant,

cum ipſi iisdem aut gravioribus delictis obnoxii ſint.

It. de profeſſione chriſtiana tract. item de perfecta Chriſtiani forma.

an. 380. AMPHILOCHII Episc. Icon. Oratio de pœnitentia, qvaliter diabolicis tentationibus ſit reſtituendum. Item de eâdem, qvod nunqvam de ſalute ſit deſperandum.

Epiſtola ad Seleuchum jambico carmine de virtutibus & vitiis. *Ext. Tom. V. Bibl. PP. Max. fol.* 1057. *ſeqq.*

eod. EVAGRII PONTICI lib. de octo vitioſis cogitationibus ad Anatolium. *Ext. Tom. XXVII. Bibl. PP. Max. fol.* 97 *ſeqq.*

an. 390. HIERONYMI STRIDONENSIS Epiſtolæ qvædam egregiæ, videl. *II.* Ad Nepotianum, de vita Clericorum & Sacerdotum, *IV.* Ad Ruſticum Mon. qvâ vivendi forma inſignis præſcribitur. *XXII.* ad Euſtochium Virg. *CIII.* ad Paulinum, & aliæ plurimæ.

In nono & ultimo operum Hieronymi Tomo, ſeqventes in rem noſtram diſſertationes reperiuntur: Ad Geruntii filias de contemnenda hæreditate, de tribus virtutibus, de vera circumciſione, hortatio ad militem ſeculi ut Chriſto militet, ad Oceanum de ferendis opprobriis.

eod. DIADOCHI Epiſcopi Photices centum capita de vitâ ſpirituali. *Extant Tom. V. Bibl. PP. Max. fol.* 884 *ſeqq.*

PAL-

Digitized by Google

PALLADII Galatæ Hiſtori. Lauſiaca ſeparatim & in Vitis PP. lucem aſpexit.

CHROMATII AQVILEENSIS ſermo de octo beatitudinibus. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom V. fol. 3-6.*

In *JOHANNIS CHRYSOSTOMI* an. 398.
operibus qvamvis vix qvicqvam reperiatur, qvod pietatis ſinceræ cultori non inſervire qveat, præ cæteris tamen ejus ſcriptis, Homiliæ in utrumqve Teſtamentum Vetus & Novum, Tom. I. II. III. V. & VI. extantes, moribus inſtruendis & expoliendis videntur aptiores. Qvartus Operum Chryſ. Tomus nonnulla etiam opuſcula continet & epiſtolas, ſacro illi ſcopo confines. Sex item poſteriores Tomi edit. Gr. Lat. à Ducæo adornatæ, Commentarios habent homileticos, non minus ſinceræ pietati & virtuti excolendæ conducentes, ſiqvidem beatiſſimus author ſub finem cujuslibet homiliæ, poſt expoſitionem literalem, præclaras prolixasqve morales digreſſiones adpoſuerit.

In Tomo I. laudatæ editionis Græco-latinæ extat homilia 4. & 5. de patientia Job, & trium puerorum; *ubi de utilitate adverſitatum* 8. Exhortatio ad virtutem. 18. De jejunio, & qvod juſtus gaudere ſemper poſſit. 22. De præparatione ad Eucharîſtiam, & de ſimultate deponenda. Homiliæ ſex de pœnitentia. De oratione homiliæ duæ; prima præ-

cipuè, in qva excellentia & utilitas orationis mirè deſcribitur.

In Tomo 2. Homiliæ duæ de parcendo inimicis, fol. 841. & 954. De ignavia, ut omniũ vitiorum causâ fol. 864.

In Tomo 4. De Sacerdotio libri ſex; *Secundus maximè & tertius de excellentia Sacerdotii.* Qvartus, qvintus, & ſextus, de ſacerdotio, ut habet annexam animarum curam; ſeu de conditionibus ad regimen animarum neceſſariis. De compunctione cordis, libri duo. De providentia, libri tres. De pœnitentia. Qvòd nemo læditur niſi à ſeipſo. *Inſignis Tractatus* ad Theodorum lapſum; Exhortationes duæ parænetica.

Ex Epiſtolis. Prima ad Olympiadem, de patientia in adverſis, elegantiſſima facilè omnium epiſtolarum. Item ſecunda, & ſeqventes ad 17. incluſivè. Item 60. 85. 94. 96. 102. 104. 105. 107. 118. 120. 121. 125. 192. 237. ejusdem argumenti. Sermo anteqvam iret in exilium.

In Tomo 5. De ferendis reprehenſionibus, fol. 164. De manſvetudine, fol. 538. De utilitate lectionis Sacræ Scripturæ, fol. 582. Qvod nullus umqvam debeat deſperare, fol. 654. Qvod non oporteat fratrum peccata evulgare. Non eſſe ad gratiam concionandum.

In Tomo 6. Religioſum facetiis uti non debere. Florilegia S. Chryſoſtomi: Non niſi ſince-

Digitized by Google

ſinceræ Pietatis ſuccum exhibentia; *ſunt ſiqvidem ex eodem ſancto Patre collecta de Virtutibus & Vitiis.*

In Tomo 1. In Novum *Teſtamentum ex illis moralibus, de qvibus ſuprà.* In Evangelium Matthæi. Morale homiliæ 2. de lectione Sanctarum Scripturarum. 3. Ad humilitatem exhortatio, & qvòd non oporteat jactare ſua bona opera. 16. Qvod, qvi divina meditatur, non gravatè ferat Virtutis exercitium. 18. & 19. De charitate erga inimicos. 25. & 27. De non confidendo plus æqvo in ſua ſanctitate; vide & 33. homil. in primam ad Corinth. 34. De conſtantia in afflictionibus, exemplo Job, Joſeph, & trium puerorum. 41. De invidia. 42. Qod in hac vita peccata punienda ſunt. 43. item 83. 84. in Johannem, de ferendis æqvanimiter calumniatoribus, & vitando temerario judicio. 62. De oblivione injuriarum. 66. De humilitate & ſuperbia. 71. De vana gloria. 83. Qvod oporteat cum omni devotione, & puritate mentis ad Chriſti myſteria accedere. In Evangelium Johannis. Morale primæ homiliæ, de attentione in Eccleſia. 27. & 28. item 28. in Acta, & 12. in primam ad Corinth. adverſus vanæ gloriæ ſtudioſos. 29. 30. & 31. item & 19. in Acta. De aſſidua lectione ſanctarum Scripturarum, 32. De manſvetudine. 35. De perſeverantia orationis in adverſitatibus; & qvod non ſine

magnis laboribus perfectio comparetur. 38. & 54. De invidia, peccatorum omnium peſſimo. 45. De admirabili effectu Euchar. 85. De Sacerdotum dignitate, & qvod honorandi ſunt etiam mali, & indigni. In Acta: Moralia. 26. Homiliæ, adhortatio ad preces nocturnas. 30. In eos qvi Eccleſiam freqventantes, nihilo meliores fiunt. 31. De ferendis æqvanimiter calumniis. 32. De frænandis animi perturbationibus. 35. De detrimentis ignaviæ, & deſidiæ. 50. De ferendis calumniatoribus, & qvod eos præoccupare debemus in reconciliatione

In Epiſtolam ad Romanos. Moralia. 3. Homiliæ, de manſvetudine, & tolerantia malorum. 5. De Præceptoribus, & Magiſtris, qvomodò oporteat unà cum dicendi ratione virtutem exercere. 20. Contra eos qvi efferuntur, & ſuperbiunt ob ſcientiam. 27. De dilectione inimicorum. 29. De Zelo, ſolicitudine, & amore Prælatorum.

In primam ad Corinthios Moralia. 1. Homiliæ, de humilitate. 20. De non dando ſcandalo. 27. Contra eos qvi indignè ad ſacram Communionem accedunt. 44. Qvod eos qvi peccant leniter arguere debemus: & qvòd erga proximum inhumani ſunt, qvi eorum peccata diſſimulant.

In ſecundam ad Corinthios. Moralia. 1. Homil. De ferendis æqvo animo afflictionibus.

2. Qvod

Digitized by Google

2. Qvod alii pro aliis orare debeamus. 3. Reges eos eſſe, qvi paſſionibus imperant. 4. Veram pœnitentiam in cordis contritione ſitam eſſe. 6. De vita & morte ſpirituali. 9. Pia ad æternæ vitæ ſtudium adhortatio. 10. Qvam ſit formidandum extremum judicium. 11. Peccata plus timenda eſſe, qvam pœnam. 15. Homiliæ. 22. De aſſidua peccatorum memoria, & fletu. 24. & 27. De invidia. 26. De utilitate adverſitatis. 29. Adverſus vanæ gloriæ cupiditatem.

In Epiſtolam ad Epheſios. Moralia. 6. Homil. Qvòd Doctor debet fervens eſſe ſpiritu, & vitâ irreprehenſibilis; & qvòd nunc contrarium in Eccleſia eveniat. 8. De gloria chriſtianorum, qvi adverſa pro Chriſto patiuntur. 9. Qvod mutua charitas ſit firmiſſimum pacis vinculum.

In Epiſtolam ad Philippenſes. Moral. 5. Homil. De humilitate, & contra adulatores. 8. Contra murmuratores, & divinis præceptis recalcitrantes. 15. De utilitate adverſitatis.

In Epiſt. ad Coloſſ. Moral. 11. Homil. De charitate erga fratres; & qvod eis collætari, & commiſereri debemus.

In 1. ad Theſſalonicenſ. Moral. 2. Homil. De amicitiæ ſpiritualis excellentia.

In Epiſt. ad Titum. Moral. 1. Homil. Qvales debent eſſe Doctores, & Magiſtri erga inferiores; & inferiores erga ipſos. 2. De imoderato gloriæ ambitu.

In

In Epiſt. ad Hebræos. Moral. 27. De efficacia orationis. 29. De patientia in adverſis, exemplo omnium Sanctorum. 31. De mediis ad pœnitentiam.

an. 420. *In D. AURELII AUGUSTINI* Hippon. Epiſcopi operibus meletemata qvæ hujus inſtituti ſunt, occurrunt plurima:

Utpote *In Tomo* 1. Confeſſionum liber octavus, de converſione ſua: libri tres contra Academicos: *Ubi Romanianum ad vera Philoſophiæ ſtudium adhortatur*. De ordine liber: *Ubi de providentia DEI ſuper bonos & malos.* De vita beata. Libri duo Soliloqviorum. Liber de vera Religione; præcipuè à capite trigeſimo, ad finem. De moribus Eccleſiæ: Liber utiliſſimus, totam complectens chriſtianam Ethicam. Regulæ ad ſervos Dei. *Regula hæc continetur etiam in epiſtola* 109. *ad feminas ſcripta.*

In Tomo 2. *ex ejus Epiſtolis.* 19. *Hieronymo*: Officioſum mendacium improbat, & qvo animo diſputandum docet. 29. Rurſus eidem *Hieronymo*: explicat illud Jacobi: *Qvi offenderit in uno factus eſt omnium reus.* 38. *Læto*: Contemptum ſecularium ac temporalium ſvadere conatur. 39. *Licentio*: Ejuſdem probè eſt argumenti. 45. *Armentario & Paulinæ*: De eodem, ac ad votum continentiæ ſolvendum impellit qvod emiſerant. 52. *Macedonio*: de vera felicitate. 56. *Dioſcoro*: de non

Digitized by Google

non inqvirendis vanis & curioſis. 62. *Celeſtino*: De vera charitate, & amicitia. 64. *Aurelio Epiſcopo*: De contentione & dolo, & contemptu humanæ laudis. 80. *Heſychio*: Qvomodo intelligenda qvædam Scripturæ loca, præſertim qvæ de fine ſeculi variè loqvuntur. 81. *Eudoxio Abbati & ejus Monachis*: Ne otio & ſolitudine ad ignaviam abutantur. 83. *Chriſyno*: Conſolans ne deficiat in adverſis. 87. *Felicitati & Ruſtico*: De malis & fraterna correptione patienter tolerandis. 118. *Jannario*: Qvid agendum ſit in iis, in qvibus Regionum aut Eccleſiarum conſvetudines variant, & in qvibus conſentiunt. 119. *Eidem*: Copioſius diſſerens de ritibus Eccleſiæ, vel iis qvos negligi nefas eſt, vel iis qvi tollendi ſunt, ſi citra majus incomodum liceat. 120. *Honorato*: Qvanta eſt gratia Novi Teſtamenti, ac in proſperis hujus ſeculi rebus ſpem noſtram non ponendam, ſed potius in tribulationibus. 121. *Probæ.* De orando Deo. 122. *Victoriano* &c. Ad patientiam in adverſis hortatoria. 131. *Memorio Epiſcopo*: Damnat diſciplinas liberales, niſi adſit ſtudium pietatis. 132. *Florentinæ puellæ*: Majus eſſe periculum docentis qvàm diſcentis. 136. *Felici & Hilarino Epiſcopis*: Adhortatur ad ſufferenda hominum maledicta patienter, ac temerè non judicandum. 137. *Clero, Senioribus, ac univerſæ plebi Eccleſiæ Hipponenſis*:

ſis: Hortatur, ne temerè judicent, nevè ob paucorum delicta vel ipſi deficiant à pietate, declarans nullam fuiſſe tam felicem ſodalitatem, in qva non aliqvod flagitium extiterit. 135. *Iisdem*: Adhortatur Hipponenſes ut bonis operibus incumbant, maximè in ſublevandis pauperibus. 144. *Anaſtaſio*: Eleganter timorem ſervilem non ſufficere ad vincendum aut expiandum peccatum, oſtendit. 148. *Valeriano Epiſcopo*: De receſſu neceſſario Prælatis & Superioribus, ut idonei ſint impoſito muneri. 149. *Profuturo*: De toleranda adverſa valetudine, & cohibenda ira. 151. *Nebridio*: De verâ beatitudine. 180. *Honorato Epiſcopo*: Diſtinctius explicat, qvibus, qvando, & qvomodo fugiendum imminente periculo. 205. In qvonam conſiſtat vita chriſtiana. 208. *Palatino*: Ut terrena qvod jam cœperat contemnens, in Chriſti ſapientiâ ſeſe exerceat. 248 Sapidæ virgini: Super mortem fratris conſolatio. 250. *Paulino & Theraſiæ*: Qvomodo ſit degenda præſens vita ut perveniatur ad æternam. 264. *Dario*: Qværendas laudes hominum propter ipſos homines.

In Tomo 3. De doctrina chriſtiana, libri qvatuor. Enchiridion ad Laurentium: Qvomodo Deus ſit colendus; & de fide, ſpe, & charitate. De Geneſi ad literam, ad hujusce libri intelligentiam utiliſſima. De agone chriſtiano. *In*

Digitized by Google

In Tomo 4. Contra mendacium. De fide, & operibus. De catechiſandis rudibus. De continentia. De patientia.

In appendice ejusdem Tomi, S. Auguſtino olim tribuebantur ſeqventes tractatus: De ſubſtantia dilectionis, & amoris. De falſa pœnitentia. De ſalutaribus documentis.

In Tomo 7. De correptione, & gratia; *Vel de neceſſitate & utilitate correptionis.*

In Tomo 9. Liber de paſtoribus, & ovibus. De diſciplina chriſtiana. De Cantico novo, & reditu ad patriam cæleſtem, ac viæ periculis. De cultura agri Dominici. De cataclyſmo. De tempore barbarico. De utilitate jejunii. De urbis excidio. Meditationum liber.

In appendice ſeqventes tractatus falſo nomine S. Auguſtini olim editi; pio tamen, & haud inerudito auctore: De diligendo Deo. De triplici habitaculo. De Scala Paradiſi. De duodecim abuſionibus ſeculi. De cognitione veræ vitæ. De contritione cordis. De vita chriſtiana. De Speculo. De contemptu Mundi. De vanitate ſeculi. De bono diſciplinæ. De viſitatione infirmorum. De ſobrietate & caſtitate. Speculum peccatoris. De rectitudine catholicæ converſationis.

In Tomo 10. *Ex ſermonibus. De verbis Domini ſecundum Matthæum.* 1. Qvod ſermo Dei adverſarius noſter eſt, cui conſentiendum audiendo ac obſervando. 2. De concordia

inter

inter utrumqve præceptum; *Sic luceat lux veſtra coram hominibus*: & iſtud: *Attendite ne juſtitiam, &c.* 5. De contemptu divitiarum; ac de eleemoſyna largienda. 6. Qvod fides in humilitate laudatur. Item qvid ſit tangere fimbriam veſtimenti Chriſti, ac premere corpus ejus. 7. *Seqvar te quocumq; ieris.* 8. In illud: *Confitebor tibi, Pater.* 9. Qvod laborantes & onerati amore reficiuntur. 10. Qvòd fundamentum humilitatis fodiendum, qvo perveniatur ad faſtigium charitatis, ſeu conſpectum Dei viventis & videntis. 12. Qvod mutandum cor ut mutetur opus, ſicqve bona arbor bonos fructus faciat, qvi prius malus malos faciebat. 13. De difficultate ambulandi ſupra mare hujus ſeculi ſine adjutorio gratiæ Dei. 15. & 16. In illud: *Si peccaverit in te frater tuus.* De reconciliatione & correctione fraterna. 17. De vita beata. 18. Qvod Medicus noſter Chriſtus eſt, à qvo ſanari debet oculus cordis noſtri, unde videtur Deus, dummodo voce, qvæ in factis ſit, clamemus ad ipſum, qvamvis reluctante turba vitioſorum. 23. De decem virginibus, qvarum qvinqve poſt ſomnum mortis, ſcilicet reſurrectionem, non invenerunt oleum adulationum, qvibus priùs ardebant; aliæ invenerunt, qvia laudes humanas antè non qvæſierunt.

De

Digitized by Google

De verbis Domini in Lucam. 24. & 25. De Divite & Lazaro, ubi ad miſericordiæ opera adhortatur, 26 & 27. De meliori parte Mariæ, hoc eſt, de contemplatione. 29. De tribus panibus, intelligentia ſcilicet Trinitatis, ac de fide, ſpe & charitate, oppoſitis ſerpenti, ſcorpioni & lapidi, ſicut ipſis opponuntur piſcis, ovum & panis. 31. De humano genere pœnitentia indigente, ac ope divina erecto de terrenis ad cæleſtia. 32. Qvomodo per anguſtam portam pauci & multi intrant; & adhortatio ad hoſpitalitatem. 36. De oratione & fide, qvæ non eſt ſuperborum, ſed humilium.

De verbis Domini in Johannem. 39. De diligenti præparatione ad vitam ſine fine, reqviem ſine labore, deqve contemptu vitæ præſentis. 41. Qvod medicina tumoris hominis, humilitas eſt Chriſti. 42. De humilitate, ac de brevitate hujus vitæ. 43. De reſiſtendo concupiſcentiis & paſſionibus. 44. De tribus mortuis à Chriſto ſuſcitatis, qvibus ſignificantur tres diverſi generis peccatores, ac de conſvetudine mala. 46. De præparatione ad manducationem corporis Chriſti. 48. Qvid ſit in verbo Dei manere; & de vera libertate, qvæ eſt à peccato. 49. De paſtore, mercenario, deqve fure. 50. De bono paſtore. 53. Qvod majus bonum pudicitia conjugalis cum humilitate, qvàm integritas virginalis

nalis cum ſuperbiâ. 59. De prompta converſione ad Deum; & de veris amicis qvi charitate moleſti ſunt. 61. De eo qvod ſcriptum eſt: *Ipſe arguet mundum de peccato, de juſtitia & de judicio.* 64. De promiſſione ſummæ felicitatis qvæ in viſione Dei conſiſtit; ac de reſurrectione.

De verbis Apoſtoli. 2. De corpore & ſangvine Chriſti; & de verbis Apoſtoli; *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.* 3. De his verbis: *Spiritu ambulate, & concupiſcentias carnis ne perfeceritis.* 4. De iſtis: *Cum eſſemus in carne paſſiones peccatorum, qvæ per legẽ ſunt, operabantur in membris noſtris, &c.* 5. De iſtis: *Lex peccatum eſt? abſit, ſed peccatum non cognovi, niſi per legem, &c.* 6. De his verbis: *Ecce ego mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati,* ſeu de concupiſcentia carnis adverſus ſpiritum, & viceversâ 7. De verbis Apoſtoli: *Peto non infirmari in tribulationibus meis pro vobis*; ubi de dimenſionib⁹ crucis, longitud. latit. &c. & de libero arbitrio. 9. & 10. In illud: *Fidelis Sermo &c.* De amore Dei in peccatores. 11. De verbis Pſalmi 94. *Ploremus ante Dominum qvi fecit nos, &c.* ubi multa de gratia & libero arbitrio. 12. De lege qvæ ſpiritualis eſt & non carnalis. De pugna qvoqve inter carnem & ſpiritum. 13. De mortificatione paſſionum. 15. De verbis Apoſtoli: *Nos enim ſumus circumciſio* qvi

Digitized by Google

qvi ſpiritui Dei ſervimus. 16. In illud: *Si Deus pro nobis, qvis contra nos?* Item de juſtificatione, ac plura de fide, ſpe & charitate. 17. De amore juſtitiæ, & odio illicitarum delectationum. 18. De timore, & charitate. 20. De prædeſtinatione, & qvod incomprehenſibilia ſunt judicia Dei. 22. De diverſis oneribus, ſcilicet avaritiæ, pigritiæ &c. In illud; *Unusqvisq; onus ſuum portabit.* 23. De ſpe noſtra, qvæ Chriſtus eſt, per qvem ſalvi facti ſumus. 24. Qvid ſit tempus redimere. 25. De communicatione fraterna bonorum temporaliũ, ſeu de voluntaria paupertate. 27. De rectá fide. 30. Qvod non omni ſpiritui credendum. 32. Ut de dormientibus non contriſtemur, & de operibus miſericordiæ, qvibus mortui adjuvantur.

Ex libro 50. Homiliarum. 1. De vita vera, & diebus bonis. 5. In illud: *Argue, obſecra, increpa.* De correptione. 6. de diligendis inimicis. 11. de iis qvi converſionem de die in diem differunt. 12. Qvod diabolo reſiſtere debeamus; & accuſare, non excuſare peccata noſtra. 13. de converſione non procraſtinanda, ac de divitiis & eleemoſyna. 14. de ſancta ſecuritate, qvæ à Deo nobis confertur, dicente: *Capillus de capite veſtro non peribit.* 16. de reſurrectione Domini, & Cantico Alleluja, ſeu de laude divina, ac de vita qvam accepturi ſumus, qvæ oſtenditur nobis per

Chri-

Chriſti reſurrectionē. 17. de charitate qvæ cū fide perducit ad pacē. 20. de imitatione iñocentiæ infantiū, depoſita omni malitia. 24. & 25. de officio ſuperioris, & inferiorum. 27. de utilitate pœnitentiæ, ac generibus ejus. 33. Qvomodo cor & caro noſtra exultant in Deum vivum. 34. de humilitate juncta charitati, qva ingredimur per anguſtam portam, & viam qvæ eſt Chriſtus. 35. de prædictione temporum Chriſtianorum in divinis Scripturis, ac de continua Eccleſiæ militantis pugna contra diaboli tentationes & inſultus. 36. de Chriſti humilitate ex qvâ tanqvam è radice crevit Eccleſia, ſicut è radice arbor pulcherrima. 37. In illud: *Qvi amat animam ſuam, &c.* De vero amore ſui ipſius. 38. In illud: *Diliges proximum.* De amore proximi. 40. de fraterna concordia, & offenſionis relaxatione. 41. De verè pœnitentibus. 42. de Oratione Dominica. 50. de utilitate & neceſſitate veræ pœnitentiæ.

Ex ſermonibus de tempore. 39. 42. 43. 46. de charitate. 52. & 56. de Quadragesima. 57. 58. de pœnitentia. 64. 65. de jejunio. 126. de Oratione Dominica. 168. & 170. de dilectione inimicorum. 213. & 214. de timore Domini, & vera humilitate. 215. de nomine Chriſtiano.

Ex ſermonibus de diverſis. 47. de abnegatione ſui. 48. de Oratione Dominica. Hactenus D. Auguſt. opp. ſpiritualia. SE-

Digitized by Google

SEVERI SULPITII Dialogi de Virtutibus Religioſorum. *Ext. Tom. IV. Bibl. PP. Max. fol. 357. ſeqq. & ſcarſim.* *an. 420.*

BACHIARII Epiſtola ad *Januarium* de recipiendis lapſis; ſcriptum elegans, copioſum & efficax ad compaſſionem ergà pœnitentes excitandam. *Extat in Bibl. PP. Max. Tom. VI. fol. 1174. ſeqq.* *an. 430.*

THEODORETI Hiſtoria Religioſa, qvæ tum in tertio operum Tomo, tum inter vitas Patrum ab H. Roſvveido evulgatas habetur. *eod.*

Ejusdem *de Providentia* libri decem, maximè à ſexto, ubi divinam pronæam in adverſis pariter ac proſperis elucere oſtendit.

EUSEBII EMISSENI ſermo exhortatori⁹ contra vitia, it. contra inobedientiam. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. VI. fol. 686. ſeqq.* *eod. an.*

EUCHERII Lugdunenſis Liber formularum ſpiritualium, it. qvartus de qvæſtionibus Veteris & Novi Teſtamenti. *an. 440.*

Ejusdem *Epiſtola Paranetica* ad Valerianum de contemptu Mundi & prophanæ Philoſophiæ. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. VI. fol. 822.*

JOHANNIS CASSIANI opera omnia, præſertim Collationes PP. XXIV. ab Alardo Gazæo Commentariis egregiis illuſtratæ *, & In- *eod. an.*

* *Verum in Collatione XIII. de Protect. Dei, cavenda apprimè eſt Semipelagianorum hæreſis.*

reſis, quia de re conſulendus Proſperi liber contra Collatorem, Concilium item Arauſicanum II.[b] & P. Ciaconii obſervat. in Caſſian. ſed maxime Comment. Alardi Gazæi, ed. Atrebati, 1618. in fol.

& Inſtitutionum Libri XII. quos aliqvi de *Inſtitutis Renunciantium* inſcribendos duxêre; Alii verò Gennadio præeunte, ad h. m.

De habitu devotorum, & Orationum Pſalmorumq; modo lib. III.

Inſtitutionum lib. I.

De origine & remedio octo principalium vitiorum, lib. VIII. Extant etiam Tom. VII. Bibl. Max. PP. fol. 17.

an. 440. ISIDORI PELUSIOTÆ Epiſtolarum Libri pene omnes, perpetuo qvodam Laconiſmo contextæ, ſed doctrinæ utilitate refertiſſimæ. Cumprimis ex lib. III. petenda:

Epiſt. CCXVI. de muneris Paſtor. difficultate.

Epiſt. CCXXIII. ejusd. argumenti.

Epiſt. CCXXVIII. de multiplicibus inſidiis diaboli, & vigilantiâ ſui ipſius.

Epiſt. CCXLVIII. de Virtutum vitiorumqve in qvolibet homine mixturâ &c.

Epiſt. CCLIX. de difficultate correptionis.

Ex lib. IV. Epiſt. CXLV. & CCLIX. de munere paſtorali. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. VII. fol. 499. ſeqq.*

eod. PETRI CHRYSOLOGI Sermones varii, videl.

Digitized by Google

videl. de terrenorum curâ deſpicienda, de ferendis æqvo animo injuriis, de perſeverantia orationis, de remittendo fratri debito, & aliæ. *Ext. Tom. VII. Bibl. PP. Max. fol. 844. ſeqq.*

ISAACI SYRI de contemptu Mundi tractatus ampliſſimus. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. XI. fol. 1019.* *eod. an.*

NILI MONACHI Paræneſes ſeu admonitiones aſceticæ *, capita item de oratione ſeu ſententiæ breves, qvidqvid ad orationem pertinet complectentes; Liber aſceticus, deniqve de ſeptem vitiis capitalibus orationes octo **. *an. 445.*

PROSPERI AQVITANICI Liber de vitâ contemplativâ, ut & liber ſententiarum ex operibus B. Auguſtini excerptarum de Virtutibus & vitiis, item liber epigrammatum itidem de virtutibus & vitiis. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. VIII. fol. 1. ſeqq.* *an. 445.*

BASILII SELEUCIENSIS orationes, cumprimis XXVI. de officio boni paſtoris, XXVIII. de humilitate, & XXIX. de ſolatio peccatorum. *Ext. Tom. VIII. Bibl. PP. Max. fol. 428. ſeqq.* *an. 450.*

Y VALE-

* *Prodierunt Gr. & Lat. ſeorſim Franeqveræ 1608. cum notis Steph. Schoningii.*

** *Qvæ aliaq́; Nili devotiſſimi opuſcula exhibet Bibl. PP. Max. Tom. VII. fol. 1147. ſeqq. & Tom. XXVII. pag. 183. usq; ad p. 269.*

p. 269. ſeorſim ea cum ejusdem Nili epiſtolis Romæ Joſephus Suareſius ætate noſtra evulgavit.

an. 450. VALERIANI CEMELIENSIS Homiliæ variæ, de bono diſciplinæ, de arctâ & anguſtâ viâ, de promiſſis & non redditis, de oris inſolentia, de verbis otioſis, de bono pacis, de humilitate, de Martyrio, de avaritia, &c. *Ext. Tom. VIII. Bibl. PP. Max. fol. [illegible] 98 & ſeqq.*

an. 460. SALVIANI MASSILIENSIS libri octo de gubernatione Dei, ejusdemqve ſub nomine Timothei ad Eccleſiam libri IV. *in quibus de ſtatu Eccleſiæ ſui temporis ac de vi[illegible] pleriſſimum Clericorum graviter diſſeruit. Ext. To[illegible] XIII. Bibl. PP. Ma[illegible] f. 382. ſeqq.*

an. 495. GILDÆ SAPIENTIS acris & vehemens correptio in Clerum Britanniæ. *Ext. in Max. Bibl. PP. Tom. VIII. f. 707. ſeqq.*

an. 499. CÆSARII ARELATENS[illegible] ræqve, præſertim X. de fugiend[illegible] gitationibus, XI. de diligendis inimicis, XIII. XIV. & XVII. de pœnitentia. XV. [illegible] ptione. XVIII. exhortato[illegible] XX. de lectionibus divinis. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. VIII. f. 819.*

an. 500. FULGENTII RUSPENSIS Epiſtolæ inſignem ſpirantes pietatem, veluti III. de humilitate. IV. de oratione & compunctione cordis. V. de charitate. VI. de converſione à ſeculo, & VII. de pœnitentia, & futura retribu-

tributione. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. IX. fol.* 16.

FERRANDI DIACONI, ad Reginum Comitem Paræneticus, ut religioſè ſe gerat. *an.* 504.

SEVERINI BOETII lib. de conſolatione philoſophiæ. *an.* 520.

AGAPETI DIACONI Capita admonitoria ad Juſtinianum Imp. qvomodo ſe in Imperii [illegible]inistratione gerere debeat. Qvod opuſculum aliàs Scheda Regia nuncupatur. *Ext. Tom. IX. Bibl. PP. Max. fol.* 791.

M. AURELII CASSIODORI lib. de anima, [illegible] d. divinis lectionibus, & de amicitia ſeu [illegible]ctione Dei & proximi. *Ext. inter Opera Caſſiod. Genev. ed.* 1650. *pag.* 415. *&* 582. *ſeqq.* *an.* 560.

MARTINI DUMIENSIS, de qvatuor Virtutibus Cardinalibus Tractatus. it. Opu[illegible]. *Ext. in Bibl. PP. Max.* [illegible] 382. *ſeqq.* *eod. an.*

JOHANNIS CLIMACI Scala Paradiſi, [illegible] ejus operibus ed. Pariſ. 1633. *Ext.* [illegible] *Bibl. Max. PP. Tom. X. fol.* 35[illegible] *ſqq.* *eod. an.*

DOROTHEI ARCHIMANDRITÆ doctrinæ ſeu orationes, utpote de humilitate, conſcientia, divino timore, propria diffidentiâ, non judicando proximo, accuſatione ſui ipſius, ſimultate, mendacio, certo hominis ſcopo, mortificatione paſſionum, patientia, har- *eod. an.*

moniâ Virtutum, jejunio, inſtitutione fratrũ, &c. *Ext. Tom. V. Bibl. Max. fol. 902. ſeqq.*

an. 596. *GREGORII TURONENSIS*, lib. de gloria Confeſſorum, & vitâ SS. Patrum. *Ext. in Bibl. Max. PP. Tom. XI. fol. 831. ſeqq.*

an. 600. *GREGORII MAGNI* Moralia in Jobum, & liber de cura paſtorali. Ex libris epiſtolarum plurima etiam peti poſſunt pietatis adminicula, conf. lib. I. Epiſt. 5. 24. 25. 26. 38. lib. II. epiſt. 33. 39. 51. lib. IV. epiſt. 38. lib. V. epiſt. 62. lib. VI. epiſt. 4. 26. 27. lib. VII. epiſt. 3. 48. 127. lib. VIII. epiſt. 45. lib. IX. epiſt. 39. & 58. conf. opera Greg. ed. Antvverp. 1615.

an. 602. *HESYCHII PRESBYTERI* Hieroſol. de temperantia & Virtute, ſeu modo reluctandi & precandi centuriæ duæ.

an. 614. *ANTIOCHI MONACHI* Homiliæ cxxix. qvarũ præcipuæ ſunt ſeqq. 1. de fide, 2. de ſpe, 4. de edacitate. 5. de ebrietate, 8. 10. 13. de avaritia, 15. de odio Mundi. 16. de nimiâ loqvendi licentiâ. 17. & 18. de vitando mulierum colloqvio. 20. de caſtitate. 23. & 24. de irâ, 25. de triſtitia. 26. de acedia. 28. de murmuratione. 29. de detractione. 40. de calumnia. 49. de nemine contemnendo præter ſe ipſum. 60. de pudore & verecundia, 80. de concordia. 81. de correptione. 162. de importuna familiaritate. 106. de oratione. 107. de compunctione. 116. de patien-

Digitized by Google

tia in injuriis. 127. de timore Dei. 128. de charitate erga Deum. *Ext. Tom. XII. Bibl. Max. PP. fol. 292. ſeqq.*

JOH. MOSCHI Patrum ſpirituale. *Ext. inter vitas PP. à Herib. Roſvveydo edit. pag. 862. ſeqq.* an. 630.

ISIDORI HISPALENSIS Synonyma de Virtutibus & Vitiis, item de contemptu Mundi, it. norma vivendi; exhortatio ad pœnitentiam; Sententiarum libri tres, de Virtutibus & Vitiis, tertius maximè, item de conflictu virtutum & vitiorum liber. eod. an.

THALASSII AFRICANI, dicti humilis Monachi, de ſincerâ charitate, ac verâ cõtinentiâ, nec non & de regimine mentis hecatondes qvatuor, ſeu qvadringentæ ſententiæ breves, & aſceticæ. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. XII. fol. 337. ſeqq.* an. 640.

ESAIÆ ABBATIS præcepta ad fratres, de Virtutibus, de Mundi renunciatione, de gaudio animæ Deo ſervientis, de injuriarum oblivione, de pœnitentia, de operibus hominis novi, &c. an. 650.

MAXIMI Abbatis & Martyris Centuriæ IV. de charitate, de virtute & vitio Centuriæ qvinqve. Capita diverſa Theologica & Oeconomica. Liber aſceticus per interrog. & reſponſ. in Orat. Dominicam expoſitio *. an. 670.

* *Prodierunt opera Maximi omnia Gr. Lat. Pariſ.*

Pariſ. 1675. curâ Franciſci Combefis Dominicani.

an. 680. JULIANI TOLETANI Epiſcopi prognoſticon libri tres. *Ext. in Bibl. Max. PP. Tom XII. fol. 590.*

an. 720. BEDÆ VENERABILIS Loci Communes ex Scripturâ & SS. Patribus excerpti, it. Meditationes Paſſ. Dominicæ.

an. 731. JOH. DAMASCENI Parallelorum libri III. ſeu loci communes ex S. Scripturæ ſententiis collecti. Fragmentum ſentent. aſceticarum de octo paſſionibus. Evagrius, ſeu de octo vitioſis cogitationibus. Hiſtoria de Barlaam & Joſaphat, in qvâ præclara multa reperiuntur, licet eam Damaſceni fœtum eſſe multi, nec abs re dubiteat.

an. 800. ANTONII MELISSÆ Abbatis, libri duo locorum communium, ſeu ſententiarum ex variis PP. collectar. ad Virtutes aſſeqvendas, & fugienda vitia.

eod. an. ALCUINI vel ALBINI Præcept. Caroli M. liber de confeſſione peccatorũ, it. de Virtutibus & Vitiis, de animæ ratione, de Pſalmorum uſu, &c. Ex Epiſtolis huc facient. ſeqventes: 28. 29. 30. 32. 37. 45. 46. 47. 53. 67. 101. 102. 103. 105. 108. *

an. 820. THEODORI STUDITÆ Sermones Catechetici centum triginta qvatuor, de variis rebus

* *Albini ſeu Alcuini opera, Andreæ Querceтani curâ prodiere Pariſ. 1618.*

rebus ad pietatē chriſtianā conducentibus. *Ext. in Bibl. PP. Max. Tom. XIV. fol.* 830 *ſqq.*

RABANI MAURI liber de agone chriſtiano, it. de videndo Deo, de puritate cordis. de modo pœnitentiæ. de actuali & contemplativa vitâ, & principalibus Virtutibus. *an.* 855.

EULOGII Martyris Documentum Martyrii, ſeu exhortatio ad Confeſſores in carceribus propter fidem detentos, ut Martyrium alacriter ſubeant. *Extant in Bibl. PP. Max. Tom. XV. fol.* 242. *ſeqq.* *an.* 850.

HINCMARI REMENSIS lib. de vitiis cavendis & Virtutibus exercendis, ad Carolum Calvum. *Ext. opp. à Sirmondo an.* 1645. *edit. Tom. II. num.* 2. *an.* 860.

PETRI DAMIANI epiſtolæ ferè omnes ſalubérrimis refertæ ſunt documentis, maximè ſeqventes: Libri I. epiſt. 5. lib. II. ep. 1. 5. 11. 12. lib. IV. epiſt. 5. 6. 8. 9. 15. lib. V. epiſt. 2. 3. 4. lib. VI. epiſt. 19. lib. VII. epiſt. 6. 8. lib. VIII. ep. 1. 6. 8. 12. Nec minus ejusdem Damiani Sermones & Opuſcula alia apprimè à pietatis ſtudioſo legi merentur, cum ſpiritualibus deliciis & divitiis ubiqve abundent. *Edit. Pariſ.* 1663. *anno* 1060.

ANSELMI CANTUARIENSIS Proſologion, qvod Deus ſit & Summum Bonum ſit. De contemptu temporalium. & deſiderio æternorum. Speculum ſeu ſtimulus amoris. Dialogus de paſſione Chriſti. Meditationes *anno* 1080.

& al-

&alloqvia ſpiritualia. In tribus etiam Epiſtolarum libris inſignes paræneſes ad Virtutis chriſtianæ ſtudium repetiuntur. *

anno 1105. *PHILIPPI SOLITARII* Dioptra, ſive Regula rei chriſtianæ, qvatuor Dialogos complectens, inter animam & carnem ſibi invicem ſua mala exprobrantes, ſua bona prædicantes. *Ext. Tom. XXI. Bibl. PP. Max. fol. 553.*

anno 1119. *RUPERTI TUITIENSIS* liber de operibus Spiritus S. de meditatione mortis libri II, de ſeptem donis Spiritus Sancti. *Extant inter opp. Tuitienſ. ed. Colon. 1577.*

anno 1130. *BERNARDI CLARAVALLENSIS* Sermones ferè omnes de diverſis, Sermones it. in Canticum, præſertim III. IV. VI. VII. IX. X. XIII. XV. XVI. XX. XXII. XXIII. XXV. XXVII. XXIX. XXXII. XXXIV. XXXVI. XL. XLII. XLIII. XLIV. XLVI. XLIX. LI. LIV. LV. LVII. LXII. LXX. LXXV. LXXIX. LXXXVI.

Ex Opuſculis Bernardi huc potiſſimum pertinent ſeqventia: De converſione ad Clericos, de conſideratione ad Eugenium, de diligendo Deo, de gradibus humilitatis. Meditationes. it. de interiori domo, de conſcientia, de ordine vitæ. Formula vitæ honeſtæ, de amore Dei, de cordis & corporis munditia, de modo benè vivendi. Ex

* *Opera Anſelmi omnia, qvatuor Tomis comprehenſa, ſtudio Joh. Picardi prodière Colon. 1612.*

Digitized by Google

Ex epiſtolis evolvendæ ſeqq. Epiſt. 8. 9. 12. 23. 24. 35. 107. 110. 111. 113. 114. 140. & aliæ plurimæ, qvæ cum cæteris Maximi illius Doctoris operibus [in V. Tomos digeſtis] noviſſimè lucem aſpexêre Colon. ſtudio & labore Jacobi Merloni Horſtii, 1641.

HUGONIS de S. VICTORE † tract. de animæ medicinâ ſpirituali cum corporali cõparata, de arrha animæ, de laude charitatis, de modo orandi, de amore ſponſi ad ſponſam, de vanitate Mundi, de artificio meditandi, de arcæ myſteriæ deſcriptione, de arca morali; Eruditionis Didaſcalicæ liber *III.* & *IV.* item libri qvatuor miſcellaneorum. Deniqve de fructu carnis & ſpiritus, ubi de virtutibus & vitiis &c. *anno* 1130.

RICHARDI à S. VICTORE lib. de exterminatione mali, & promotione boni, de interioris hominis eruditione, de præparatione animi ad contemplationem, it. de contemplationis gratia, de meditatione noviſſimorum, de gradibus charitatis, nec non myſticæ & piæ in Pſalmos aliqvot enarrationes. *anno* 1130.

POTHONIS Presbyteri Prumienſis libri qvinqve de ſtatu domus Dei, item de magna domo Sapientiæ liber unus. *Ext. Tom. XXI. Bibl. Max. PP. fol. 489 ſeqq.* *anno* 1152.

PETRI MAURITII, dicti Venerabilis, Epi- *anno* 1154.

† *Hugonis hujus opera omnia tribus Tomis digeſta noviſſimè prodiêre Rothomagi 1648.*

Digitized by Google

ſtolæ. *Ext. Tomo eod. Bibl. PP. Max. fol. 636. ſeqq.*

LOTHARII DIACONI Opuſcul de contemptu Mundi ſive de miſeria conditionis humanæ, totum ex S. Scripturæ effatis contextum. *anno* 1190.

DAVIDIS de AUGUSTA ſive Auguſtani, Viri piiſſimi opuſcula ſpiritualia valdè utilia, utpote: de exterioris hominis reformatione, formula interioris hominis, & lib. de ſeptem proceſſibus Viri religioſi. *Extant in Bibl. PP. Max XXIII. Tom. fol. 867. & ſeorſim Colon. excuſa 1623.* *anno* 1200.

* * *

Plures conſignare Scriptores hieroſophicos superſedeo, temperamentum enim in hoc genere ſervandum, nec alii nunc memorandi fuère præter eos, qvos duodecim à Chriſto nato ſeculorum fœcunditas in publicam lucem eduxit. Eqvidem, ſi ætatum reliqvarum, & noſtræ cumprimis, Scriptores philotheos ſtatuiſſem recenſendos, nec qvenqvam præterire voluiſſem eorũ, qvi per ingenii oblationem Deo & Beatæ litarunt æternitati, commonefactionis termini longiſſimè excedendi, & vaſtæ molis opus adornandum fuiſſet. Qvod ſi aſſiduæ & diligenti præmemoratorum Scriptorum lectioni, cultores pietatis incubuerint, inqve imitandis iis, & in ſuccum ac ſangvinem convertendis o-

peram

peram poſuerint dili[illegible]tiorem, ſper[illegible] inde fructu neutiqvam excident, ſed maximo ſemper emolumento ſpirituali gaudebunt. Cæterum, ſum̃am Lectionis Sacræ neceſſitatem & utilitatem incomparabilem, pa[illegible]hinc annis, Felicibus Librorum Helluonibus JOHANNES PAULUS OLIVA peculiari qvâdam & memorabili diſſertatione parænetica (qvæ poſt impreſſam Commonefactionem XIV. primùm ad meas devenit manus) commendavit, ſciteq; admodum oſtendit, qvantum inde emolumenti vitiorum oſori & ſinceræ Vir[illegible] cultori accedere qveat. *Qvamobrem* (inqvit) *nulla nos occupatio ab utiliſſima exercitatione ſacras paginas volvendi unqvam avocet, utiq; cum Thomas quoq; Aqvinas vel in ipſa Theologia profeſſione à Caſſiano nunqvam oculos averterit, & Gregor. Naz. tantus Virtutis Magiſter, è Baſilii libris novos ardores con[illegible]. Quod ſi verò Divinarum Literarum [illegible] voluminum Lectio eas in nobis ſacri [illegible] flammas non excitat, id non aliunde pr[illegible]citur, quam quod antequam legamus, ad precandum nos non conferimus, nec animos noſtros ad concipienda Evangelici ardoris beatiſſima incendia, profuſis ante copioſis lacrymarũ imbribus, præparamus.*

Joh. P. Olivæ Exhortat. Domeſt. ſive Allocutiones ad ſuos, Jacobo Boſchio interprete ed. 1678. part. III. Exhort. XXVI. p. 60. ſeqq.

Noset Lector B. ſubſeqventes Commonefactiones, juxta ſeriem Commentationum noſtrarum de VITIIS Literat. ſive materiarum in priori noſtro opere Theoſophico pertractatarum conſcriptas fuiſſe.

COM-

by Google

COMMONEFACTIO XV.

LITERATUS ATHEUS NOVA CURA DETECTUS ET DEIECTUS,

SIVE

ANTI-THEISMI, APUD ERUDITOS QVOSDAM NIMIOPERE REGNANTIS ARCANUM PECULIARE REVELATUM,

Ad Commentat. I. num. IV. & V.

I.

QVantumvis nefandiſſimi ATHEISMI probrum, enorme adeò ſit & execrabile, ut nullus unqvam Sapiens eo ſorduerit, rariqve admodum (Magno Aurelio notante) ſint inventi tantæ impietatis, ut eandem cum *inſipientibus* (à VateRegio notatis) inflare tibiam, & plenis atheiſmũ velis introducere contenderint; qvin imò ex eodem Doctore auguſtiſſimo conſtet, * IMPIETATEM æqve ac PIE-

* Auguſt. Serm. X. de verbis Domini: *Inſa-*

nia

infauſti & ATHEI nuncupamur? Et quis magis rectius horum feret invidiam nominum, qvam qvi aliũ præ hoc Deum, aut novit, aut ſciſcitatur, aut credit? Pauloqve poſt ſanctè optat Orbem totum in unius ſpeciem contrahi, ut in humani generis univerſi audientiâ agere, & Chriſtianos, DEum verum non agnoſcere modo; qvod etiam dæmones faciunt, ſed etiam piè & religiosè venerari, oſtendere poſſet. Plenè item ac fortiter Athenag[or]as initio ferè legationis pro Chriſtianis, diſpellens primum caput calumniarum in illos intortarum, nempe qvod Chriſtiani & impij eſſent & Athei, demonſtravit, calumniam eam nulla prorſus niti veri ſimilitudine, & eſſe planè iniqvam, ſiqvidem omnis chriſtianorum [...]o Deum celebret, eumqve aſſiduis obſeqvijs freqvẽtet. Undecunq; verò Ethnici ἀθεότητο crimen Chriſtianis affricuerint, mirũ adeò nõ fuit, infami iſto titulo iñocuos dehoneſtatos fuiſſe, ſiqvidẽ calumniatorũ genus nullo non tempore id tulerit, atq; per gravisſimã injuriã optimos etiã partiũ orthodoxarũ promachos & anteſignanos, atheiſmi ſive directi [ut vocant] ſive indirecti probro duxerit exagitandos. Optandum eqvidem foret, ut pari fidentiâ animi qvidam non infimi ſubſelli VIRI ERUDITI agere, & impactum ſibi Atheiſmi execrabilis crimen (muro freti conſcientiæ aheneo) à ſe æqve feliciter huc

usq;

uſq; potuiſſent amoliri. At enimverò, non præter rem homines qvoſdam eruditiſſimos, atheiſmi nomine, ipſis fidei & profeſſionis ſuæ ſociis ſuſpectos fuiſſe, notius eſt qvam ut prolixiori id egeat commonefactione.

II. Tantum profectò abeſt, ut infeliciſſimorum qvorundam, & impietate ſeu atheiſmo peſſimè ſordentium Doctorum periculis & caſibus, cautiores melioresqve evaſerint profani qvidam ævi noſtri literiones, ut potius de pietate penitus conculcandâ ſecum agitare conſilia, atqve nobiliſſimas ingenii ſui, doctrinæqve multijugæ copias ad fidei & religionis excidium ſceleratiſſimè adhibere, ipſiq; adeò SS. Numini Cyclopico more bellum indicere haudqvaqvam ſint veriti. Hoc ſcil. noviſſimum illud eſt τῦ μυριοτέχνυ inventum, hic neqvitiæ extremæ apex, hic portus eſt, hic ſcopus, hęc cynoſura, hic terminus, qvò Satanas, cùm Vaninum aliosqve atheos literatos, h. e. extremæ perditionis filios ſuſcitaret, potiſſimum collimavit, & qvod adprimè notandum, eos ad hoc impietatis faſtigium non VOLANDO, ſed gradatim ADSCENDENDO pervenire voluit. Nã ſi in tantâ Veritatis revelatæ luce ſubitò prorupiſſent agmina Doctorum ejuſmodi maleferiatorum, qvi chriſtianam fidem nugis, & Scripturæ Sacræ oracula fabulis pudendis duxiſſent accenſenda, aures forſitan

nullas

Digitized by Google

nullas inveniſſent, qvæ execrabiles adeò blaſphemias tolerarent. Dum verò de gradu in gradum adſcendendo, conatui ſuo anti-theiſtico fuit velificatus, intra annos non ita multos, ſtupenda vidit neqvitiæ ſuæ incrementa, & qvod voluit, tantum non undiqve, irreparabili pietatis damno ac detrimento obtinuit. Minus forſitan ætate noſtrâ profeciſſet infernalis zizaniorum atheiſticorum diſſeminator, ſi in Literatorum cœtu plures à kenodoxis & paradoxis vocibus ac ſententiis abhorrentes, qvoſdam minus curioſos & minus otioſos inveniſſet. Senſim ſemper eorum pectora occupavit miſereqve decepit, qvorum mentes ad ſacra peragenda vidit remiſſiores. Teporem indies creſcentem, tandem frigus excipere ſolet intenſiſſimum. Initiis tantum, initiis opus eſt diabolo, id ſi nactus ad lubitum fuerit, omnia ſibi ipſe ſuopte ingenio veſtigat, perficit & amplificat. Si obtineat, ut Literati naſutiores modica ſpernant, omni id deinceps agit ſtudio, ut in extremæ ἀπιςίας barathrum, ſummæq; neqvitiæ abyſſum tandem eos deturbet. Opportunè huc veniet Dorotheus, elati cujuſdam ſcioli genium reprehendens, qvi cum aliqvid præclari de qvodam ſui ævi Doctore inaudiviſſet, id ipſum temerè duxit explodendum, dicens: *Qvis eſt ille? Non eſt qvi momenti alicujus ſit niſi Zoſimas, poſtea hunc qvoq; contemſit, mox & Ma-*

carium, Baſilium, & Gregorium, neminem
quicquam valere dictitans, niſi Petrum & Pau-
lum, verum deinceps ipſos ſprevit Apoſtolos,
deniq; adverſus Deum criſtas erigendo, eumq;
vilipendendo, in extrema perditionis lacum de-
venit. Conſimilis profectò calamitatis ba-
rathrum, omnes illi ſubeunt literati procaces,
qvi ſummorum & θεοπνεύστων etiam Docto-
rum effata ſuis ratiociniis accommodare, &
curioſæ novitatis (pudendæ elationi ſocia-
tæ) glaucomate penitus occæcati, ipſam The-
ologiam, ipſamqve Scripturam Sacram, ſe-
cundum philoſophica, & obſcuratæ pluri-
mumqve exerrantis ſuæ rationis dogmata fle-
ctere conantur, omnem tandem explodentes
authoritatem, nec cæleſtibus oraculis fidem
ullam tribuentes, ſuoqve duntaxat, uti viven-
tes, ita credentes nutu & arbitrio.

III. Hoc ipſo probro Patrum noſtrorum memoriâ infamatus fuit qvidã NATALIS JORNETUS (qvi teſte Genebrardo, in Metenſi civitate librum conſcripſit adverſus Patriarchas Prophetas & Apoſtolos, qvos ſceleſtus ille propudioſo *impoſtorum* titulo ubiqve traduxit,) nec non perſonatus ille Simon, cujus fœtus infamis, anno ævi ſuperioris octuageſimo octavo lucem aſpexit publicam, ſub titulo: *Simonis Religio, incerto authore:* Legas in eo libro, æternis flammis digniſſimo, hoc extremæ ἀπιστίας documentum: *Simon in*

libro

libro Vilnæ divulgato, ut doceat ſuæ religionis fundamenta, non vult DEum eſſe animum, aut mentem, ſive intelligentiam, non motorem, ut peripatetici tradunt, ſed qvendam calorem. Quamobrem ait, Cælum veneramur ac terram, illud quia ſit genitor, iſtam qvia omnium mater. Et concludit author: *Hoc eſt ergò ſymbolum Simonis Theodorianum. Credo in tria; in cælum, in terram, & in cæli formam. In cælum patrem atqve creatorem omnium: in terram, rerum omnium matrem atqve nutricem; & in cæli formam omnia ſentientem & intelligentem. Ede itaqve ait, bibe lude, jam Deus figmẽtum eſt.* Mox paulò ſignatius animi ſui ſenſa explicaturus pſeudo-Simon ille, addere non dubitavit ſeqventia: *Cælum genitoris loco, terram autem matris rerum omnium materiatarũ veneramur? Non motrix intelligentia, ſed vivificus calor eſt cæli forma, & cauſa perficiens cæli calorem, ne cum Hippocrate libro de carnibus, vocem omnia intelligentem ac ſcientem præterita & futura admittam, religione ipſa impedior. Hoc tamen dicentibus qvod Hippocrates dixit, non repugnabo.* Sed & Gaſparum qvendã Franckeniũ memorant ejuſdẽ planè neqvitiæ arcem occupaſſe, qvamprimum peragrata Germania, Hungaria Flandriaqve in Poloniam deveniſſet; Theſes qvippe illum Cracoviæ edidiſſe conſtat, qvarum hæc ſumã: *Nihil eſſe, nec qvicqvam excogitari potuiſſe, ra-*

Digitized by

tioni humanæ, communiqve ſenſui magis adverſarium & contrarium, qvam id qvod in univerſum Fides Chriſtiana doceat, &c. Cui blaſphemiæ valdè confinia eructavit FRANCISCUS ille DAVIDIS Claudiopolitanus, diſertè aſſerendo, Religionem Chriſtianam tantum ad excidium Hieroſolymitanum uſqve perduraſſe, nec locum niſi ex parte habuiſſe in Orbe, aut habituram eſſe, donec ipſa Hieroſolyma inſtauratâ, Meſſias in hoc Mundo & ſupercarnali populo juſtiſſimè ſit regnaturus. Ad hunc ſcilicet modum humani generis hoſtis miſeris SENSIM eripere ſolet veritatis cœlitus revelatæ decus, fideiqve & religionis nō maculat ſolùm, ſed penitus auffert integritatem, ut qvicqvid pij ac ingenui ex divino favore ſuperfuit, tandem exibiletur, ſuffocetur, ac nefandâ penitus incredulitate commutetur. Hinc eſt, qvod apud Anglos ATHEISMUS (teſte Andreâ qvodam Philopatro Presbytero) pudendas adeò egerit radices, ut etiam ejuſce neqvitiæ alicubi profeſſores extiterint. *Si Gualteri qvoqve Raulei* (verba modo laudati ſcriptoris adſcribo notatu digniſſima) *ſchola frequens, de* ATHEISMO *paulò longius proceſſerit, (qvam modo ita notam, & publicam ſuis in ædibus habere dicitur, Aſtronomo qvodam Necromanteo præceptore, ut juventutis nobilioris, non exigua turmæ, tam Moyſis legem veterem, qvam novam Chriſti*

Domi-

Domini inſulſis qvibusdam facetijs, ac dicterijs eludere, ac in circulis ſuis irridere didicerunt) ſi hæc inqvam ſchola radices ac robur cœperit, & ipſe Rauleus in Senatum delectus fuerit, quo Reipublicæ qvoqve negotijs præſideat, qvid erit expectandum aliud, niſi ut aliqvando edictum aliqvod a magno illo atq́; epicureo Raulei præceptore conſcriptum & evulgatum cernamus, qvo planè omnis divinitas, omnis animæ immortalitas, & alterius vitæ expectatio, dilucidè, clarè, breviter & citra ambages tollatur, & læſæ Majeſtatis accuſentur, tanqvam Reip. perturbatores, qvi contra iſtiuſmodi doctrinam tam placidam, & ſeſe in carnis vitijs volutantibus hominibus ſvavem, ſcrupulos cuiqvam, aut moleſtias moveant.

IV. Qvantoperè hoc ipſo in luto (qvo nullum in Dei conſpectu eſt abominabilius) ætate noſtrâ, præter Pſeudo-philoſophos, profanoſqve illos myſteriorum cœleſtium rimatores, hæſerint PSEUDO-POLITICORUM ſeu Machiavelliſtarum filij, omnem religionem genio ſuo, atqve deteſtandis pectoris ſui cacodoxi figmentis accomodantes, non eſt qvod oſtendamus prolixius, ſiquidem plurimam alibi magiſtrorum ejusmodi nugivendulorum fecerimus mentionem, & portentoſa eorundẽ axiomata ſimus deteſtati. Silentij autem peplo nunc minimè involvenda putamus, alibi prætermiſſa verba Innoçentij

Gẽtiletti, de peſſimis miſerorũ illorũ technis, & artibus ad univerſam religionẽ extingvendam inſtitutis, qvæ ita ſonant: *Infeliciſſima vel hoc uno nomine noſtra eſt atas, qvod talibus Atheorum monſtris infeſta atqve infamis, uſqve adeò impietate & Dei contempu infecta eſt, eoqve apud aulicos gratioſior ſit. Quippe aulico ſermõis genere ejuſcemodi alaſtores, ſtrenui viri, alacres & obſeqventes vocantur. Quod excuſſa omni pietate, & lectis Machiavelli libris, nulla religione impediuntur, qvo minus qvidvis audeant. Jubere veneno aliquem aggredi, aut jugulare, venena ſpargere, & ſicas diſtringere didicerunt.* O qvam literato nomini inglorium, qvam deteſtandum, qvam toto lachrymarum Oceano deplorandum, ipſos humanitatis & politioris doctrinæ ſtudioſos, ad barbara adeò, profanaqve abripi cogitata & facinora; cæterum abſqve Dei timore, abſqve pietatis & devotionis exercitijs, abſqve virtutum ſemente aut meſſe, qvaſi terræ filios, terræ inſcriptos, mundo addictos, carni & vanitati ſubſervientes, vertiginoſa atqve incertâ planè vagatione circumagi; eqvidem, ſi ita ſentire ac docere cacodoxi illi politici perrexerint, veteri diverbio: *Erudito homine eſſe pejorem*; fides ſua magis magiſqve conſtabit, nec facilè commune illud opprobrium à Muſarum ſedibus, & ſtudioſorum [etiam politiorum] cœtibus auferetur.

Gentill. in comment. de Regno rectè administrando, advers⁹ Nicolaũ Machiavell.

V. Non

V. Non abs re magnꝰ qvidam ætatis noſtræ Theologus fuit conqveſtus, jam pridem præclarũ illud & nunqvã ſine honoris præfamine nominandũ Studiosorum nomen, in tanto apud pleroſqve (etiam minimè malos,) contemptu verſari, ut cultores literarum pari exiſtimationis ac reverentiæ gradu apud ipſos ſint, qvo Pantomimi, & ſcurræ urbani, aut Libertini atq; Epicuræi, aut manipularii qvidã milites, graſſatores itẽ nocturni, & infelices humani generis alaſtores; *Putant enim* (addit notanter) *inertes & maleferiatos plurimos ad hoc ſtudiis eſſe initiatos, ut ingenioſè neqviores ſint, ut majori cum decore & lepore vanitatem & ſtultitiam ſuam, ſapientia larvâ tectam Mundo propinent; ut parentum bona magno labore, frugalitate & parſimonia olim benè parta qvam breviſſimo tempore abligur iant; qvippe qvi jam omnem religionem, omnem humanitatem ejurarint, factiq; ſint non ex belluis homines, ſed ex hominibus belluæ, aut ſocii Elpenoris, Epicuri de grege porci, neſcio qvibus Circais poculis faſcinati.* Etſi verò meum non ſit definire, qvo jure vel injuriâ nonnulli in ſiniſtram adeò de literarum cultoribus opinionem ſint delati, nec inſtituti præſentis ratio ferat, ulterius & ex profeſſo

illa conſectari; non poſtremam tamen culpæ portioné in malitioſos illos placitorũ pſeudo-politicorum aſſertores eſſe conjiciendam exiſtimo, qvi jugum omne (ut Scriptura loqvitur) perfregêre, & pietatis pariter ac honeſtatis ſepta omnia duxere perrumpenda. Neſcio tamen, utrum maleferiati iſti, in diſſeminando propagandoqve peſtifero atheiſmo, dæmoni operam acceptabiliorem præſtiterint præ turgidis illis atqve arrogantibus doxoſophis, qvi ſupra qvoſcunqve ſapere, & ſuos ingenii abortientis fungos, tot illuſtrium ingeniorum fœtibus anteferre non dubitant. Nonne ejus farinæ homines tandem planè atheos fieri neceſſe eſt, qvi cerebri ſui figmenta omnium ſapientiorum placitis, ipſiusqve veritatis cælitus revelatæ aſſertis ducunt anteponenda? Et qvam judicii inopiæ qvidam adſcripſêre aberrationem à regia viâ, ac ſemitarum erroris initionem, ex qvâ ſcil. efficiatur, ut abalienati à veritate, gerras ſuas pro pretioſis mercibus habeant, auſintqve ſenſa qvævis fanatica divinis oraculis anteferre; eam ipſam aberrationem haud abs re palmariam *Atheiſmi* (magis magisqve invaleſcentis) cauſam, maliq; illi⁹ nefandiſſimi radicem nuncupaverim⁹. Qvicunq; hacten⁹ ſenſui ſuo ſupra juſtũ addicti, ſibi de proprii ingenii inventis unicè placuêre, antiqva omnia abiicientes, illi patentiſſimas erroribus feneſtras non

non min⁹ aperuêre, qvam execrandi atheiſmi apoſtolos ſive propagatores, diabolico egêre inſtinctu, incautiores decepêre plurimos, & unà cum iisdem extremi exitii aleam ſubiêre.

VI. Exemplo ſint(poſt miſeros & infelices illos,qvorum in primâ noſtrâ de *impietate Literatorum* Commentatione multam fecimus mentionem) GVILELMUS POSTELLUS & BENEDICTUS SPINOSA, Viri magno eqvidem ingenio præditi, aſt majores futuri,ſi minores eſſe voluiſſent, nec non intra juſtos ſeſe continuiſſent terminos, & qvæ probè conſtituta repererant,non deſpuentes, notam temeratæ,imò conculcatæ pietatis declinaſſent. POSTELLUM,tanta peritiæ & omnigenæ doctrinæ famâ olim claruiſſe ferunt, tantoqve plauſu auditum fuiſſe, ut maximi ævi illius Viri mirati ſint, talem verſari in Orbe Doctorem, cujus qvot verba, tot viderentur oracula. Qvid, qvod plerisq; perſvaſum fuerit, eum nulla non Naturæ arcana, ſive proprii ingenii præſtantiâ penetraſſe, ſive ab exteris (qvos freqventarit) edoctum eximiè calluiſſe : Qvamprimum verò ingenti confidentiâ ſui ad qvidlibet audendum eſſet projectus, non ſolum inconcuſſorum fidei mysteriorum firmitatem indigna vacillatione abrogare, verum DEISTARUM (qvi Merſenno referente,Deum absqve providentiâ & *Merſ. Comment. in Gen. p. 1830.*

juſtitia fingunt, & cuncta de rebus divinis in Sacro Codice tradita fabulis accenſenda exiſtimant) fuliginem ſibi affricare non dubitavit, dictus propterea à Leone Allatio homo neqviſſimus, violatæ fidei reus, qvi ſecundo judicio condemnatus relegatusqve fuerit; qvemadmodum & Franciſcus Baco Verulamius eundem Poſtellum ob corruptos ſuos de rebus divinis ſenſus, *virum capite motum, & non integræ omninò phantaſiæ, atqve hæretica labe aſperſum*; author verò hiſtoriarum Gallicanæ Eccleſiæ diſertè eum novæ hæreſeos DEISTARUM parentem nuncupavit. Et qvamvis Scævola Sammarthanus, ille magni nominis elogiographus, in Poſtellum incidens, nullam admiſſæ ab eo hæreſeos mentionē fecerit, admodū nigris tamē coloribꝰ eum duxit depingendū; *ſcil. qvod neſcio cujus mulierculæ præſtigiis faſcinatus, abſurda qvædā & impia de Religione commentus ſit, qvæ deinde Lutetiæ frequenti auditorum turbâ publicarit, cum ſe morte obita revocatum ad ſuperos, & juvenili ætati reſtitutum ineptè mentiretur.* Nec Theophilus Raynaudus inficiari potuit, authorem laudatæ illius hiſtoriæ Gallicano-eccleſiaſticæ *de Poſtello Deiſtarum parente* veritati apprimè conſentanea tradidiſſe; *eorum nimirum* (uti notanter addidit) *Deiſtarum, qvi Deum unum admittere contenti, cætera chriſtiana myſteria pro fabulis habeant.*

Leo Allat. Animadverſ. in Antiqvit. Etruſc. fragm. n. CXIV. p. 248.

Fr. B. Verulamius in vit. & mortis hiſtor. p. 154.

Scæv. Sam̃arth. Elogior. lib. III. p. 138.

Rayn. Tom. XII. opp. p. 231.

Qvo

Qvo minus (pergit Raynaudus) *planè calumnioſum videatur, qvod Calviniana hiſtoria de Poſtello iſtiuſmodi Deiſtarum authore prodit, facit, qvod errones omninò multi, & qvi in fortium ingeniorum acie volunt audire fortiſſimi, priusqvam fumus è concupiſcentiarum igne ſubvectus eos planè obtenebraverit, & ad omnimodam Numinis inficiationem adduxerit, proludant* ATHEISMO *pleno, ea præexercitatione, abrogandi præter unum Deum, myſteria fidei omnia &c.* Senſui nimirum ſuo (uti diximus) plus juſto mancipati ejus farinæ errones, ſibiqve de proprii ingenii commentis unicè placentes, & antiqva omnia abjicientes, patentiſſimas nefandæ incredulitati feneſtras aperuêre, & neqviſſimos tandem atheiſmi egêre apoſtolos.

VII. Qvod ipſum, poſt gerrones cæteros, exemplo ſuo triſtiſſimo noviſſimè docuit BENEDICTUS ille SPINOSA, infamis libri (qvi ſub titulo Tractat⁹ Theologico-politici *de libertate philoſophandi*, in Belgio prodiit) irreligioſiſſimus author; qvippe qvi ſtupendâ planè fidentia ſui faſcinatus, eo progreſſus impudentiæ ac impietatis fuit, *ut Prophetiam dependiſſe dixerit à fallaci imaginatione Prophetarum, eosqve pariter ac Apoſtolos non ex revelatione & divino mandato ſcripſiſſe, ſed tantum ex ipſorummet naturali judicio, accomodaviſſe inſuper religionem qvoad fieri potuerit,*

rit hominum ſui temporis ingenio, illamqve fundamentis tum temporis maximè notis & acceptis ſuperædificaſſe. Scitè admodum Belgarum eruditiſſimi, qvi magno niſu ad deteſtabilis illius libri refutationem ſeſe accinxêre, atqve ſtricturas ſuas ant-atheiſticas non ſine aliqvo Rei ſacro-chriſtianæ emolumento emisêre in publicum, (cumprimis doctiſſimi illi Duumviri, FRANCISCUS CUPERUS, Amſtelodamenſis, * & REGNERUS à MANSVELT, Profeſſor Trajectinus) obſervarunt, inde potiſſimum opinionum adeò execrabilium originem & incrementa (imò excremena potius) eſſe arceſſenda, qvod ingenia nonnullo acumine pollentia, ſibiqve nimium indulgentia, & proprijs unice confiſa viribus, Theologiam peſſimis ſuis ratiocinijs accomodare, & ſecundum philoſophica, ac obſcuratæ aberrantiſqve rationis dogmata flectere ut plurimum conentur. *Ex denſiſſimis* (ita præclarè Manſveldius ſub refutationis ſuæ initium ſcribit) *cerebri ſui tenebris añonymus ille* [h. e. B. Sp.] *tractatum edidit, ad æternas potius tenebras condemnandum TEOLOGICO-POLITICUM, quaſi* cum

* *Conf. Cuperi Arcana Atheiſmi revelata adverſus Tractat. Theologico-Politic. &c edita Roterod.* 1676. *et Regneri à Manſvelt librum ſingularem adverſus eundem edit. Amſtel.* 1674.

Digitized by Google

cum recentioribus philoſophis demonſtraturus, quam neceſſario evitanda ſit, omnis Theologiæ & Philoſophię miſtura. Cum interim non alium in finem editus videatur ille tractatus, quā ut clariſſimo & ſplendidiſſimo veritatis lumini divina gratia ſplendenti craſſiſſimas nubes & tenebras obduceret. Alius fuerit auctoris animus, hic eſt inſeparabilis hujus operis effectus, niſi omnis generis erronea ejus ratiocinia, manifeſtiſſimè demonſtrentur. Quis ſit auctor hujus tractatus nec ſcio, nec ſcire deſidero, imò malim eum nunquam fuiſſe, quam extitiſſe & noſci. Non ipſum tamen, ſed ejus errores oppugnare, vel potius ad veritatis normam reducere propoſui, ſpecioſa ſunt quæ prætendit, & promittit, --- imò quaſi divino Spiritu & impulſu hæc perſcripſiſſet, dictum illud Apoſtoli Johannis, epiſtola primâ, capite quarto, comate tertio & decimo nefandi ſui tractatûs fronti inſcripſit : PER HOC COGNOSCIMUS QUOD IN DEO MANEMUS, ET DEUS MANET IN NOBIS, QUOD DE SPIRITU SUO DEDIT NOBIS ; cum interim per omnem tractatum ſuum ita ſe gerat, ut potius ab eodem mendacij ſpiritu, quo Achabi prophetæ 1. Reg. XXII. 22. 23. & ſpiritu erroris ab Apoſtolo 1. Joh. IV. 6. oppoſito ſpiritui veritatis ductus videatur. Nam volente Deo, ſperamus nos apertiſſimè demonſtraturos, quod abſurdiſſima confuſione Deum cū creatura, &

ſpiri-

ſpiritum cum corpore confundat; atque ita jam ab initio aberrans a veritatis tramite, pietatem qvantũ ab ullo fieri potuit, enervet, pro philoſophandi libertate, omnis generis erroris fovendi, defendendi & propagandi profanam licentiam propugnet, & denique talia ſtruat fundamenta, qvibus ſemel admiſſis, omnem reipublicæ pacem everti plane neceſſarium eſt. Non enim quæ vera ſunt præjudicia, ſed manifeſtas veritates circa Religionem & Scripturam ac ſummarum Poteſtatum jus, apertiſſimo errore tanqvam præjudicia rejicit. Nimirum pudendo φιλαυτίας glaucomate miſerrimè faſcinatus Spinoſa, cuncta anteceſſorũ ſuorũ effata procaciter adeo repudiavit, ut deteſtandæ ἀθεότητος probrum, ſummorum Virorum judicio incurrerit, qvantiq; ponderis graviſſima illa D. Aug. ſententia ſit, clariſſimè demonſtrarit; *qvod ſc. acutiſſima & excellentiſſima ingenia tanto in majores ut plurimum errores iverint, qvanto præſidentius tanqvam* SUIS VIRIBUS *cucurrerunt.* Et qvo mortaliũ malè-doctorum & male-coctorũ pectora cogat peſtilens ille halitꝰ, Vir præclariſs: & eruditiſs: Dn. T. Winklerus, documento memorabili in literis ad me Amſtelodami die 3. Aug. ſuperioris anni ſcriptis dedit demonſtratum: h. m. *Dum in eo ſum, ut de profana ſcientia in ſacris abuſu qverar, non poſſum non meminiſſe neqviſſimi libelli, qvi non ita pridem hic*

Auguſt. ep. LII.

Digitized by Google

hic prodiit, authore qvodam Beverlando: Inſcribitur is de peccato originis κατ' ἐξοχὴν *ita dicto. Author in eo eſt, ut peccatum primorum hominum Gen.* III. *figuratè & allegoricè tantum deſcribi oſtendat, ſtatuitqve eſum fructus vetiti exponendum eſſe de congreſſu cum Eva, qvod ut probet, impura omnia ex Martiale, Petronio, Plauto, cæterisqve veterum ſcriptoribus dicta collegit, eaqve ad iſtum locum & aliqva Cantici Canticorum applicavit, eo modo, ut non videar mihi vidiſſe librum ullum flammis ultricibus digniorem. Non eſt hæc inſania nova; memini enim me vidiſſe in Gallia, qvi eâdem opinione tenerentur. Sed hic Beverlandus in eo cæteros exſuperat malitia, qvod cum vidiſſet contextus Sacri* συνάφειαν *ſententiæ ſuæ repugnare, eo delapſus ſit, ut omnem Scripturam Veteris Teſt. paſſim à Judæis & aliis corruptam, tranſpoſitam, defiguratam, & tantum non omninò tranſmutatam ſtatuerit, cui opinioni fulciendæ adduxit, qvæ undiq; ex Spinoſâ ejusdemqve farinæ ſcriptoribus aliis corradere potuit.*

VIII. Periculis itaqve & caſibus Literatorum extremè adeò infelicium, edocti philomuſi cæteri, ſapiant rectius, & intelligant, ne altiora ſe ſcrutantes, & nullos non monſtroſarum opinionum fœtus adoptantes foventesqve, non ipſi ſolum in profundiſſimum atheiſmi barathrum incidant, verum etiam

jam cæteros ad ejuſdem perditionis umbilicum perducant. Cæterum, cane pejus & angue fugiant INANIS captationem GLORIÆ, & laureolæ è qvovis muſtaceo pudendam conſectationem. Nihil proclivius, qvam ut nominis & gloriæ aucupatio hominem evanidū, & judicio non ſatis bene firmatum, ad qvidvis novandum aut negandūm rejiciendumqve impellat, imò tantopere faſcinet, ut ſe ſolum cunctis præſtantiorem exiſtimet, cupiens audire ingenii miraculum, omniumqve ſermonibus celebrari. Non malè Raynaudus in ejusmodi animalia gloriæ idem cadere exiſtimavit, qvod de Dionyſio à S. Chryſoſtomo (licet alio planè ſenſu) dictum ſit, AVIS COELI EST; humi non repit, init itinera non trita, non ſicut vitula Ephraim docta diligere trituram. *Agitantur qvippe* (addit Raynaudus) *hæc popularis auræ vilia mancipia, diſturbandis veteribus placitis nata, illomet fanatico cupiditatis gloriæ æſtro, qvod corripuit, & æternâ infamiâ multavit Templi Epheſini everſorem. Qvod enim non haberet unde celebritatem nominis abs ſe captatam colligeret, qvæſivit ſubſidium à ſcelere, redacta propè momento in favillas ac buſtum fabricâ toto Orbe mirabili, qvam labor totius Aſiæ, per annos ducentos viginti, impenſis propè immenſis, erexerat. Stupor portentoſus, per improvidam ſtuporati boni aucupationem tantum*

Rayn. Tom. VI. opp. p. 466.

ariis

artis miraculum peſſumdedit. Hand aliter vanum ſtudium diffundendi nominis dementat aliqvos, diſturbatione eorum, qvæ ab anterioribus fuerint conſtituta, adſpirantes ad gloriam. Et qvod in ævi ſui erronibus Nazianzenus reprehendit, ſignatimqve in Eunomio Baſilius notavit, ſcil. qvod inſano gloriæ amore correpti, ad novandum proruperint; id ipſum in nobilioribus qvibuſdam, ſed pruriginoſis valdè ætatis noſtræ ingeniis, Theoſophi doctiſſimi pariter ac prudentiſſimi ſunt deteſtati, ſcil. qvod illa æqve pernicioſos ſibi aliisqve cuderint errores, nec rarò in profundiſſimũ atheiſmi barathrũ, (eò qvod magiſtrorũ ſuorũ veſtigiis inhærere noluiſſent,) ſint deturbata. Nec injuria cum præfato ſcriptore dixerim, inflatos ejuſmodi utres Babilonicæ Turris ſtructorib⁹ eſſe ſimiles: Ut enim ſibi facerent nomen, univerſæ terræ labũ ſuccenſente DEO confuderunt. Conſimili modo evanidi illi, Sapientiam cæleſtem, primò in placitorum varietatem omninò multiplicem ſcindere ſolent, qvam enormis ingeniorum confuſio, & doctrinæ ſolidioris excidium freqventiſſimè excipit, pudendæ veritatis revelatæ abnegationi, ipſiqve adeò atheiſmo execrabili ſociatum. Sanè ſi hæc probè conſideraſſent ALTIVOLANTIA illa ingenia, qvæ noſtra ætate ſibi nihil non turbandi rejiciendiqve licentiam ſumſerunt; abſurdiſſi-

Gregor. Naz. Orat.41. Baſil. M. libr. contra Eunomium.

ma ſua cogitata nunqvam propalaſſent, nec fœtus ſuos luce indigniſſimos, & atheiſmi, ſive directi ſive indirecti & participati labe undiqve ſordentes, neutiqvam in publicum emiſiſſent, ſed perpetui ſilentii peplo duxiſſent involvendos. Et qvamvis infauſtæ ejusmodi abortiones plauſum apud æqve pruriginoſos lectores non rarò inveniant, chartæqve, infelici admodum enixu emiſſæ, Pallades è fiſſo Jovis capite editæ habeantur; tantum abeſt tamen, ut æqviores prudentioresq; rerum æſtimatores, illas cerebri minus benè affecti porrigines ſint amplexuri æſtimaturiqve, ut potius ſacro qvodam & verè chriſtiano ſupercilio eas deſpecturi, illaqve exerrantis phantaſiæ opificia, & temeraria corneæ portæ ſpectra, ad orcum unde provenêre, certo certius ſint relegaturi.

COMMONEFACTIO XVI.

SPIRITUS ELATIONIS LITERARIÆ TURPITER SE IPSUM DEJICIENS ATQVE CONFUNDENS, *SIVE* DE EXTREMA LITERATORUM ET CLERICORUM SUPERBORUM CALAMITATE, INGENTIQVE GLORIA DOCTORUM HUMILIUM.

Ad Commentat. II. De Literat. Hom. Faſtu ſive Superbia.

I.

MIſerrimam elatorum ex doctrinâ locupletiori hominum ſortem, cum ad animum ſibi revocaſſet JOH. RUSBROCHIUS, haud poſtremum locum illis in mortalium corruptiſſimorum ordine duxit aſſignandum: *Sexti* (en verba Viri notatu digniſſima!) *generis ſunt NATURA* SU-

Johan. Ruſbrock, libro ſingul. de regno Deum amantiũ c. 12. opp. fol. 398.

SUPERBI, & SCIENTIA naturali vel acquiſitâ ſubtiles & acuti, ſæpius in vita atque converſatione externa benè morati. -- Iſti ex SUPERBIA ſublato ac erecto ſunt animo, atque in ſingulari vivendi ratione ſemper præcipuos ſe putant & eſſe conantur. ALIOS OMNES DOCERE VOLUNT, & omnem ſe putant ſapientiam adeptos eſſe, nec ſe ab ullo inſtitui aut objurgari ferunt; ſiquidem ſuperbi ſunt & propriæ voluntatis. Per naturalis autem intelligentiæ acumen atque ſcientiam omnia ſua confirmant, cunctaſque rationes, & quicquid eis adverſum eſt, refutant; ipſaque SCIENTIA naturalis occaſio eis eſt & adjumentum ſuperbiæ. Et quicunque divino non ſunt illuſtrati lumine, nec in verâ fundati humilitate, ob ſubtilitatem & extrinſecus benè compoſitos mores, ac naturalis contemplationis otiū, ſublimiter de eis ſentiunt, ſed quia divina non movētur nec incitātur gratia, ſæpè proximis deſunt in neceſſitate conſtitutis. -- Pluris iſti faciunt ſuam contemplationem, quam illud charitatis opus; in quo planè falluntur & errant. Etenim charitatis opera in præcepto ſunt, & contemplatio, etiamſi ſit ſupernaturalis, absque charitatis actibus peſſum eat neceſſe eſt. Porrò quicquid iſti aut habent, aut adipiſcuntur, NECESSARIUM SIBI eſſe putant, credunt enim & foris & intus admodum ſeſe teneros eſſe. Intellectus naturalis multum in eis viget, &

valdè

Digitized by Google

valdè ſublimis eſt, nec mediocrem ex ſua ſcientia & ſpirituali vita capiunt voluptatem. Qvotqvot hujus generis ſunt, divina gratia non ſunt digni, qvâ tamen ſi digni volunt fieri, in cunctis actionibus, atqve in omni vita ſuâ humili corde, Dei laudem & honorem ſpectare debebũt, agnoſcentqve ſe ipſos, minimeqve animo ſe extollent, alios non minoris, imò etiam majoris facient qvam ſe ipſos, & eam qvâ præditi ſunt intellectus perſpicatitatem, cum humilitate ſervabunt ac poſſidebunt, ſicqve longè amplius divino illuſtrabuntur lumine, atqve per ſanctum otium, & earum qvæ circa res terrenas ſunt, occupationum rejectionem, vitam obtinebunt contemplativam, virtutum qvoqve naturalium benè compoſitos mores erga DEum ac proximos in vera charitate, pietate, benignitate, liberalitate retinebunt, atqve inde vitam conſeqventur ACTUOSAM. Ita præclarè Rusbrochius, cujus monitis ſi patulas aures pręberent homines ob doctrinæ ſuæ præſtantiam, pariter ac morum externorum honeſtatem inflatiſſimi, literatorum miſerrimorum calamitates evitare rectius; & ad optatæ qvietis portum pervenire tutius poſſent. Utinam illi contra ignitas iſtas diaboli ſagittas [ipſo Doctore auguſtiſſimo commonente] diſcerent erigere clypeũ veræ humilitatis, cogitantes continuè, omnem ſuperbũ literatũ Deo prorſus odibilem, atqve diabolo eſſe ſimilem; *Humilis*

 (Do-

(Doctor) *notanter* addit, *licet habitu vilis ſit, glorioſus tamen eſt virtutibus apud DEum, SUPERBUS autem, etſi decorus & clarus videatur aſpectu, tamen apud DEum operibus vilis eſt, & verbis & geſtis, & vultu & inceſſu, ſemper ejus dignoſcitur ſuperbia & levitas. Cupit ſe ſemper laudari ab omnibus hominibus, & bonis quibus alienus eſt, prædicari ſe vult, non patitur ſe cuiqva eſſe ſubjectũ, ſed ſemper inter ſuos pares primatum cupit tenere, & in majorem adſcendere gradum, quod meritis obtinere non poteſt, adulando & detrahendo Prælatis vult invadere, & ſicut navis eſt abſqve gubernatore cum jactatur in fluctibus, ita & ſuperbus* (literatus) *levis circumfertur, inſtabilis per omnes actus ſuos. Humilis autem ultimum ſe judicat, & blando vultu terram intuens, coram Deo eminens apparet, & cum omnia fecerit, dicit inutilis ſervus ſum, & nihil ſe feciſſe teſtatur, & Deus divulgat opera ipſius, & profert in medium, mirificatqve facta illius, & exaltat, & CLARUM facit eum, & in tempore precum ſuarum, quod poſtulat, impetrare apud DEum poteſt.* Arrigant aures Viri doctrinæ omnigenæ copiis inſtructiſſimi, ad claritatis conſimilis gradum etiam atqve etiam adſpirent, cane pejus ac angve fugientes *Elationis damnificæ ſpiritum*, ne extremæ perditionis aleam cum turgidis & inflatis doxoſophis & ipſi tandem ſubire cogantur.

Auguſt. vel pius quispia alius Doctor, in lib de ſalutar. docum. ad quendam comitem, qui extat Tom. IV. opp. Auguſt. fol. 758. edit. Baſil.

II. Et

II. Et qvanta damnifici faſtus, pudendæq; arrogantiæ, in perdendis ingeniis inſigni doctrinâ imbutis, vis ſit atqve efficacia, hiſtoriarum monumenta clariſſimè loqvuntur. Nec ullus dubio locus relinqvitur, qvin Doctorũ qvorundã Eccleſiaſt. ruina inde provenerit, qvod pro faſtus inſolentiâ, cunctos alios præ ſe, etiam Viros ſapientiores duxerint ſpernendos, & in profeſſione ſua principatum qvendam unicè affectarint. Cæterum, confidenti pectore nihil non ſibi tribuentes, ubi ſui ſimilibꝰ plauſum atq; aſſenſum doloſè extorſerint. Qvantoperè inani illâ turgidaqve jactantiâ correptus pariter ac corruptus olim fuerit hæreſiarcha NESTORIUS, ex ipſiuſmet concione inaugurali, ad Imp. & Populum Conſtantinopolitanum habitâ apprimè patuit, cujus Socrates in ſeptimo hiſtoriæ ſuæ libro diſertam fecit mentionem ad h. m. *Ex prima ejus concione prudentiores qviq; ſtatim deprehenderunt, qvali ingenio eſſet, qvibuſve moribus; Etenim illicò Imperatorem coram univerſo populo compellaturus, celebrem illam protulit dictionem: Da mihi Imperator terram hæreticis purgatam, & ego Tibi Cœlum retribuam; Mecum hæreticos debella,* EGO PERSAS TECUM DEBELLABO. *Ac licet qvibuſdam ex vulgo, hæreticorum odio flagrantibus, ſuperba vox admodum arriſerit, inde tamen alii prudentiores, inſignem hominis levita-*

Socrates lib. VII. hiſt. Eccleſ. c. 29. p. 302. edit. Valeſ.

tem & violentiam, cum faſtu & inanis gloriæ ſtudio conjunctam ſtatim deprehenderunt, qvippe qvi ne breviſſimi qvidem temporis moram ſuſtinens, in (elata) *hujuſmodi verba prorupiſſet, & anteqvam ipſam ut vulgò dicitur, civitatis delibaſſet aqvam, acerrimum perſecutorem oſtenderet.* Sed & aliud faſtûs immodici, ac inſanabilis prorſus tumoris dedit documentum, dum ſcil. noluit diſcere ab aliis, ſeqve cunctis ævi ſui Doctoribus, qvinimò anterioris etiam ſeculi magiſtris multò præſtantiorem atqve doctiorem reputavit: ARROGANTIA *enim* (ait Socrates) *elatus ob dicendi facultatem, non ſatis accuratè vetuſtioribus legendis operam dabat, ſed ſe ipſum reliqvis omnibus præſtare arbitrabatur.* Uſqve eò ſcil. ſuperbia, propriæqve præſtantiæ æſtimatio, aliorum contemptui ſociata, hominis animum occupaverat, ut præ caligine iſtâ cæterorum dotes neutiqvam cernere potuerit, ſed ſenſu abundans proprio, in extremæ infelicitatis barathrum ſit prolapſus. Non minus magnos ac intolerabiles propemodum ſpiritus, ſibi noſtrâ ætate ſumſiſſe celebrem illum Archiepiſcopum Spalatinum, MARCUM ANTONIUM de DOMINIS, altiſſimiſqve ſemper rebus intentum, præcipitem qvo conſtitit locum neutiqvam advertiſſe, ſæpè nobis laudatus ſcriptor Janus Nicius Erythræus alicubi indicavit; *Aureos montes* (ait

Socrat. l. c. cap. 32.

Erythr. Pinacoth. 1. p. 200.

Digitized by Google

de Marco Antonio) *ſibi ex meditatâ ad*
glos fugâ ſomnianti, res aliter longè cecidit,
opinatus fuerat. Qvinimò faſtu illum & e-
one animi tantoperè laboraſſe, ſcriptor
dã non incelebris notavit, *ut ſe* PRIMUM *Biſſel.*
ERUM OMNIUM *eſſe voluerit, & ad ſuum* *Medull.*
nia nutum, arbitrium, celebritatemqve fieri *hiſtor.*
ſtularit, ſi qvis autem obſtitiſſet, aut perrum- *ſeptẽnio*
re cuncta violenter, aut ſecum cuncta ſubru- III. p.
e ſtatuerit. Cum præter innatam (pergit 295.
dem) mentis inqvietudinem ac vecordiam,
LURIMI SEIPSUM faceret, ſeſe miraretur,
liis item miraculo eſſe cuperet; popularis
uræ ſtudio præcipuè deditus erat, & huic a-
nimi ſui ſenſui ſuperiores qvoqve velificari
cupiebat, ac laborabat in omnibus qvæ Mar-
co de Dominis in mentem veniſſent. *Jam tum*
(eccleſiaſtico ſc. habitu etiã ante conſcenſum
Archiepiſcopatus Spalatiniani faſtigium do-
natus,) *apices ALTOS ſpirare, mitras & in-*
fulas loqvi, ipſasq; Pontificias cathedras affecta-
re non dubitaverat, donec demum, tum hoc no-
mine, tum (ut ſpiritus arrogans latè vitioſus eſt)
aliis compluribus, viſus ac factus intolerabilis,
ſuoqve faſtu diruptus miſerè tandem diſſiliit.
Diu multumqve enim per Septentrionem va-
gum, in Angliam tandem Marcum Antonium
deveniſſe conſtat, perqve urbes & populos
incedentem, ubiqve elationis & jactantiæ
ſvetæ cervicem erexiſſe; A Rege Jacobo be-

nignè acceptum, mox inter omnes Magnæ Britanniæ Epiſcopos, ac Regni potiores adminiſtros locum ſibi ſine controverſia PRINCIPEM fuiſſe pollicitum, verum aliqvantò poſt intimius à ſagaciſſimo Rege cognitum, inanem prorſus retuliſſe ſinum, ſpes ejus fallaces Johanne Barclajo peculiari ſcripto explodente & evertente. Qvo factum, ut miſerè deluſum illud *Gloriæ animal*, ad ſua ſe receperit latibula, nataleqve ſuum (qvod deſeruerat) petierit ſolum, & tanqvam *vanitatis turgida victima* tandem ad altaria ſit deductum.

III. Alia planè mens, alius ſpiritus, priſcis fuit Sapientiæ ac pietatis Chriſtianæ Magiſtris, ſalutiferi *Timoris* potius, qvam *Tumoris* peſtiferi illuſtria illi dedêre documenta, omniqve faſtu abdicato extinctoqve, ſinceræ demiſſionis ſtudio ſtrenuam operam navavère. Licet ipſorum Apoſtolorum ſocietate & convictu honoratus ſit IGNATIUS Antiochenus, atq; ob inſignem animi virtutem THEOPHORI retulerit appellationem, nihil tamen propterea de ſe glorioſum, nihil magnificum, nihil excellens prædicabat, ſed ſe Chriſtianis omnibus, qvibuſcum agebat, Virtutib⁹ minorem inferioremqve reputabat; *Non ut Apoſtolus* (dicens) *qvicqvam conſtituo, ſed meo me modulo metior*, *ne* IN GLORIATIONE PEREAM. *Qvi enim me laudant, ipſi*

S. Ignat. in epiſt. ad Trallianos.

Digitized by Google

verberant. Et rurſus : *Mementote no- Eccleſiæ, qvæ eſt in Syria, unde non ſum di- s dici, cum eorum qvi illic ſunt, ſim extre- s.* O inſignis profundaqve humilitas, ô rum atqve genuinum JESU diſcipulum, in- e Veteri ejus Academia ſinceræ demiſſionis ofeſſorem! Qvo ipſo ſpiritu agitatus JU- TINUS MARTYR, nefas eſſe duxit erudi- onis ſuę egregiæ talentum aut vanâ detere- *oſtentatione*, aut in otij & inertiæ fundo rpiter defodere; *Nos itaqve* (ſcribit) *tali etu perculſi ſermones inſtituere, & miſcere col- oqvia ſecundum Scripturas ſatagimus, idqve on pecuniæ, NON GLORIÆ, non voluptatis, ed communis duntaxat utilitatis ſtudio, ſiqvi- dem nemo nos alicujus iſtorum vitiorum argu- ere poterit.* In pariter pia, inſignemqve ani- mi humilitatem ſpirantia dicta prorupit I- RENÆUS *Lugdunenſis*, & freqventi⁹ elegan- tes iſtas, ſum̃æq; erga Majores obſervãtię ple- nas voces uſurpavit: *Qvemadmodũ à* PRÆ- STANTIORE *nobis dictum eſt*, item: *Qvi ante nos fuerunt*, ET QVIDEM MULTO NOBIS MELIORES. Qvo etiam ſpectant illæ ad- verſus hæreticorum ſuperbiam pro humilita- te fidei emiſſæ ſententiæ, qvas alibi prolixè commendavimus. Sic & CYPRIANUM, ve- ræ fidei ac ſinceræ charitatis ſtudio imbutum, omnem SECULI AMBITIONEM ſpreviſſe, cunctaqve qvę in Mundo ſunt ſublimia, ge- nero-

Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryph. Jud. conf. Veter. J.C. Acad. p. 33.

Vid Vetus J.C. Acad. p. 52.

Pontius Diac. in vita Cacil. Cypriani. Confer Epiph. in Ancor. opp. ſ. m. 928.

neroſo animo deſpexiſſe, Pontius Diaconus memoriæ prodidit. Eandemqve planè cum ſanctis ſuis deceſſoribus animi ſubmiſſionem excolens pientiſſimus EPIPHANIUS, non rarò EPISCOPORUM OMNIUM MINIMUM ſeſe appellavit; *Noſter enim* (ſcribens alicubi) *ſemper humilis animus, qvietè perſeverare ſtudens, & non ultra eos, qvi nimium ſpeculantur extendi, illud conſiderans, qvod ab Apoſtolo dictum eſt, ut ne extendar ſupra menſuram regulæ, qvam dedit nobis, Deus, nunc ad hoc devenire cogitur.* Qvo ipſo mentis optimæ charactere conſpicuus HIERONYMUS ille Stridonenſis, non ſolum cunctis peccatorum ſordibus ſe dixit inqvinatum, morbidam ovem, & prodigum vocavit filium, verum etiam imperitiam ſuam paſſim diſerteqve confiteri maluit, qvam parum de propoſito dicere argumento. Qvid, qvod dicta etiam ſcriptaqve qvædam, non ſecus ac Magnus Aurelius duxerit retractanda, ne cuipiam ea eſſe poſſint offendiculo. Nec min⁹ in ſumma doctrinæ arce conſtitutus AMBROSIUS Mediol. tantâ ornatus fuit humilitate, ut non ſolum ſcripta ſua alieno ſubjicere judicio non erubuerit, ſed pro maximo etiam duxerit beneficio, ſi qvando ab aliqvo eſſet admonitus, uti ex ejus ad Sabinum Epiſcop. Placent. epiſtolâ clariſſimè colligitur. Qvæ inſignis maximorum Virorum humilitas, atqve demiſſio, turgi-

Ambroſ. epiſt. 63. ad Sab.

Digitized by Google

turgidorum illorum Epiſcoporum & Doctorum (qvorũ in opere noſtro hieroſophico paſſim meminimus) faſtum retundere debuiſſet, qvi nimis arduis negotiis inhiantes, vires ſuas nolunt juſto metiri modulo, neqve Majoribus debitâ ſeſe attemperare ſubmiſſione. Utinam tandem aliqvando caſibus & periculis eorum graviſſimis edocti, Antiſtites Doctoresqve chriſtiani ſaperent rectius, & tumoris omnis pertæſi, timorisqve ſalutaris cupidi, ad pientiſſimi EPHRÆMI SYRI exemplum dicerent ingemiſcendo: *Qvomodo ego ELATUS & SUPERBUS coram tribunali tremendi adſtabo Judicis, cumq; juſtis atq; perfectis illis conſiſtam? Qvomodo ego arbor infructuoſa, cum illis qvi in hâc vita juſtitiæ fructum tulerunt, collocari potero* --- O ANIMA SUPERBA *atq; elata! O Anima peccatrix! O anima imprudens! O anima* QVÆ VITAM TUAM SEMPER OSTENTASTI! *qvamdiu rerum terrenarum cupiditate traheris? qvamdiu prava improbarum cogitationum conſvetudo in Te dominabitur?* Exulet peſtis hæc à pectore Virtutis & Pietatis chriſtianæ ſtudioſiori, nullumqve in eo execrabilis, Deoqve tantoperè exoſa ſuperbia locũ inveniat! *Ephr. Syr. Sermon. I. de compunct.*

IV. Pudendum valdè, avorum noſtrorumq; memoria, Literati ex faſtu & SUPERBIA infrunita infeliciſſimi, documentum dedit FRANCISCUS BALDUCCIUS, Panormo-

Confer Toldium in append. Pieriani libell. de infelicit. literat. pag. 43.

mo-Siculus : Poſtqvam is, in Humoriſtarum
Romanenſium Academiam eſſet receptus, at-
qve Nobilium qvorundam virtutes vorſa o-
ratione extollere cœpiſſet , non alio qvam
Poëtæ ævi ſui PRINCIPIS titulo voluit in-
ſigniri. Et cum homo ambitioſulus (extremâ
licet inopiâ preſſus) nihil ab ullo gratis dari,
ſed tanqvam debitum virtuti ſuæ officium,
perſolvi exiſtimaret, accidit, ut nimio faſtu
occœcatus, ipſos benefactores ſuos, qvorum
miſericordiâ ſublevabatur, durioribus impe-
tere verbis non dubitaverit, qvam audaciam
cum multos menſes tonſor qvidam pertuliſ-
ſet, atqve gratiarum loco non niſi acerbiſſima
iſta verba recepiſſet; *Itane, Poëtarum excipis
hujus ævi principem, adeòne dignus tibi videor
qvem ſic illudas! tune hos mihi piſciculos præ-
bere auſus, ac ſi unus eſſem de multis, atqve ho-
minum fece?* uſqve adeò tandem ab impa-
tientia & indignatione hoſpes ille fuit ſu-
peratus, ut collo utrem inflatum arripuerit,
atqve è menſâ extruſerit forrás, qvo etiam
probro poſteà ob inſignem morum ſuorum
importunitatem ab ipſo Antonio Urſino, Du-
ceqve Brachiano fuit affectus, ita ut poſt i-
gnominoſam ex eorum ædibus ejectionem a-
lium dominum, lares alios, atqve urbem ex-
qvirere compulſus fuerit. Qvam hominis ſtul-
titiam licet riſus omnium exceperit, & comu-
ne vulgi opprobriũ, dolendũ tamen apprimè
eſt,

Digitized by Google

…, literatorum plurimos in eodem ferè cum …duccio illo hactenus hæſiſſe luto, faſtuqve …menſo occœcatos, in ipſa Rep. literariâ …ncipem etiam ſibi vindicaſſe locum. *Docti …mines* (ſcitè ait ſapientiſſimꝰ Vives) *qvum …elligunt ſe ingenio, conſilio, cognitione rerum …ſtare cæteris, aut certè ſic alios exiſtimare, …gentes attollunt ſpiritus, tanqvam ipſi homi…s inter pecudes vivant, unde incredibile eſt …ctu, qvantopere arrogantia invaleſcat.* Hác …ſa peſte miſerè qvondam fuit correptus do…iſſimus qvidem, aſt undiqvâqve infeliciſſi…us Vir, Georgiꝰ TRAPEZUNTIUS, cum is …ſqve adeò ſuperbâ (ut Toldius ait) & contu…eliosâ fuiſſet aure, ut ne divinum qvidem …latonis ingenium laudari pateretur, ejus…ve dogmata & mores famoſo volumine edi…o peracerbè proſcinderet, eam audaciam in …omine aliàs ſibi conjunctiſſimo Cardinalis …Beſſarion ferre non potuit, ſed ſcripto ad de…enſionem ſumi philoſophi libro, calumnia…orem ingenio pariter ac memoriâ privavit; *Redacto qvippe* (ut laudatus ſcriptor ait) *in delirium Georgio, omnium rerum elabebatur memoria; ita ut alter Orbilius literarum oblitus, Romam circuiret, obtrito pallio, & nodoſo ſcipione vacillantis gradum ſuſtinente.* En horribilem faſtus immodici pœnam, en literati ex ſuperbiâ infeliciſſimi miſerabile fatum! Haud mitius eqvidem, imò multo etiam

L. Vives de tradendis diſcipl. lib. V. opp. Tom. 1. *pag.* 518.

Confer Toldium l.c. p. 9.

tiam ſeverius cum ijs juſto Dei judicio actum
fuiſſe accepimus, qvi faſtu an aſtu diabolico
circumventi, voces etiam blaſphemas, atqve
Ter-maximo Numini ſummè injurioſas eru-
ctare non dubitarunt. Qvò in cenſum meritò
poſt Theologum illum Peruenſem [cujus in-
ſaniam ſuo loco delineavimus] referimus ſu-
perbiſſimum pariter ac impientiſſimum illum
Gvilelmum HACKETUM Anglū, qvi cum
poſt vitā perditè tranſactam, derepentè ſan-
ctitatis ſummæ perſonam induiſſet, tractuqve
temporis revelationes cœlitus ſibi factas, vo-
cationemqve extraordinariam ementien-
do, rationem ſibi cœlitus patefactam redu-
cendi Anglos ad mentem meliorem edixiſſet,
eò tandem veſaniæ delapſus eſt, ut pro ipſo
Chriſto Dei filio Deoqve vero haberi & ado-
rari voluerit. Mox divinæ pariter ac huma-
næ Majeſtatis læſæ damnatus, patibuloqve
addictus, non ingentibus ſolum blaſphemijs
adſtantium aures perfudit, verum in hæc e-
tiam extremæ dementiæ erupit verba: *DEus
æterne, tu noſti me verum eſſe Jehovam quem
miſiſti; aliqvod miraculum è nube ad conver-
tendos hos infideles exhibe, & me ab inimicis
eripe, ſin minus cœlos inflammabo, & te tuo
throno his manibus deturbabo.* Laqveò autem
carnificis innodatus, oculisqve in cœlū ſub-
latis, blaſphemijs ſuis vitæq; miſerrimæ hunc
deteſtandum impoſuit colophonem: *Hocci-
ne*

Confer Comment. II. de Superbia p. 216. ſeqq. vid. Spondanum Annal. Eccleſ. Tom. III fol. 873.

Digitized by Google

ne pro regno collato rependis? Venio ulturus! En, qvo inſanientis ſuperbiæ ſpiritus ſectatores ſuos tandem perducat!

V. Magno ſuo malo id ipſum pariter expertus eſt infamis ille hæreſiarcha DAVID GEORGIUS, gente Hollandus, mente autem deceptor atqve impoſtor neqviſſimus, qvi cum urgente faſtu immortalem ſe eſſe finxiſſet, morti tandem vicinus, ſpem fatuis ſuis diſcipulis fecit reviviſcendi poſt triennium, abundeqve præſtandi ea, qvæ ipſis ſplendidè ampliterqve promiſiſſet; aſt cum poſt ejus obitum latens fraus patere cœpiſſet, factâ diligentiori inqviſitione à Senatu Baſileenſi, cadaver per carnificem effoſſum, atqve in publici ſupplicij loco flammis fuit traditum, una cum libris & ſcriptis ejus, magnâ curâ & ſtudio undiqvaqve conqviſitis. E qvibus partim editis, partim manu ſcriptis, capita aliqvot extremam hominis tum impietatem tum ſuperbiam indicantia recitantur ad h. m. *Omnem doctrinam hactenus à Deo per Moſen, Prophetas, ipſumqve Chriſtum ejusqve Apoſtolos traditam, eſſe mancam, imperfectam & inutilem ad veram & perfectam felicitatem conſeqvendã &c. Davidis autem Georgij doctrinã perfectam eſſe, atq; efficacẽ ad hominem qvi eam ſuſceperit, beandum. Porò aſſerebat, ſe verum Chriſtum & Meſſiam eſſe, Patris chariſſimum filium, in qvo ſe oblectet Pater: natum non ex*

Confer Relat. hiſtor. de vita & doctrinâ Davidis Georgij, per Rectorem Baſil. conſcr. & Witebergæ 1559. editam.

carne ſed ex Spir. S. & ſpiritu Chriſti, qui ſpiri⁹ Chriſti carne ej⁹ in nihilũ redactâ, quodã in loco Sanctis omnibus ignoto, hacten⁹ ſervatus, nunc Davidi Georgio totus ſit traditus, atque in ejus animam effuſus. Se igitur eum eſſe, qui domum Iſraelis, verosque Levi filios (nimirum eos qui dogmata ſua ſuſcipiant, eumque ſequantur) una cum vero Dei tabernaculo ſit ſpiritu inſtauraturus, non cruce, rebus adverſis, aut morte, quemadmodum ille alter Chriſtus, ſed clementia, amore & gratia, qui ſibi à patre ſit datus. Se inſuper eâ potentiâ præditum eſſe, quâ ſalutem tribuere, & condemnare peccata, remittere & retinere poſſit, idcircò ſe illum eſſe, qui extremo judicio ſit totum Mundum judicaturus. Ajebat etiam, ſe Joh. Baptiſtâ ceteriſq; omnibus Sanctis qui olim ante eum extiterunt, excellentiorem eſſe, quoniam ipſe minimus ille ſit in regno Dei, de quo Chriſtus ait: Inter natos mulierum non ſurrexit major Johanne Baptiſtâ, at qui minim⁹ eſt in Regno Dei, major eſt illo. Quid, quod Chriſto ipſo ſe majorẽ eſſe edixerit, quod hic ex muliere quidem in carnem natus ſit, ſe verò è Spiritu ſancto cœleſtem Chriſtum natum & unctum eſſe, denique omne peccatum in Patrem & filium remitti & condonari aſſeruit, quod autem in Spiritum ſanctum, hoc eſt Davidem Georgium cõmiſſum fuerit, nunquam, neque in hoc, neque in altero ſeculo remittendum, ex quo ſatis conſtare aiebat, ſe Chriſto longè eſſe pre-

Digitized by Google

preſtantiorem. Impietatibus itaqve hujuſmodi ſcatentes ſuperbiſſimi illius impoſtoris libri, una cum ejus cadavere & imagine, flammis per carnificem meritiſſimo jure ſunt ſubjecti, exuſtiqve Baſileæ, biennio & ſeſqvi ferè, poſtqvam ipſe è vivis exceſſiſſet. Fuiſſe aliàs Georgium illum Magni ingenii hominem, Rector Academ. Baſileenſis in relatione de vitâ & doctrinâ ejus ad Senatum Urbis perſcriptâ eſt conteſtatus. Idem planè ipſi contigit, qvod ſummis ingeniis (niſi vero Dei metu tanqvam frœno cohibeantur) plerumq; accidere ſolet; nimirum, dum cæteris omnibus præſtare voluit, extremæ infelicitatis aleam ſubiit, & comunem cum omnis ævi erronib⁹ ſortem fuit indept⁹. O ſi fanatic⁹ iſte, & cũ eo cæteri ejuſdẽ farinæ utres turgidi, ſaluberrimũ divi Pauli conſiliũ ad mentem ſibi revocaſſent, neq; tã elato fuiſſent animo, neutiqvam miſerè adeò cum neqviſſimo illo ſuperborũ principe diabolo de cœlo fuiſſent deturbati. Longè mitius licet habendus ſit, qvi noſtrâ ætate locum haud poſtremũ inter Naturæ myſtas obtinuit, *THOMAS HOBBESIUS*, faſtûs tamen immodici culpam, & bonorum qvorundam odia inde haud abs re ille incurrit, qvod non veritus ſit impudentiſſimè jactare, philoſophicas ſcientias partim ſibi, partim alijs recentiſſimis deberi,

 vete-

Digitized by Google

veteres autem obſervata duntaxat qvædam ſolo Logices uſu fuiſſe indeptos. *Neqvaqvam eo inficias* (inqvit præclarè Vir qvidã eruditiſſimus) *haud pauca à recentioribus, hoc ipſo præſertim ſeculo, adeoqve noſtra memoria in naturalibus præcipuè rebus vel primùm, planè ſingulari & inaudita felicitate inventa, vel alias magis exculta, vel etiam ad aliqvam perfectionem fuiſſe deducta. Imò verò illud ipſum ſummè admiror, atqve ceu par eſt prædico, at eapropter antiqvitati adeò SUPERBE inſultare, grande profectò nefas; ita turpiter eam vilipendere, vehementer eſt impium. Imò v. complura ex ipſiſmet illis recentiſſimis obſervatis tantum abeſt, ut eorum qvi vel primi vel præcipue ea notaverunt, opinionibus patrocinentur, ut vel antiqvorum, vel aliorum, qvos ij impugnant, ſententias, mirificè roborent atq; confirment.* O verè infelices Literati, qvi Sacerdotes idoli illius deteſtandi, faſtûs nimirum execrabilis evaſêre, imò aræ facti ſatanicæ, dæmonisqve in Angelum lucis transfigurati mancipia miſerrima! Scitè admodum Gregorius Magnus enunciavit, hominem (literatum) ſuperbiâ turgidum, inqve ſententiâ ſua pertinacem, proprium judicium loco habere IDOLI; *Nam* (pergit notanter) *dum agenda concipit, qvaſi idolum facit, & ſuper altare & aram cordis & intellectus ſui illud collocat, & quemadmodum arioli conſultat cum eo, qvid*

Valen. Voglerus de Naturali in ſtudia propenſ. diſſ. III. p. 40.

Greg. M in lib. IV. Reg. c. 2.

qvid dicere, facere, docere, & tractare debeat; illudq́; dat reſponſa ad interrogata: qvæ ſtatim atq́; audit, acceptat, qvaſi à Deo redderentur, exeqviturq́;, & poplite flexo idolum ſuum, vero Deo relicto, more idololatrarũ veneratur, nolens conſulere ea, qvæ Deus in Scripturis Sacris revelavit. Et qvemadmodũ idola loqvebantur olim & reſponſa dabant ſuper aras falſa & perniciosa, licet larvâ RELIGIONIS TECTA, ſic nunc loqvuntur & reſpondent per judicium proprium, tegendo ſua conſilia ſpecie veritatis & ſanctitatis, qvemadmodum Saul illa tegebat.

VI. Apage igitur idolum hocce nefarium, idolum inqvam Superbiæ & proprii judicii execrabile, qvod ſedem ſuam non ſolùm inter gentiles, verum etiam inter literatos chriſtianos à longo ſeculorum decurſo tempore habuit, nec tantum ſeculares, verum etiam eccleſiaſticos homines reſponſis ſuis pernicioſiſſimis miſerè decepit: Apage idolum illud tremendum, cœcum, crudele ac ferum, qvod omni ævo turbas graviſſimas, contentiones item, æmulationes, diſſenſionesq; concitavit, Collegia & ſodalitia eruditorum rixis & jurgiis replevit, ipſamqve Chriſti tunicam turpiſſimis ſchiſmatibus diviſit. *Qvi illud idolum adorant* (ait appoſitè admodum Bernardus) *deſtructores ſunt unitionis, pacis inimici, charitatis vacui, tumentes vanitate, ſibimetipſis placentes, magni in ſuis oculis, adeoqve* *Bernar. Serm. III. de Reſur.*

 AR-

ARROGANTES, ut veram Dei juſtitiam ignorantes, propriam velint extollere, & prætextu divini zeli idolum diaboli adorent. Nunqvid ergò tu frater eris adeò ſtultus, ut adorare velis idolum, qvod ita tractat ſuos adoratores, tot privans eos bonis, tot verò mala eis afferens?

Doroth. Serm, 5. Non attendis miſer (addit Dorotheus) qvod velle vivere juxta tuam ſententiam ſit erigere idolum, qvod tu qvidem adores, cæteri autem lapident, jaciendo in te lapides contradictionum, imò & murmurationum, te SUPERBUM appellantes, obſtinatum, ignorantem, illuſum, audacem, ſingularem, hypocritam, inanis gloriæ cupidum, aliorum contemptorem, & zizaniorum ſeminatorem. Qvid multis? nemo literatorum à pudendo illo idolo facilè decipietur, ſi veram ſapientiam, veramqve philoſophiam in ſincerâ SUI IPSIUS cognitione qvæſierit inveneritqve, ſi *nihilum*, hoc eſt ſe ipſum probè perſpectum habuerit, meritò eruditorum omnium ſapientiſſimus nominabitur.

VII. Inter eos, qvi Scholaſticæ Theologiæ campos noſtrâ ætate eruditionis ac doctrinæ reconditioris flumine irrigarunt, magno Scriptorum qvorundam conſenſu, palma FRANCISCO SVARESIO tribuitur, cum vix alius (eorum judicio) inventus fuerit, qvi aptius ad mentem proto-ſcholaſticorum ſcripſiſſet, aut ad captum diſcentium pro cathedrâ

Digitized by Google

drâ diſſeruiſſet : *Copioſa ingenii ſoboles* (inqvit Theophilus Raynaudus) *toto Orbe eum fecerat clariſſimum. Tot enim & tanta de rebus Theologicis ab eo conſcripta extant, qvanta vix ab ullo, non modo hujus ætatis, ſed etiam ſuperiorum ſeculorum. Nec numeroſitas ſcriptionum ſoliditatem aut accurationē labefecit, ut iis uſu venire ſolet, qvi multa, non multum ſcribunt ; ſed ubique ſui ſimilis lectorem implet, & ſuſceptam diſſicultatis diſcuſſionem exhaurit, conſuli & evolvi digniſſimus.* Atqve hunccе celebratiſſimum ævi noſtri Scriptorem, inſigni adeò HUMILITATE & modeſtiâ conſpicuum extitiſſe idem Raynaudus memoravit, ut omnes in ſui rapuerit amorem & admirationem. *Vilis qvippe* (pergit ille) *erat in oculis ſuis. Aderam, cum appulſo Avenionem, Urbs univerſa, ad eum vel conſpiciendum effuſa ; è primariis item Doctoribus Vir clariſſimus Dionyſius Chriſtianus, publico nomine gratulationem, elogiis ampliſſimis refertam exhiberet. Ille nihilo ſecius ad iſta commoveri, qvam ſi de ignoto homine ſermo haberetur. Spirant eandem humilitatem ſcripta ejus omnia, in quibus nullus uſqvam tumor, nulla aliorum contemptio deprehenditur.* Pauci profectò, noſtrâ ætate in doctorum hominum in-

Theoph. Rayn. in Prato ſpirit. ſen Centur. hiſtor. qvæ ext. Tomo XVII. opp. p. 611.

venti ſunt cœtu, qvi eandem cum FRANCISCO illo SVARESIO demiſſionis laudem reportarint. Rariſſima avis omni ævo, cumprimis noſtro; in Orbe fuit ſincera Virorum doctrinâ & literis apprimè illuſtrium humilitas. Invenit ea apud nonnullos locum, dedit nonnunqvam avis iſthæc ſeſe conſpiciendam; Viros qvosdã eruditiſſimos ipſe habui cognitos, qvi in ſummo ſacræ & profanæ ſapientiæ faſtigio humanitatis ac humilitatis ſinceræ inſignibus mirabiliter emicuerunt. Illi tamen vix numerum faciunt, cæterorum intuitu, qvi pretioſiſſimo iſto theſauro penitus deſtituti, pudendæ ſuperbiæ typho miſerè inflati ſunt & occæcati, atqve ut præclarè Magnus ait Aurelius; *Cothurno tanqvam doctrinæ ſublimioris elati, non audiunt dicentem: Diſcite à me qvia mitis ſum, & humilis corde, & invenietis reqviem animabus veſtris; & ſi cognoſcunt Deum, non ſicut Deum glorificant, aut gratias agunt, ſed evaneſcunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratur inſipiens cor eorum, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, &c.* Optandum ſanè foret, ut ſaperent rectius mortalium alias perſpicaciſſimi, noviſſima prævidentes, nec ad Franciſci Svareſii adeò, qvam ipſius Doctoris auguſtiſſimi exemplum demiſſionis ſinceræ ſtudio incumberent. Is qvippe in ſtupendis doctrinæ

Auguſt. lib. 7. Conf. c. 9.

Digitized by Google

næ ſuæ ſplendoribus parcum adeò excellentiæ propriæ æſtimatorem egit, ut paratior ſemper diſcere fuerit qvam docere, paſſimqve libros ſuos & ſcripta examinari, emendari, ſeveriſſimèqve cenſeri & corrigi voluerit. *Nolo* (ajebat aliqvando) *authoritatem meam ſeqvaris, ut ideò Tibi putes eſſe aliqvid credendum, qvoniam à me dicitur. Nullo modo literas meas ab omni errato liberas audeo vel putare vel dicere.* Et alibi; *Non pigebit me* ſcribit, *ſicubi hæſero qværere; proinde qviſqvis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum, ubi pariter hæſitat, qværat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me, ubi meum, revocet me.* Et cum de errore S. Cypriani ageret, qvo putabat rebaptizandos eſſe hæreticos, non modo ſe ait longè poſitum eſſe infra merita Cypriani, verum etiam ſua eloqvia eſſe infantilia rudimenta, in comparatione ubertatis S. Cypriani, nec ſuam ſententiam de non rebaptizandis hæreticis, eſſe meliorem qvod ſua ſit, ſed qvod totius Eccleſiæ ſit & verior. O ingentem & admirandam in tanto doctrinæ faſtigio humilitatem! Qvam rara hæc (dico iterum) in Orbe literato, noſtro præſertim turgido ævo, avis! *Qvot mihi Auguſtinos* (appoſitè ait Vir qvidam pietate & eruditione

Auguſt l. 5. de Bapt.

Idem 1. de Trin. c. 2. 3.

ſingulari conſpicuus) *vel illi conſimiles, in faſtigio ſapientiæ micantes, ſui tamen adeò non oblitos exhibueris, tot venerabor Viros divinos, tot agnoſcam miracula; cum & ipſum D. Auguſtinum quodam in loco ſubdubitantem audiam, an diſputans illis vitiis carere poſſit, quæ plerumq; ſtudiis humanis, & concertationibus excitantur, dum ſupra quam ſcriptum eſt, unus pro altero inflatur adverſum alterum.* Ad laudatiſſimam hanc humilitatis Virtutē, [velut frœna limitesqve exorbitandi ſcientiæ ponentem, & cor mortale, inflari incipiens, ad ſaniora revocantem] idem ſanctiſſimus Præſul Dioſcorum verbis ſeqventibus invitavit: *Huic Te mi Dioſcore, ut tota pietate ſubdas velim, nec aliam Tibi ad capeſſendam & obtinendam veritatem viam munias, qvam qua munita eſt ab illo, qvi greſſuum noſtrorum tanqvam Deus videt infirmitatem. Ea eſt autem prima humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas, & qvoties interrogares hoc dicerem.* Planiſſima hæc ad veram felicitatem literariam obtinendam via, cum pauciſſimis [eheu !] eruditorum arrideat, neqve cum Auguſtino illi in ſcientiæ faſtigio collocati, veram, Chriſtiqve diſcipulis propriam ſecten-

tur

tur ſubmiſſionem, mirum adeò non eſt, qvod præcipitia ſua horrenda neutiqvam advertant, ſed ſpiſſam animi cæcitatem, & perpetui exitii abyſſum miſerrimè incurrant.

VIII. Non mediocriter ex maximi illius Doctoris inſtitutione & ſtrenuâ lectione Patrum antiqvorum, eruditiſſimus ille Hiſpanus videtur profeciſſe, qvi exqviſitos Auguſt. de Civit. Dei libros illuſtravit; JOHANNEM LUDOVICUM VIVEM intelligo, qvi non uno loco humilitatis ac demiſſionis verè chriſtianæ laudatiſſima planè dedit documenta. Declinaturus alicubi inſignia honorum (qvibus ornabatur) præconia; *Qvæ ille* (inqvit) *de me ac meo nomine ad vos ſcripſit, nihil me moverunt, nemo magis eſt, ſi qvâ eſt fides, imperitiæ meæ conſcius me ipſo, nec minus diſſimulator. Idcircò leviter angor gloriam non contingere, cum non meruiſſe ſciam. Ita velim mihi propitium Chriſtum, ut credo aſſecutum me nominis opinionem meritò majorem, & tam immodicè favere mihi famam ſæpè admiror -- Clarior ſum, qvam plerumq́ vellem, ne meam à rebus omnibus inopiam tam multi ſpectarent ac ſcirent, & imperitiam meam tantam eſſe video, ut illam profiteri præ pudore cogar, ut qvod alii deprehenſuri ſunt, ipſe mine-*

Johan. Ludov. Vives in epiſt. ad Eraſm. qvæ legitur Tom. II. opp. p. 967.

minore culpa præ me feram. Cum idem Vives aliqvando intellexiſſet, Hieronymum Frobenium de operibus ſuis excudendis apprime eſſe ſollicitum, ad Deſid. Eraſmum amicorum intimum ſeqventia ſcripſit inſignem demiſſionem animi ſpirantia: Nec Tu me tantoperè proferendi nominis cupidum exiſtimes, malim uni vel alteri in virtute prodeſſe, qvam nomē absq; aliorū utilitate per Orbem qvantus qvantus eſt diffundere. Neqve enim ignoro, qvam iniqva res eſt hæc gloria, qvæ merita non ſpectet, qvam inanis, qvam nihil habet ſolidi, qvod prehendas, ut non diutius eâ delecteris, qvam dum plauſu & vocibus circumſonantibus extra te pulſus aliena audis & vides, non es, nam ad Te reverſus nihil invenis. Deinde qvantum habeat hæc mellis gutta ADMIXTUM FELLIS, ſi non aliunde certè ex Te poſſem exemplum & documentum ſumere. Poſtremo cogitandum eſt nos peregrinari, ſeu potius ad obeundum vadimonium pergere, brevi ad forum & judicem perventuros, qvantoscunqve in viâ flexus conemur facere.

Johan. Ludov. Vives d. l. p. 974.

Ibi

Digitized by Google

Ibi nec humana ignominia premet cauſam dicentem, nec ſublevabit gloria tanqvam teſtimonium vel laudatio provinciæ. Sed qvem Dominus commendarit, is demum erit probatus. Qvod unicum effatum ritè conſideratum æſtimatumqve, mirabiles Humilitatis amores in doctis hominibus concitare poſſet, ne ſuperbiâ inflati, ſpirituqve arrogantiæ & præſumtionis elati, altè volare incipiant, & ad ima miſerrimè tandem detrudantur.



COM-

COMMONEFACTIO XVII.

GLORIOSA VANITAS CONCULCATA,

SIVE DE

MISERA ET EXITIALI LITERATORUM HOMINUM PER FATUOS UMBRATILIS GLORIÆ IGNICULOS DECEPTIONE.

Ad Commentat. III. De Cenodoxia Literatorum.

I.

FAtuos GLORIOSÆ VANITATIS igniculos extincturus, deceptisq; eo glaucomate mortalib⁹, admonitione ſalutari conſulturus Tertullianus, CENODOXIAM [ſuis antehac depictam coloribus] ſcitè admodum STUPORATAM nuncupavit, eò qvod hebetes & velut STUPORE defixos reddat ſingulos, qvi pudendâ ejus imagine capiantur. Enimverò, minus cul-

Tertull. lib. de cultu feminar. c. 3.

culpandi eſſent evanidæ illius umbræ aucupatores, *ſi inanis* duntaxat, non item damnoſa & exitialis glorioſæ dementiæ conſectatio exiſteret, ſi nobiliſſima ingenia non freqventer adeò redderet STUPIDISSIMA, qvinimò omnigenæ calamitati literariæ aperiret feneſtras, atqve ipſos doctrinarum Luciferos de felicitatis ſupremæ ſede miſerrimè deturbaret. Et cum ex oris aurei ſententiâ, nulli non glorioſæ vanitatis alumni ſimiles ſint EBRIOSIS; dubium non eſt, qvin illa ipſa inſania ſectatores ſuos æq; STUPORATOS faciat, atqve infinitarum ſtoliditatum laqveis validiſſimè conſtringat. *Intolerabilis quædam* [ait Chryſoſtomus] *EBRIETAS eſt INANIS GLORIA, ideoq; qvem ſua ſubjecit ditioni, is ægre in ſanitatem reſtituitur. Et qvam peſtifera tabe infecit animam, à cœlo abſcindens, terræ affigit, neq; eam amplius ſinit, ut ad veram lucem dirigere poſſit intuitum: ſed in hujus ſeculi ſordibus, ſemper ejus perſvaſione devolvitur; & dominos nobis tam potentes imponit, ut etiam ſine juſſu aliqvo nos exuperent, nobisqve perpetuò dominentur. Qvi enim hoc modo afficitur, nullo præceptore, omnia ſua ſponte operatur, qvæ Dominis ſuis placere, qvibuſqve plurimum eos lætari arbitratur. Etenim pulchrâ veſte eorum cauſa induitur, faciemqve ornat, non ſibi ſed aliis -- Qvicqvid facit, aliorum tantum gratia facit. Num qvicqvam* poſſet

Chryſoſt. hom. 28. in Joh.

poſſet eſſe moleſtius ? ut aliis admirationi ſit præceps freqventer agitur - Qui igitur ejuſmodi dominii ſervitio premitur, nonne omnium eſt MISERRIMUS ? Qvidni Literatum hominem in eo luto hærentem (ipſo Chryſoſtomo præeunte) nuncupaverim? INFELICISSIMUM? cum extremæ illius calamitatis, pudendiqve ſervitij aleam ſponte ſua ſubeat, totoqve propemodum vitæ huius ſpatio terræ affixus, neutiqvam ad veram lucem dirigere intuitum poſſit, atqve ſeculi male-docti & malecocti ſordibus etiam atqve etiam involvatur. Nonne STUPORATOS ſtolidoſqve eos dixerimus, qvi famæ fumoſæ amore tantoperè ſunt faſcinati, ut nec damna illa enormia [de qvibus totâ commentatione tertiâ antehàc diſſeruimus] neqve ſummam ejuscé vanitatis INSTABILITATEM, & fœneum qvaſi florem advertant ; *Qvod ſcil. illa* [ut Magnus ait Gregorius] *ut plurimum cadat dum niteat, repentinoqve intercepta fine terminetur, dum apud ſe extollatur. Sic namqve* (pergit idem) *aurarum flatu in altum ſtipula rapitur, ſed ex caſu concito ad ima revocatur. Sic ad nubila fumus attollitur, ſed repente in nihilū tumeſcendo diſſipatur. Sic ab infimis nebula denſeſcendo ſe erigit, ſed exortus hanc Solis radius, ac ſi non fuerit abſtergit. Sic in herbarum ſuperficie, nocturni roris humor aſpergitur, ſed diurni luminis ſubito calore ſiccatur, &c.*

Greg. M. lib. XVII. Moral. c. 5.

Eqvi-

Eqvidem irrefragabili tot ſeculorum experimento teſtatiſſimum eſt, gloriam ex literarum etiam ſtudiis conqviſitam ejuſmodi eſſe, ut momento propè evaneſcat. Una qvidem re docti hominis laudem æternari poſſe Seneca pronunciavit, nimirum Librorum ſcriptione utilium; *Produc* (inqvit) *memoriam aliqvo ſcriptorum monumento tuorum. Hoc enim unum eſt rebus humanis opus, cui nulla tempeſtas noceat, qvod nulla conſumat vetuſtas. Cætera qvæ per conſtructionem lapidum, & marmoreas moles, aut terrenos tumulos in magnam eductos altitudinem conſtant, non propagabunt longam diem; qvippe & ipſa intereunt: IMMORTALIS EST INGENII MEMORIA**. At enim verò, qvam inanis & fluxa, moxqve in auras evaneſcens gloriæ meſſis inde qvoqve colligatur, in appendice Comment III. de ſorte Scriptorum infelicium diſertè oſtendimus, idemqve docent tot *Seneca Conſol. ad Polyb. c. 37.*

Cc

* *Non dubitavit Poſſidius Calamenſis Epiſcop. æqvalis D. Auguſtini, ejuſqve vitæ ſcriptor, affirmare ſcriptorem in libris ſuis ſemper vivere; eodemqve nomine Plin. lib. IX epiſt. 3. otium literarium eorum qvi certi poſteritatis cum futura gloria vivant,* altum & pingve *nominavit, & ad hominis beatitatem plurimum facere cenſuit. Multus qvoqve in eo argumento eſt Joh. Sarisber. lib. IIX. Polycrat. c. 14.*

tot aboliti SCRIPTORUM LABORES, to hominum doctiſſimorum cum blattis certantes & tineis vigiliæ, ut probra plurimorũ nunc taceam, qvæ incurrerunt, dum decus ex operum ſuorum editione certo certius ſibi fuêre polliciti, nec feliciores iis evasêre, qvi à ſaxis & monumentis (ad Abſalonis exemplum) laudis & gloriæ perennitatem ſunt mutuati; ſiqvidem ut ſcitè Auſonius cecinit; *etiamſi monumenta fatiſcunt, Mors etiam ſaxis NOMINIBUSq́, venit.*

Auſoni⁹ epigram. 34.

II. Inter Viros doctrinâ ſingulari illuſtres, locum palmarium avorum noſtrorum memoriâ haud abs re obtinuit JULIUS CÆSAR SCALIGER, cum Poëtam egerit excellentiſſimum, Philoſophum acutiſſimũ, Medicum ſolertiſſimum: Qvamprimum verò INANIS GLORIÆ propriæqve laudis ſidere peſtilentiori eſſet afflatus, & facta qvædam heroica temerè ſibi tribuiſſet, accidit, ut graviſſimam qvorundam incurrerit reprehenſionem, qvi detecto fuco mirati ſunt, eum tam multis, eruditione non minus qvam prudentia inſigni conſpicuis Viris ita imponere potuiſſe, ut Juſtus etiam Lipſius, tribus illis, qvos unicè admirabatur, Homero, Hippocrati & Ariſtoteli, qvartum J.C. Scaligerum duxerit adjungendum, utpote qvi in hominibus humanum faſtigium exceſſerit. En autem clariſſimum

Lipſius Cent. II. Epiſt. Miſcell. epiſt. 46.

mum jactantiæ Scaligerianæ documentum, h. e. epiſtolæ, paulò ante ſummum diem ad Ferrerium manu alienâ exaratæ ἀποσπασμάτιον qvod (Spondano judice) nemo unquam poterit abſqve nauſeâ vel indignatione legiſſe, qvi non eàdem vertigine laboraverit: *Pugnavi* (ſcripſit ille) *pedes, eqves, adoleſcens, miles, juvenis, præfectus, certamine ſingulari, in obſidionibus, in campo civili, ad ludos eqvitum ordinarios, in excurſionibus, in exercitibus, ſæpius vici, aliqvando victus ſum, corpore non animo, non virtute ſed fato, ſed ita ut etiam adverſi caſus ipſi majori mihi fuerint honori propter egregia facinora qvam ipſis hoſtibus victoria, loca infinita non deſignabo. Familiæ noſtræ merita a Taxili uſqve temporibus erga Regnum Gallicum ad meam uſqve operam notiſſima ſunt. Qvod ſi exempla non ſunt odioſa, poterit illius erga me amor ejus animum eò impellere, ut ſimul & Maſſiniſſam & Xenophontem componat, qvorum utriuſqve idea VIX ME UNUM EXPRIMAT. Vides qvā RIDICULUS mihi factus ſim, qvum vix CENTESIMAM qvamqve partem delibarim. -- Familiam meam qvotuſqviſqve doctiorum neget, ſi nobilitas in vetuſtate ſita eſt, ESSE OMNIUM NOBILISSIMAM? cujus lux in Alani ſplendore ac virtute adverſus Attilam primum effulſit; ſi ad capita Principum*

Spond. Annal. Tom. III. p. 577.

 pum

pum ſpectes, liberalium, magnanimorum, fortiſſimorum, perpauca gentes cum eâ ſint comparanda. Si qvis malit intueri cognationes, deductos nos ſciat multis ex Imperatoribus &c. - - - Omitto frigoris, æſtus, inediæ patientiſſimum, dies integros laboribus fregiſſe, noctes etiam continuaſſe. Hoc multis fortaſſe commune; illud non fortaſſe multis; veſpere poſt expedita diurna negotia ad ſexaginta verſus commentum eſſe, deinde cœnaſſe; poſt cœnam dictaſſe, qvæ ad ægrotorum poſtriduanas præſcriptiones pertinerent, poſtea ſomnum cepiſſe. Summo mane experrectum fremitu nuntiorum, qui opem meam petunt cottidianam interrogaſſe, reſpondiſſe, dictaſſe ſub prandium usq; meridie pranſum, illos ipſos verſus qvos veſpere concepiſſem, ad verbum ſine ullâ heſitatione ſcribi juſſiſſe. Qui hoc non mirabitur, fortaſſe ne illud qvidem, decem & ſeptem Æſchyli verſus ſemel modo lectos ſumma fide memoriter illicò reddidiſſe. &c.

Miratus qvidem Lipſius ſuperciliosa hæc Scaligeri de ſe ipſo effata tantoperè fuit, ut in
Lipſius Cent. II. Miſcell. epiſt. 44.
peculiari ad Janum Douſam epiſtolâ, eum in gloriam & miraculum ævi ſui natum enunciarit: Alii verò non præter rem, Scaligerum ſolidis artibus ſcientiisqve ſuis longè laudatiorem extitiſſe judicarunt, qvam propriâ ſua jactantiâ de natalibus, geſtis bellicis, aliisqve dotibus, qvas ſibi vindicare tribuereqve loco jam jam memorato neutiqvam dubitavit. At

enim

Digitized by Google

enim vero Scaligerianam illâ jactantiam longiſſime ſupergreſſus eſt THEOPHRASTUS PARACELS⁹, dum Galeni ſectatores exagitaturus, in *Paragrano ſuo* in hæc prorumpere verba non dubitavit: *Hoc ſit vobis dictum, ſtultiſſimus pilus occipitii mei* [erat etiam recalvaſter] *plus ſcit, qvam vos & omnes veſtri ſcriptores; & calceorum meorum annuli, ſunt doctiores, qvam veſter Galenus & Avicenna, & barba mea plus experta eſt, qvam omnes veſtræ Academiæ; qvin & horam ipſam ſentiam, qvando ſues vos in luto trahant!* En, extremam hominis ex gloriæ inanis ſtudio dementiam! Majorem longè apud bonos gratiam ex gloriæ vanæ contemptu feliciſſimus ille Literatus JOH. LUD. VIVES eſt conſecutus, utpote qvi memorabili qvâdam ad Deſ. Eraſmum epiſtolâ, nihil ſe encomiis laudibusq; eruditorum motum fuiſſe teſtatus eſt, qvinimò nominis opinionem meritis longè ſuperiorem ſe obtinuiſſe graviter indoluit; *Hæc me* (en verba!) *qvidem conſolarentur, ſi in verâ eruditione ac ſapientia obſcurus eſſem: nunc autem clarior ſum qvam plerumq; vellem, ne meam à rebus omnibus inopiam tam multi ſpectarent, ac ſcirent, & IMPERITIAM meam tantam eſſe video, ut illam profiteri præ pudore cogar, ut qvod alii deprehenſuri ſunt, ipſe minore culpâ præ me feram. Scripſi tamen primùm ætatis calore impulſus, deinde qvia tenet inſanabi-*

J. Lud. Vives Tom. II. opp. p. 967.

le multos ſcribendi cacoethes, ſed meum ſanabo, ut ſpero—*VALEAT GLORIA SI TANTAM IMPORTAT SERVITUTEM.*

Idem de tradendis diſciplin. lib. V. Tom. I. opp. p. 520.

Qvam peſtem idem Vives alibi graphicè delineaturus; *Sunt* [inqvit] *alii qui ſtudiis non pecuniam venantur, ſed gloriam, generoſius ſanè quiddam fateor, verum quæ ut in adoleſcentiâ & juventute maximos ſubdit ſtimulos ad honeſtas actiones, ita multorum deinceps eſt malorum cauſa & origo, ſicuti alias oſtendi; quod omnia oculis intuentium tribuimus, nihil conſcientiæ, quâ non aliud qvicqvam de nobis judicat incorruptius. Ideoq; ſpe jam perceptæ gloriæ ſæpenumero decidimus, quod qui falſo de nobis judicarat, errorem ſuum poſt intelligit; aut falli incipit, qui rectè; etſi crebrius evenit, ut deceptæ exiſtimationes vertantur in melius, qvippe res veras ſolidasq; tempus confirmat, inanes autem diſſipat, & abſumit. Quocirca nemo ſe gloriam impoſterum aſſecuturum confidat pravo viventium favore, & ſpecie qvâdam præclarorum operum. Nam extemplo ſimul affectus illi incitati ſubſederunt, in eorum locum judicium ſubit & quidem exactius, itaqve multos in vita honoratos accepimus, ignobiles & contemptos poſt fata; accedit huc, quod uti dicebam modo, opinionum commenta delet dies, recta judicia corroborat.*

III. Sicuti verò cunctis Literati Orbis incolis ſollicitè cavendum eſt, ne à vero doctrinarum

narum ſcopo unqvam aberrent, aut vanæ & inanis gloriæ imagine capiantur ; ita ECCLESIASTICOS cumprimis Viros, Deoqve ſacratos Doctores ea cura verſabit, ne ulla honoris ſecularis cupido vel ſacra tractantes invadat, vel cauſam fidei & religionis agentes extimulet. Pudenda ſanè res, ſi hierophantæ plauſibus vulgi tantoperè delectentur, ut extremæ perditionis aleam propter eos ſubire non dubitent. Horrendũ vaniſſimi cujuſdã, & GLORIA INANI tumentis Eccleſiaſtæ exitium Theophilus Raynaudus, in Prato ſuo ſpirituali ſive *Centuriâ Hiſtoriarum ævi noſtri memorabilium* prodidit, altiusqve id ipſum miſerrimis gloriæ vanæ mancipijs dedit expendendũ. *Luctuoſa prorſus* (en verba Raynaudi!) *& neſcio an unqvam audita fuerit ECCLESIASTÆ cujuſdam vanitas, imo vaniſſimi gloriæ animalis rabies furioſa, qvæ media qvadrageſima anni 1657. Favonæ ad Ligures accidit: Concionabatur ea in urbe Religioſus, veſte tenus ut eventus docuit. Nomen Ordinis conſultò premo. Cum parum faventem experiretur auditorem, & vaſta templi capacitas, adeò infreqventi concurrentium numero poſſet vacua videri; poſt aliqvam ad mediam uſqve qvadrageſimam, qva incitando, qva urgendo, moram, cum nihil proficeret, & ad parietes caſſo labore diceret, patientiam læſam in furorem vertens, exſcendit è ſuggeſto, & in cœnobium regreſſus,* *omni-*

Extat hoc Raynaudi pratum Tom. XVII. opp. p. 610.

omnium concionum ſuarum faſciculis in unum cumulum adunatis [& erant mole haud qvaqvam exigua] ignem injecit, unde luculenta flamma eſt excitata, cujus fumus viciniam ſecularem incendij late graſſaturi periculum veritam, permovit ad accurendum. Et ecce ferale ſpectaculum ! Nec dum plane conſumtas chartas reperiunt, & miſerum concionatorem in ſangvine ſuo natantem ; Adegerat qvippe ipſe ſibi intra ilia ſicam præ deſperatione, negati applauſus, & tanta ad conciones ſuas ſolitudinis. Sacerdos, ut nondum-mortuum excitaret ad dolorem de tanto ſcelere, Biothanatum, omni conatu laboravit, & morienti abſolutionem impendit. An ipſa qvoqve pœnitentia (ut cum Auguſtino dicam ſit mortua, Deus ſcit, eo melius dijudicabunt ſodales Cyriaci (Dominicani) *qvi affuerunt, & triſte ſpectaculum ſuis ipſi oculis hauſerunt.* Heu prodigioſam cœcitatem ! Tanti ne erat confertam multitudinem adeſſe dicenti, ut eo ardenti deſiderio fraudatus, in ſe inſurgere, & corpus ſimul ac animam aperto exitii æterni diſcrimini committere deberet, homo nomine ac veſte tenus religioſus ? Advocetur Chryſoſtomi tuba ad deteſtationem ſuperbiæ omnium malorum principis, in qvod valentiſſimè homiliâ de deſperatione & ſuperbia conclamavit. Perpendant ejus farinæ vaniſſimi præcones qvod ſanctiſſimi æqve ac prudentiſſimi Viri pridem monu-

Chryſoſt. Homil. de deſperat. & ſuperb. confer hom. 2. in Job. & hom. in 1. ad Cor.

monuerunt, ſcil. *provido concionatori vel unum auditorem ſatis ſuperqve eſſe debere*; ſiqvidem Chriſtus ipſe, Concionatorum omnium abſolutiſſimum exemplar, unicâ mulierculâ ad fontem Jacobi præſente, concionem longè nobiliſſimam habuerit. At verò à tanti Doctoris exemplo & inſtituto abhorrentes eccleſiaſtæ, glorioſæqve litantes vanitati, adeò à tramite veræ felicitatis aberrant, ut monſtroſè & perditè inſaniant. Nonnè eleganter componi poſſent, cum illis, *qvi* (ſcitè dicente, & ſalsè ridente Dione Chryſoſtomo) *ob umbram ſuam grandeſcentem efferuntur*? Etiamſi apud ſtultam plebeculam mirabiliarii audiant, ita ut nunqvam ſic loqutus ſit homo, haud abs re tamen ab emunctæ naris auditoribus imperitiæ damnantur & aſinitatis. Non eqvidem vulgi fallacis & inepti eſt, de concionatorum doctrinâ dotibusqve ferre calculum, nec hili, rudis popelli, de ſapientiâ & eruditione judicium eſt æſtimandum. Longâ id ipſum, de falſitate gloriæ diſputatione confirmavit D. Auguſtinus, Chriſti de Spiritu S. dictum illuſtraturus; *Ille me clarificabit, &c.* *Eſt* (ſcribit ille notanter) *etiam falſa gloria, qvando laudantes* ERRORE FALLUNTUR, *ſive in rebus, ſive in hominibus, ſive in utrisq́. Nam in rebus falluntur, qvando putant id bonum eſſe*

Dio Chryſoſt. Orat. 24. conf. Orat. 27.

D. Aug. tract. 100. *in Joh.*

quod malum eſt; in hominibus autem, quando putant eum bonum eſſe qui malus eſt; in utriſq; verò, quando & id, quod eſt vitium, virtus putatur, & ipſe qui propter hoc laudatur, non habet quod putatur, ſive ſit bonus, ſive ſit malus. Donare quippe res ſuas hiſtrionibus, vitium eſt immane, non virtus. Et ſcitis de talibus quam ſit frequens fama cum laude, quia ſicut ſcriptum eſt, laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Hi laudatores non falluntur in hominibus, ſed in rebus: malum eſt enim, quod bonum eſſe credunt. Illi autem, qui hoc malo largitionis vitioſi ſunt, tales utiq; ſunt, qui quales eos hi qui laudant non ſuſpicantur eſſe, ſed cernunt. Porrò ſi ſe quiſquam juſtum fingat, & non ſit, ſed totum quicquid coram hominibus laudabiliter agere videtur, non agat propter Deum, hoc eſt propter veram juſtitiam, ſed ſolùm quærat & diligat ab hominibus gloriam; Illi autem apud quos frequens eſt ejus fama cum laude, non eum putent niſi propter Deum laudabiliter vivere, non falluntur in re, ſed falluntur in homine; quod enim bonum eſſe credunt, eſt bonum,

ſed

Digitized by Google

ſed qvem bonum eſſe credunt non eſt bonus. Ita præclarè more ſuo de falſitate gloriæ diſputavit D. Auguſtinus, hiſqve collactea habet in allocutione ſua ad Dioſcorum, qvem à captando tam ventoſo, inani, ac tumido improvidorum pabulo hunc in modum eſt dehortatus : *Ecce jam doctiſſimus atqve acutiſſimus diceris! ecce jam te laudibus in cælum graculus flatus attollit! tu tantum memento gravitatis tuæ, & illam mereri laudem qvo fine volueris ; ut ſcilicet eos, leviter levia iſta miratos, & benevolentiſſimè atq; avidiſſimè jam in tua ora ſuſpenſos, graviſſimum aliqvid ac ſaluberrimum doceas, -- Ridiculum eſt enim, cum propterea ſuperflua multa didiceris, ut Tibi aures hominum ad neceſſaria præparentur, ipſa neceſſaria non tenere, qvibus excipiendis eas per ſuperflua præparaveris, & dum occuparis, ut diſcas unde facias intentos, nolle diſcere qvod infundatur intentis.* *Auguſt. epiſt. 56. ad Dioſcor.*

IV. Non deniqve prætereundum eſt Os aureum, qvod copioſè non minus qvam ornatè typhum iſtum fallacem atqve extremam vaniſſimorum ex ſacro etiam Ordine mortalium dementiam eſt proſecutum : *Contendebant ſemper cum Chriſti diſcipulis diſcipuli Johannis, etiam apud Chriſtum &c. -- Qvid hinc* *Chryſoſt. hom. 28. in Joh.*

hinc erudimur? Quod omnium malorum cauſa eſt gloriæ inſania, hæc illos in contentionem traxit, hæc temerario auſu excitavit, ut ad JESUM venientes dicerent; Quare diſcipuli tui non jejunant; fugiamus hunc affectum dilectiſſimi, ut gehennam fugiamus, hic namq; maximè ejus ignem accendit, hic diaboli undiq; titionem propagat, hic ætatem & dignitatem omnem ſæviſſimo premit imperio, hic ECCLESIAS huc illuc diſtrahit, hic civilia opera corrumpit, domos funditus, civitates, populos, gentes evertit; etſi in deſertum venerit, multam & illic vim oſtendit. Nam qui ſæpenumero pecunias, & Mundi illecebras, & violentiores corporis voluptates valere jubent, hi nonnunquam inani gloriâ capti, omnia perdiderunt -- Id autem quærendum eſt, quo pacto vincamus (ſc. illum affectum) *quomodo igitur poſſumus? Si gloriam gloriæ comparabimus. Quemadmodum enim terrenas divitias contemnimus, cum alias ſperamus divitias, ita & hujus vitæ gloriam, cum longè majorem, & veram gloriam conſectabimur, contemnemus. Hæc namq; inanis & ſtulta eſt, & nomine tan-*

tantum, non re gloria; illa verò cæleſtis, vera, qvæ non homines, ſed angelos & archangelos, & angelorum Dominum, imò & cum his etiam homines laudatores habet. Si illud ſpectaculum contemplaberis, ſi illas coronas noveris, ſi ad illum plauſum te transtuleris, nunqvam adverſum te terrena poterunt prævalere; neq; hæc magnifacies, ſi habebis; ſin minus, non qværes. Etenim in hujus ſeculi Regiis nemo ſatellitum, iis omiſſis, qvibus coronato Regi, & in ſolio ſedenti placeat, graculorum voces, muſcarum & culicum obvolantium ſtridorem proſeqvitur; neq; enim iis ulla ex parte potiores hominum laudes inveniuntur. Humana igitur intellectâ miſeria, omnia in tutiſſimos recondamus theſauros, & manentem & incorruptibilem gloriam inqviramus. Utinam eam omnes divini Verbi Præcones conſeqverentur, & vanitate illâ infami [ob qvam antea memorat⁹ Concionator horrendi adeò exitii aleam ſubiit] abdicatâ, veracis ſempiternæqve gloriæ poſſeſſores evaderent!

V. Revocent hæc ad animum ſuum, præter Eccleſiaſt. Viros docti omnes atq; ſinguli, & qvam exile bonum gloria humana FAMAq; diffuſa ſit, qvamqve inanis & fatua umbræ

ejuſ-

ejuſce conſectatio, etiam atqve etiam conſi derent. Nil eqvidem imperfectius famæ bo no, nihil tenuius, & ad explendam homini literati indigentiam ineptius, nil deniqve fugacius. Siqve non aliunde ſumma eius imperfectio eſſet perſpecta, abunde ſeſe proderet in eo, qvod alienis duntaxat judicijs & plauſibus peregrinis nitatur. *Exiſtimatio de nobis* (inqvit præclarè Simplicius) *non ſita eſt in nobis, qvamvis occaſiones qvaſdam ei præbeamus ipſi, ſed in ijs qvi de nobis exiſtimant. Penes enim eos eſt, exiſtimantqve qvidqvid volunt. Itaqve ſæpè cum Numen impiè violent, & ſibi ipſi & alijs religioſi videntur. Contraqve alij qvi honeſtius & magnificentius de Numine ſentiunt, & humana qvadam & imperfecta de eo profiteri recuſant, à nonnullis impii exiſtimantur; & frugi homines, qvidam bardos exiſtimant: ita nec gloria noſtri arbitrij eſt, ſed illorum qvibus hoc aut illo modo ſentire de nobis libuit.* E qvibus Simplicij verbis facilè colligere licet, qvam ineptum ſit, evanidi adeò boni flagrare cupiditate, & lingvis humanis tam ruinoſa gaudia conſtruere, ſiqvidem humana judicia non flaccida modo & nutantia ſint, verum etiam pro voluntatis depravatione & varietate affectuum, nimium qvantum à vero deflectant. Nimirum, cum judicia noſtra externam rerum faciem & tectorium qvaſi, neutiqvam prætergrediantur, mirum

Simplic. ad cap. 1. Enchir. Epict. edit. Salmaſ. 1640.

nos

non eſt, qvod falſa nobis freqventiſſimè vel volentibus excidant. Depravati ut plurimum ſunt mortalium in alios affectus, nunc invidiâ, nunc odio, nunc metu potentiorum, nunc comodo privato, nunc præpoſtero etiam amore liberum ac ſincerum de proximis judicium intercludente. Vel ſola ignorantia & curta ingenij ſuppellex, ſanæqve defectus [qvo plurimi laborant] rationis, clariſſima glorioſæ illi⁹ vanitatis indicia ſuppeditant. *Qvinam ſunt illi,* (ait apud Arrianum Epictetus) *apud qvos expetis eſſe in admiratione? Nonne hi ſunt, qvos ſoles appellare inſanos? ergò vis ut te inſani admirentur?* Similiter Dio Chryſoſtomus, laudari à fatuis, qvale ait eſſe vulgus, nihil prorſus à vituperatione differre pronunciavit. Seneca item; *Qvanta dementia* (ait) *eius eſt, qvem clamores imperitorum hilarem ex auditorio dimittunt. Qvid lætaris, qvod hominibus iis laudaris, qvos non potes ipſe laudare?* Eamqve ipſam ob cauſam D. Auguſtinus, Dioſcori ſui felicitatem, ex lingvis hominum pendentem, ſollicitè abrumpere, & cuidam ſedi omninò inconcuſſæ ſtabiliqve religare aggreſſus eſt, finem illum præclarè vocans *nugatorium, ventoſum, inanem, inflatum tumore, ſub qvo etiā tabes gignatur; & pupillamentis ad non videndam opulentiam veritatis offuſum.* Taceo anguſtiſſimos famæ etiam optimæ limites, (ſive

Arrianus in Epict. Enchir. lib. 1. c. 21.

Dio Chryſoſt. Orat. 24. in fin.

Sen. ep. 62.

Auguſt. ep. 56.

(ſive tempus, ſive locorum ſpatia ſpectemus qvippe qvos alibi operoſius paulò ſumus proſecuti, graphicè qvoqve deſcripſit Boëtius ſecutus Tertullianum, qvi ſummam famæ inſtabilitatem verbis ſignificatiſſimis dedit demonſtratam. Breviſſimè ſed elegantiſſimè Seneca; *Profꝛ.nda ſuper nos* (ſcribit) *alt[...]ida temporis veniet; pauca ingenia caput exerent, & in idem qvandoqve ſilentium abitura, oblivioni reſiſtent, at ſe diu vindicabunt.* Et in eundem ferè ſenſum Antoninus, *exiguum ſanè tempus* (inqvit) *qvod vivit qviſqve; perexiguus etiam terra in qvo vivitur angulus. E-riam longiſſima poſt obitum fama exiguum e[ſt], qvæ & ipſa per ſucceſſionem conſervatur homunculorum, mox moriturorum, ac ne ſe qvidem ipſos cognoſcentium, ne dum eum qvi jam pridem fato conceſſit.* Alia atqve alia ſcriptorum inſignium loca de famæ jeiunitate adſcribere poſſemus (eiusqve inſufficientiā, ad explendā ſc. appetitus noſtri vaſtitatem) ni laudata documenta ad noxium illum famæ pruritum, exiſtimationiſqve diffuſæ famem retundendam adprimè ſufficerent. Silentij tamen peplo minimè involvenda fuit memorabilis qvædam GEORGII NICCOLASSII Epiſtola, qvâ *ſolam virtutem, ævo & memoriæ hominem literatum conſecrare*, eruditè non minus qvam piè & eleganter demonſtravit:

GEOR-

Conf. Coment. III. de Cenod. Liter. paſſim.

Boetius II. de conſol. philoſ. proſa 7. anguſtos famæ limites tũ qvoad locum, tum qvoad tempus luculentiſſimè expoſuit, locum ipſum inſpexiſſe non pœnitebit.

Tertull. Apolog. c. 7. Sen. Epiſt. 21.

Antoninus lib. III. de vita ſua num. 15.

GEORGIUS NICOLASSIUS Lib. 1. EPIST. ASCETIC. XVII. P. 67. SEQQ.

SOLA VIRTUS ÆVO ET MEMORIÆ HOMINEM CONSECRAT.

ERgò morti nati ſumus, dubii & præcipitis ævi: cur capimus animo poſteritatem, magnitudine cogitationis nimium levati? Arrogans perſvaſio eſt, temeraria præſumptio, ſtulta credulitas. VIRTUS una ſeculis duratura componit. Qvod ab arte & fortuna venit, fata in manu habent, tenui filo ſuſpenſum: Virtutis catena adamantina eſt, qvam Parcarum forfex non incidit: qvicqvid innexum huic aut involutum, durat memoriæ conſecratum & poſteris. Oſtende ſis hodie Romanæ magnificentiæ admiranda illa, qvæ famæ dedicavit ambitioſa Antiqvitas, arcus, trophæa, columnas, porticus, theatra, amphitheatra, naumachias,

nymphæa, palatia, thermas,circos,pontes, vias, portas, coloſſos, ſtatuas, aſylon, Capitolium, Auguſtorum ſepulchra, pyramides, obeliſcos, talia innumera; lucerna indigeas claro die ſcrutandis veſtigiis; in ingluviem deſcenderunt vetuſtatis, devorantis omnia, nec niſi nomine ſolo in Orbe amplius, qvære. Virtutis & ingenii monumenta, facta illuſtrium heroum præclara & inſignia, res viriliter & animosè, conſtanter & intrepido animo patratas, tanqvam in primo flore adhuc ſunt, vigent, vivunt, intacta ab oblivionis falce; fortitudo enim peperit & magnanimitas æternam prolem. Da Sapientiæ Antiſtites, omnium manibus adhuc teruntur, velut recens nata eorum opera, vicenis tricenisqve ſeculis evolutis. Nunqvam exſiccatur ellychnium hujus lampadis, qvam Virtus accendit vivaci flamma, pingvi ſucco nutritum creſcentis gloriæ, qvæ & ipſa immortalis penè à bona ſtirpe, fructus aut merces virtutis; à ſolida enim radice aſcendit in perfectum robur, qvod par ſit ſuſtinendis ævi injuriis, nec metuat

famem

Digitized by Google

famem temporis, cujus dens comminuit, ac deglutit venter univerſa. Magnum ſolatium eſt homini, propagandi nominis ſecundum merita præviſa ſpes, ſi ſuperſtes aliqvid poſt oſſa relinqvat in terris, qvod brevis urna non poſſit capere. Beatum hunc pronunciem, cujus mors ita cognita, ut vivere tùm primùm verè incipiat, cum ſepulchrali lapide preſſus, ex oculis in memoriam tranſiit, honorifico & ſpiranti præconio. Qvis ardentem in laterna candelam tectam dixerit, dùm circumfuſam lucem rebus communicat? Tale ſepulchrum laudati Viri, opertum & ex abdito lucet: marmor non capit nec aggeſtus terræ, qvin exiliant honoris ſcintillæ & diffundant ſe. Inglorius jacet qvem nudum ab hoc virtutum comitatu flagitia ſeqvuntur, & vel oblivio excipit, vel nobilitat ignominia, exemplum & ſcandalum ſeculi. O qvàm mallent & ipſi tales in litura & ſilentio eſſe ſua nomina! Inter vivos ſunt, ſed in turbida nocte, velut ſpectra qvædam ac lemures, ut terreant & offendant. Nemo mihi famam hîc nominet, ſed plu-

rium ætatum conſenſu teſtatum dede
cus; nemo ſtatuam erigat his talibus
aut vexillum in Templo honoris ſuſpen
dat; velut rotam in trivio, aut in famem
furiam aſpicias, ubi dantur execrationis
ac publici odij deteſtanda monimenta.
Non indiget virtus adventicio aliqvo &
externo fulcro perpetuandæ gloriæ: pro-
priâ ſe mole ſuſtinet ac probat ſeris ne-
potibus, admiratione ſui in omnium ani-
mis concitata, atqve æmulandi ſtudio.
Paucis contingit hæc felicitas hodie,
dùm averſa via qvilibet graditur, qvæ
non ducit ad ſacrum illud & auguſtum
Euphimiæ delubrum: Chryſæa revo-
cat, ſpecioſa meretrix cum pera ſua ta-
lentis gravida. Seqvimur ô pleriq; qvam
prompti, qvam proni! Trahit auri ful-
gor, qvi tamen ſicut lignum ſcintillans
noctu ſolem non fert, exile enim qvip-
piam fovet in ſe putridi humoris, qvod
majori igne tactum evaneſcit. Et in me-
tallo qvid aliud? Retunditur ſplendor
virtutis præſentia, cujus magna & æter-
na qvædam lux eſt. Nunqvam vidiſti
jucundum illud ludentium puerorum
ſpecta-

ſpectaculum, cum raſo ſmegmate aut ſevo impinguant pauxillum aqvæ vaſculo infuſum, & ex eo modicum qvid attractum culmo difflantes, in ingentes ſæpè globos, diffundente ſe lentore lubricæ ac viſcoſæ materiæ, ſine arte & labore tornant? Ut colorem mentiuntur volitantes illæ bullæ, & purpureum cum viridi atqve aureo miſcent? ut vitreum qvid & criſtallo ſimile referunt? Cæleſtes orbiculos dicas, ni deſint ſtellæ. Sed crepant repentè ſub manu fingentis, ſpiritu nimium intendente; atqvi ubi rupturæ ſignum? ubi imago ſic eleganter conflata? da veiſtgium, oſtende locum, fragmenta collige. Fuerunt; unum hoc tenes. Conſidera iſtos argyrophilos, nonne ſimiles nugas exercent? Ventoſis occupantur, & in vacuo ſuſpendunt ſuas delicias, forma & colore decepti, qvæ fallaci ludibrio dùm tractantur, fugiunt.

COM-

COMMONEFACTIO XIIX.

INFELIX FAMÆ CAUPO, FUNESTO ALPHONSI CICCARELLI ITALI CASU EXITIOQVE MISERABILI PRODITUS;

SIVE

LITERATI IMPOSTORIS ET NUGIVENDULI TRAGOEDIA MEMORABILIS.

Ad Commentat. III. Num. IV. ſeqq.

I.

PRodiit qvinto ævi currentis luſtro in Italia, erudita admodum de RATIONE CAUPONANDI FAMAM, authore PAGANINO GAUDENTIO, diſſertatio, qvâ author famigeratiſſimus, pudendas doxophilorum artes miro ingenii acumine detexit, atq; Literatorum, ex præpoſtero & pernicioſo GLORIÆ INANIS aucupio infeliciſſimorum calamitates, Orbis univerſi obtutui luculentiſſimè expoſuit. Conſtat eqvidē, eā ipſam

Digitized by

pſam FAMÆ CAUPONATIONEM authori feliciter adeò ceſſiſſe, ut de reſumendo labore ſeria conſilia agitarit, & ad conſcribendã appendicem memorabilem adpulerit animum. Perſpiciet ex eâ avidus cupediarũ ejuſcemodi conſectator, qvam latè pateat noxiæ & vitioſæ illius Cauponationis regnum (usqve adeò, ut nulla ſit literatæ vitæ pars, qvam varia ratione non attingat,) atqve hinc tanto diligentius eorum dementiam devitabit, qvi futili garrulitate & caſſis laboribus famam inter eruditos ſolent cauponari. Sigillatim Gaudentius NOVATORES perſtrinxit, (qvi neglecto tramite per qvem Viri ſapientes inceſſerant, ad avia dogmatum & anfractus exitiales digredi ſolent) PUSILLOS item CRITICOS, STENTOREOS GARRULOS, turgidosqve & jactabundos doxoſophos graphicè adeò coloribus ſuis depinxit, ut nullo negotio dignoſci poſſint. Neſcio autem qvo fato laudatus author eo opere præterierit Gentilem ſuum, infeliciſſimum illum famæ pararium, ALPHONSUM CICCARELLUM, qvem inſana gloriæ cupiditas tantopere occæcavit, ut triſte propter illam, & famæ & vitæ periculum ſubierit, tandemqve carnificis manu ſit interemptus. Poſtqvam ſcil. eò veſaniæ deveniſſet, ut ſcriptis ſub aliorum nomine confingendis & evulgandis operam peſſimam impendere, necnon EMEN-

TITIS ſuis Manuſcriptis, Antiqvitatibus, Actis, atqve Monumentis Orbi imponere conaretur, deniqve INSTRUMENTIS hæreditatum & familiarum noviter excogitatis, turbas vehementiores duceret concitandas; factum, ut ultimo eoqve juſtiſſimo Romæ (Gregorio XIII. Pontifice) affectus ſit ſupplicio, reſectâqve prius manu ad palum ſuffocatus & combuſtus.

Leo Allatius in append. ad fragmenta Antiqv. Etruſc. pag. 255. ſeqq.

II. Non malè Leo Allatius obſervavit, Infeliciſſimum hunc Ciccarellum, priſco illi impoſtori Annio Viterb. uti confidentiorem, ita qvoqve longè pernicioſiorem extitiſſe; ſiqvidem Annius antiqvitatem denſiſſimas inter tenebras latentem, per compoſita mendacia in abſtruſiorem caliginem conjecerit; Ciccarellus verò, recentiorem hiſtoriam, qvodam ſuo lumine conſpicuam, miſeris modis convulſam conſpurcarit; ille rem incertam deturbarit, hic jam patentem, & plurimis Virorum proborum teſtimoniis confirmatam hiſtoriam detruncandam duxerit, imò penitus extingvendam. *Non narro ſomnia* (ita Allat.) *hiſce noſtris temporibus, quæ à Ciccarello non ita longe abſunt, ex vili plebeculæ non minima pars, & ex illis, qvi ſe diſciplinas ingenuas profiteri fatentur, quiqve nobilitatem inhiant nonnulli, fraude hominis nondum comperta, adeo laboribus Ciccarelli addicuntur, & fidem præſtant, ut in rebus enarrandis*

dis, & Familiarum ſtemmatibus digerendis, præ uno Ciccarello, illiusqve monumentis, qvæ ſemper in ore habent, & diligentiſſime ſibi conqvirunt; nullius alius teſtis illis potior ſit. Prudentes rem vident & ſtupent, & non ſine lacrymis; quandoqve etiam irriſione hominum vecordiam deteſtantur: cupiuntqve libros aboleri, ſed fruſtra, qvando jam illi anxiè tanqvam theſauri exſcribantur, & in Bibliothecis etiam, ſi Diis placet, locum habeant. Qvandoqvidem verò omnem infeliciſſimi Ciccarelli tragœdiam Allatius eo potiſſimum fine primus evulgarit, ut literati, conſimilium umbrarum tenebris obnupti, ſerenatæ mentis oculos tandem aliqvando aperiant, & funeſtis adeò caſibus edocti, ineptire deſinant; non potuimus tam memorabilem, & huic loco tam accomodatam narrationem (qvam famigeratiſſimus ille Leo *Antiqvitatum Etruſcarum fragmentis* adtexuit,) velle præteritã. Non omnem qvidem ſumus exhibituri, cum paulò diffuſior ſit; ſed capita duntaxat (qvæ ad inſtitutum præſens adprimè facere videantur,) ſelectiora fideliter transſcribemus, ſpe freti indubiâ, clariſſimum literati nugivenduli, & ex inſanâ gloriæ cupiditate infeliciſſimi exemplar Orbis conſpectui inde obventurum, ipſiusq; prolixitatis damnum, ſermonis Allatiani gravitate, rerumq; ſcitu digniſſimarum pondere iri compenſatum:

LEO ALLATIUS D[E]
ALPHONSO CICCARELLO,

EX OPERE EIUSDEM LEONIS NO[NDUM] EDITO, DE LIBRIS APOCRYPHIS.

ALPHONSUS CICCARELLUS me[-]dicinæ primùm munus exercuit, e[x] qvo ſe ad hiſtorias componendas, tun[c] inſtrumenta, illiusqve generis ſcriptione[s] contulit: neqve muneris emolumento con[-]tentus, ſpe majoris lucri ad ſcelus & facinu[s] animum convertit: hinc pecunias conge[-]rens, familiarum ſtemmata digerere aggreſ[-]ſus eſt, qvæ ut ſpectabiliora faceret, ad anti[-]qviſſimam originem referebat; & cum ex hi[-]ſtoria non ſuppeteret ſeries, ex capite ipſe ſuo majorum nomina fingere, inter qvos & Sum[-]mos Pontifices per vim trahere, & Cardinales qvi nunqvam fuerunt, pro libitu creare; ur[-]bium & terrarum dominos, copiarum ducto[-]res ſtatuere, dictiſqve ſuis fidem comparans, Imperatorum ac Pontificum diplomata, ac Privilegia componere, qvibus familiarum nomini, & qvos ipſe ſomniarat, heroibus ro[-]bur addebat: ac tandem ne hiſtoricorũ teſti[-]monia deeſſent, auctorib⁹, qvi jam erãt, multa de ſuo addere, multa decurtare; Hiſtorias etiã, hæc eadẽ pertractantes ex integro cõponere,

illis-

illisqve ne ſine nomine vileſcerent, nomen appingere; qvibus ſua dicta eiuſmodi confirmaret. Mox ne omnia innovare videretur, nominibus proprijs, qvæ ſine cognominibus incerta vagabantur, qvæ ſibi placebant cognomina, palpum minus cautis obtrudens, apponebat; qvod illi ſæpiùs à Principe Maſſæ, cùm in Laurentio Mediolanenſi Epiſcopo id qvoqve pertentaſſet, Cybis illum adſciſcens, objectum eſt. Mirum dictu, qvantum ipſe ſimili fraude profecerit! Præcipuarum familiarum ſtemmata, & urbium origines hoc eodem dolo conſcripſit.

Hac mercatura non imi tantùm ſubſellij homines, ſed è nobiliſſimis qvoqve, ac ſummis familijs collucentes, dum ſtirpis originem in antiqvitate ipſa obſcuram, minimo diſpendio in lucem erutam vident, proni omnes ferè in Ciccarelli ſtudia ſe dedunt, & de ſuo genere apertiſſima poſcunt oracula, adeoqve ſtemmatum tabulas ex hoc fœculentiſſimo fonte, neglectis proprijs, ac veris conqvirunt: & Ciccarellus generum arbiter, de hoc, atqve alio, ut ipſe de eo majora, vel minora, mercedem tamen exæqvantia, ſomniarat, effundere, dijudicare, ſtatuere, ad hunc atqve illum progenitorem pro libitu amandare. Sed cum in negotio arduiſſimo nimis clara, qvæ ipſe effutiebat, aliqvod poſt tempus, qvibus id negotij erat, viderentur, primùm qvidem ſuſpicio

cio conflatur, deinde ſermo ac fama: qvare una ferè omnes à Ciccarello dictorum teſtimonia poſcere, ſcriptores, qvos ille ad illa confirmanda teſtes advocabat, in dubium vertere, & an illi uſpiam extarent, ſedulò efflagitare. ... Et inter eos providus ac divinus, & qvi è Ciccarelli nugamentis antiqviſſimam ſuam ſtirpem inqvinari magis qvam illuſtrari, examinatis prius Ciccarelli auctoribus, deprehendit, Albericus Cybus, Maſſæ Princeps, fraudem ſubodoratus, cum tandem nullo eos firmo ſtabiliri fundamento videret, ſcribit ad Ciccarellum, ac monet, ut de auctoribus, qvos ipſe in medium afferebat, rationem omninò reddat, ſicubi lateant, & qvonam in loco conſerventur, edicat; ſe illis, niſi eos viderit, fidem præſtare non poſſe; verùm ſi fuerint, redempturum eos bis tanto pluris, qvam ipſe vellet. ... Qvare ingenuè de hiſce auctorib⁹ ſententiam ſuã proferat; eoq; potiſſimũ, qvod Cardinali Sirleto iidem Scriptores ſuſpecti habeantur, cum à nemine eos invenerit laudatos. ... *Sirleti ſuſpicionem*, Ciccarellus reſpondet, *nullam aut tenuiſſimam eſſe: Sic enim ſcriptores omnes in qvacunqve ſcientia, & arte illi ſcripſerint, refellendi eſſent, cum qvos illi laudant Scriptores vetuſtiores, ad hæc tempora nulli ſint: illudqve ſe præter alia mirari maximè, qvod qvi videtur aliqvid in literis ſapere, talia effutiat: licet enim ſcriptores illi hoc tempore*

pore nuſqvam habeantur, non ideo eos allegantibus fides adimitur, ſed augetur, cum, qvæ ipſi narrant, non è propriis, ſed ab aliis fide dignis auctoribus, qvod bonis ſcriptoribus ſolemne eſt, deſumpſerunt. Sic enim neqve Plinio, neqve Plutarcho, neqve aliis innumeris, imò Sacris ipſis Oraculis nulla fides eſſet habenda, cum in iis plures laudantur Auctores, qvi hodie apud nullum reperiuntur, pauciſſimiqve ſint, vel de nomine tantum noti. Qvis enim vel librum Juſtorum, vel librum Bellorum Domini, qvi in Veteri Teſtamento, vel librum Enoch, qvi in Novo commemorantur, & ex qvorum auctoritate fides dictis comparatur, aut penes ſe habet, aut apud alios aſſervari novit? ferèq; omnes in eam eunt ſententiam, hoc tempore nullos eſſe. Qvos tamen ipſe allegat, omnes reperiri in MUNDI BIBLIOTHECA, qvam modò typis exornare ſtatuiſſet, & inter alios Fauuſium & Corellum. Porrò aſſeruit, authores illos utopicos ſcientiſſimis Romæ ab Arcis Præfecto oſtenſos, ſummaqve cum laude approbatos fuiſſe; etſi alii iniqviores aliter ſenſiſſent. Sed qvod magis eſt, ſe certiorem eſſe redditum ab Epiſcopo Luteuano in Gallia in Diegi Mendozæ Bibliothecâ, & in Bibliothecâ D.Guilielmi à Choul in montibus Delfinatus Præfecti, multos ex illis qvos ipſe allegat, reperiri.

Tandemq; ut fidem dictis conciliet, ſcribit, inter

inter alios penes ſe conſervari, *Joannem Selinum, Laurentium Laurentianum, Fabricium Palmerium, Jacobum de Trano & Joannem de Virgilio*; & cum de iisdem curioſius perqviſiſſet, in Urbis veteris Archivo Johannis Selini Compendium, *de rebus Italiæ*, multos abhinc annos in charta pergamena ſcriptum; & Joannis de Virgilio, *de Origine Urbium Italiæ, & Diis antiqvorum ſimul cum Commentariis in Ovidii Metamorphoſes* comperiſſe. Hinc arguere, Scriptores hoſce revera fuiſſe, maximæqve debere eſſe æſtimationis ac pretii, cum multa, eaqve ingentia de Italia & illius urbibus contineant. Et alibi dicit de his iisdem, apud ſe conſervari omnes; & licet anxiè nimis alibi eos conqviſierit, nuſqvam tamen eos reperiſſe. Præterea Hortæ inter alios manuſcriptos, qvos ibi habuit, reperiſſe Chronicam antiqvam, de rebus memorabilibus Umbriæ, qvæ ſcriptores laudabat potiſſimum Corradum Eſſium in ſuis Chronicis de Italia, Chronicam Dominorum de Brunforte, Joannem Selinum Atrebatenſem de memorabilibus Italiæ, Eleutherii Mirabelli Ephemeridas Italiæ, Mauritii Campani Chronicam de Spoletio, Olympiodorum Hamaal de Annalibus Mundi, Johannem Caramanium de antiqvitatibus Orbis, & Epiſtolas D. Gregorii, & Noceriâ item, qvæ ſupra Fulgineum eſt, Chronicam antiqvam

Ita-

Italiæ miſſam eſſe, in qva Dominorum de Brunforte Chronicæ laudantur, aliiqve ſcriptores; in ea Italiæ ruinæ qvaſi penicillo deſcribuntur. Hinc manifeſtum fieri, Fanuſium Campanum, qvi eoſdem & alios ſcriptores laudet, revera fuiſſe, veraqve ſcripſiſſe, cum bona fide dictorum Auctorum verba ac ſentẽtias recitet. Alibi verò dicit, præter unũ Fanuſium & Corellum, qvi in Bibliotheca Boncompagni ſunt, reliqvos in ſua Bibliotheca conſervari. Alibi etiam Joannis Selini librum de notabilibus & memorabilibus Mundi conſervari in Archivo Arcis Capitolinæ. Alibi, cum verum eſſe ſcriptorem, cum laudetur à Campano & aliis: eoqve magis qvod in Urbis veteris archivo librum comperit hoc titulo: *Breve Compendium Hiſtoriæ Italiæ Joannis Selini*, & hic Romæ in Bibliotheca antiqva repeiſſe hos alios tractatus Joannis Selini, qvos alibi absqve nomine auctoris enumerans ait ſe emiſſe in Campo Floræ, *de Regionibus Urbis Romæ, de Antiqvitatibus Romæ, de Familiis Illuſtribus Romanis, & Beroſi Chaldaicam deflorationem.* Præterea Romæ habuiſſe librum Joannis Selini, *de origine antiqva Italiæ, & de ejus incolis ante Diluvium*, & laudari hunc auctorem à Fanuſio & Baccarino, qvi circa annum Domini 1483. ſcribebat, & à Johanne filio Comitis Nicolai de Barbiano. At verò ut Nugator iſte nugas agere

gere deſinat, ſcias, optime Lector, Volumen hoc Selini, in qvo continentur hi poſtremi tractatus, qvorum meminit Ciccarellus, & fatetur penes ſe conſervari ad manus meas perveniſſe: ipſum dum attentius examino, illud mihi obviam fit, de qvo ſanè nemo, dummodo oculos plumbeos non habeat, dubitabit, nomen Joannis Selini titulis tractatuum præfixum, alia, qvam in titulis omnibus characterum formula, alioqve rubenti colore exaratum fuiſſe; ut hinc pateat, tractatulis illis ſine nomine antea vileſcentibus, ad auctoritatem illis comparandam nomen illud excogitatum, præfixumqve fuiſſe: & fraus magis ex fine voluminis deprehenditur, ubi cum ſcriptum eſſet alieno omninò charactere, *Liber Joannis . . . artium Scriptoris*; nomen ſcilicet, & cognomen poſſeſſoris; ac Domini, qvi fraudem fecit, eraſo Joannis poſſeſſoris cognomine, Selini apposuit; qvod manifeſto cuiqve patere poterit: nec alius eſt ille character, qvo Selini exprimitur, qvam qvo Chronica Joannis Petri Scriniarii ſcripta eſt. Idem enim eſt, qvi Chronicam Scriniarii ſcripſit, & Selinum nobis, artium etiam ſcriptorem, ſi Diis placet, ſupponit. Non eſt autem curæ, ut plura hic referamus; ſua ipſe confeſſione Ciccarellus cadit, & fraudem etiam non qværentibus aperit. Is namqve in libello ſupplice ad Judicem apertè fatetur, Chro-

Chronico illi, ſive Hiſtoriæ Manuſcriptæ ex Archivo Monaldi Monaldeſci erutæ, & ex qva Cyprianus Manens ſuam deſcripſerat hiſtoriam, qvod nullum auctoris nomen præferret, nomen Joannis Selini, cum antea nullum eſſet, præſcripſiſſe. Qvanam ergo ratione fieri potuit, ut Fanuſius Campanus, Baccarinus, Nicolaus de Barbiano, aliiqve, qvi multis annis hoc Ciccarelli commentum præiverunt, Joannem Selinum & laudare & illius dictis dicta ſua conſtabilire, ſententiasqve verbatim ex integro deſcribere potuerint? Si dicat Ciccarellus, Selini auctoritates tantummodo dictis auctoribus, qvi antea extabant, addidiſſe, cætera omnia uti prius erant reliqviſſe: qvid igitur nobis obgannit, & Selinū ſuum tantoperè divenditat? ipſe falſario non credo. Si lucri cauſa Scriptorem nobis integrum Joannem Selinum ſuppoſuit, & reliqvos auctores dictis illius immutavit, cum nunqvam lucri ſitis ex illius pectore egeſta ſit, nunqvam non ſimilia inhiaſſe, & præſtitiſſe exiſtimandus eſt.

Qvid plura perſeqvor? Ipſe palam de ſe dicit in eodem libello, auctoribus multa ex aliis addidiſſe, & ad Principem Maſſæ ſcribit, Corellum & Scagliam, utut eo tempore erant, ab ipſo forte ita digeſtos, & compoſitos, typis poſſe in vulgus emitti: non item Fanuſium, qvi nondum multarum rerum additio-

ne auctior & ſpecioſior factus fuerat. Qvid pro aliis ſcriptoribus reſponderit, infra in enumeratione ſingulorum dicemus. Sed cum tandem Ciccarellus acre Principis in hiſce diſcernendis judicium ferre non poſſet, dubitaretqve, ne injectâ in alios tragula ipſe deprehenderetur, iram ſimulans, qvod illi fides non haberetur, ab amicitia ſe tanti Principis retraxit: minatus, cum jam videret ſua non placere ſtudia, ad alia ſe animum converſurum, curaturumqve, ne in hiſtoria, qvam ipſe moliebatur de familiis illuſtribus Mundi, Ciborum familiæ aliqvod extaret monumentum. Cum præterea ad qvæcunqve commiſcenda eſſet aptiſſimus, ingenioqve polleret, ac ſtudiis, ut ipſe de ſe jactabat, fœcundiſſimis, ad alia qvoqve animum vertit, & Aſtrologiæ operam navans de rerum eventibus vaticinia temerè proferre eſt auſus: & ut hic etiam felicioribus conatibus rem aggrederetur, variis Aſtrologorum, tum Græcorum, tum externorum accerſitis nominibus, Aphoriſmos aſtrologicos è Græca, vel Arabica, vel Chaldæa lingva, ut mentiebatur, traductos, qvibus judicia niterentur ſua, confinxit, & aliis divendidit. Hinc, ut rideas, variis de futuro Pontifice, ſed iisdem formulis ad Seniores Cardinales, & qvos Pontificatus Summi ſpes alebat, conſcribit epiſtolas, monens, ut veluti ſingulare qvoddam ſecre-

tum

ſum in latebris cuſtodiant, nec niſi poſt conſecutum Pontificatum illi oſtenderent; qvi teſſeram adferret, ſimilem teſſeræ literis appoſitæ. Ita per omnia viam ſibi ad parandum lucrum inſtruebat.

Verum enim verò, nugivendulus iſte in rebus ſimilibus, & natura & voluntate, &, qvod magis eſt, jam conſvetudine invaleſcens, ac veluti callum diuturna cogitatione obducens, neglectis ſtemmatibus, tanqvam minoris momenti, ad majora facinora manum & mentem improbè applicat; ideoqve varia inſtrumenta, qvibus familiarum bona ſuſtinentur, confingens, hos qvidē bonis exſpoliat, alios auget, ac ditat: tandemqve ſcelus non ferente Nemeſi, dum inſtrumenta ſimilia variè agitantur, examinanturqve fideicommiſſi cujuſdam, ab eodemmet confictì, falſitate deprehenditur, deprehenſusqve Ciccarellus in phylacam ſub Gregorio XIII rectà abducitur; is cum crimen non negaſſet, falſitatis reus ad ſupplicium ducitur, eumqve carnifex, pri⁹ reſectâ manu, ad palum alligatum laqveo præfocat, & exanimato ignem ſupponit. Alii tantùm capitis condemnatum dicunt. Scrupulum exemiſſet de illius morte hiſtoria ab Adriano Polito, Viro probo conſcripta, cujus ipſe meminit epiſtolâ ad Jugurtham Thomaſium, ſi illius copiam nanciſci potuiſſemus.

Qvomodocunqve tamen ſit, *famoſa morte*, hoc eſt letho malo publico in theatro emoritur; ut ipſe in ſuæ geneſeos themate de ſe divina mente multò antea præſagiverat.

Dicti mei teſtem nullum alium mihi præ Ciccarello ipſo advocabo, qvi hæc omnia in libello ſupplice italicè ad Judicem dato, qvo ſe ab his impoſturis defendere conabatur, ſine ulla ambiguitate, aut inficiatione confitetur, cujus libelli ea ſententia latinè fuerit: *In actis pleraqve continentur, qvæ ipſe confeſſus ſum: inter ea eſt, Donationis Conſtantini Imperatoris confirmatio à Theodoſio Imperatore facta: nam cum ipſe in varijs hiſtorijs, & Annalium Eccleſiaſticorũ monumentis, aliisq; innumeris libris, dictã Conſtantini donationẽ Silveſtro primo Pontifici factã veriſſimã eſſe comperiſſẽ; percuperemq; ſcriptorum veterũ & recentiorum de ea ſcribentiũ teſtimonia in unum veluti faſcem colligere, poſtmodum edere tractatum, de vera donatione Conſtantini contra negantes, & exprobrantes eam: qvandoqvidem Bruſatus in conſilijs de donatione Conſtantini, num --- de communi aſſeverat, negantem eam eſſe hæreticum, & ipſe item legeram, Theodoſium eam Papæ Siricio confirmaſſe; in favorem Eccleſiæ, pro veritate, ex veris hiſtorijs compilavi illud privilegium. Licet enim & maximè in favorem Eccleſiæ elicere veritatem, non ſolum ex veris & Canonicis libris, ſed etiam ex A-*

pocry-

pocryphis, ut probatur per gloſſam Nicolai de Lyra in Epiſtolam Canonicam Judæ Apoſtoli, in qva Apoſtolus allegat Librum Enoch, qvi liber eſt Apocryphus; & etiam Jacobus de Voragine lib. de Vitis Sanctorum, & multi alii Theologi allegant libros Apocryphos pro confirmatione veritatis. Qvare nec ipſe reprehenſionem incurrere debeo, dum aliorum veſtigia ſeqvor, qvi in propriis hiſtoriis, ac monumentis multa à ſe ipſis conficta interſerunt pro confirmatione veritatis. Imò ex iis fuère plurimi, qvi res non veras ſcripſerunt: exempli gratia unam hic referam eamqve maximi momenti: Manifeſtum eſt in nullo Evangeliſta, qvi tamen ſit approbatus ab Eccleſia, haberi Pilati ſententiam contra Chriſtum, & tamen multi eam confinxerunt, moti tantummodo verbis illis, qvę in ſacro textu leguntur, & ſedens pro tribunali lavit manus. *Inter alios Antoninus Archiepiſcopus Florentinus in qvadrageſimo cap. de Paſſione, unam pro arbitrio fingit; Paulus Burgenſis in Paulina, aliis expreſſam verbis aliam comminiſcitur; & Landulphus de vita Chriſti aliam, & alii aliam. Contra eos pronunciat Valerius de Bononia in hiſtoria de Paſſione D. N. J. C. Pilatum in Chriſtum nullam ſententiam protuliſſe, qvam utiq; Apoſtoli non tacuiſſent; divina ſiqvidem ſapientia id nunqvam permiſiſſet, qvod certò tenendum eſt, ut filius ſuus innocens ſententia humana definitiva*

condemnaretur: & tamen ea pro unius cujusq; libitu componitur; neq; propterea illius ſcriptores reprehenſioni obnoxii fuerunt, tantum abeſt, ut pœnas perſolverint: & ipſe, qui rem veram aggreſſus ſum, ex hiſtoriis veris depromptam in favorem Eccleſiæ pro veritate, in judicium vocor. Memini me legiſſe, & palam eſt, ſub Joanne 22. cum hiſtoria Donationis Conſtantini in controverſiam vocaretur, fortunatum eum exiſtimatum, qui pro ea ſcriberet, multosq; eam ſub diverſis verbis confeciſſe, quæ omnes admiſſæ ſunt, auctoresq; remunerati. Et pro Eccleſia, & in favorem Eccleſiæ omnia facienda ſunt, & potiſſimum quæ vera ſunt; pro confirmatione veritatis contra hæreticos. Legi præterea tantùm eum mereri, qui pro Eccleſia ſcribit, quantum ille, qui contra infideles, dum cruciata publicatur, arma ſuſcipit. Meum porrò ſcopum fuiſſe, & eſſe catholicum, liquidò conſtabit ex libro, cui, Scala de Regno Catholico S. R. E. nomen dedi, & inter alia ingenii mei monumenta repertus eſt.

Confeſſus præterea ſum, nonnulla me Imperatorum de mortuorum Privilegia compoſuiſſe: id verò molitus ſum ad decorem Familiarum: namque cum inter legendum reperiſſem prædictas familias multis à dictis Imperatoribus gratiis fuiſſe cohoneſtatas, ea ad aliorum exemplar conſcripſi, quemadmodum multi alii hiſtorici fecerunt, qui de familiis nobilibus atque illuſtri-

ſtribus pertractantes, multa compoſuerunt Privilegia; Qualis eſt Franciſc⁹ Roſieres in Stemmatibus Lotharingæ, Wolfgangus Lazius in lib. de transmigratione Gentium, Franciſcus Sanſovinus in ſuis hiſtoriis, Scipio Ammiratus, Lucas Gintilis, & alii ſcriptores, & hiſtorici; Ideoq; neq; ipſe reprehenſionem mereor, neqve notam falſitatis ſubeo, qvoniam non id peregi contra veritatem, ſed pro veritate in favorem nobilium, & illuſtrium Familiarum, neq; in præjudicium Imperii.

Confeſſus ſum, me libros aliqvos antiqvos ſine nomine habuiſſe; inter eos unus eſt, qvem à Monaldo Monaldeſco acceperam ſine nomine, antiqvus, & in charta pergamena ſcriptus; ex qvo Cyprianus Manens integram ſuam exſcripſit hiſtoriam, ſibiq; adſcripſit, ipſe verò cum librum ſine nomine inveniſſem, Johanni Selino adſcripſi, auctori antiqvo, non mihi vindicavi; qvod multi alii faciunt, qvi libros ſic repertos ſibi tribuunt, majori ſane crimine, ut adnotat Guilielmus Budæus Annotat. prioribus in Jus Civile adverſus Angelum Politianum, qvi, tanqvam ſuum, librũ Plutarchi de Homero evulgaverat, ſicuti multis aliis mos fuit.

Confeſſus ſum, multa me ingenii mei monumenta ſub aliorum auctorum nomine edidiſſe: id verò falſitatem non arguit; namq; id ipſe egeram, qvod aliàs homines ingenui, & non illiberales fecerunt, qvi in aliqva ſcientia conſcri-

pta opera, ſub auctorum illuſtrium nomine e-
vulgabant, ut videre eſt de multis libris, deque
hiſtoricis, philoſophicis, Theologicis, Medicis, &
aliis alias diſciplinas pertractantibus. Marcus
Marcellus Romanorum nobiliſſimus item & e-
ruditiſſimus, qvidqvid ſcribebat ſub aliorum
nomine edebat. Quod bene factum eſſe nemo
inficiabitur: ſic namq; dum alterius judicium
examinatur, qvantum ipſi valeamus conſpicere
poſſumus, hacq; eadem ratione faſtum, & ambi-
tionem, & de noſtra ſapientia inſcitiam cogita-
tionem amolimur: in qvo ſemper ante oculos
dictum Socratis habendum eſt, hoc unum
ſcio, me nihil ſcire.

Confeſſus ſum, nonnullas Genealogias ad mo-
dum tranſſumptorum confeciſſe: eas ex aucto-
rum approbatorum libris, aliisq; ſcripturis e-
rui; idqve ideo feci, qvod in aliis etiam me vi-
diſſe recordor, mente non mala; ſtabilire enim
fulcireqve veritatem cum veritate non eſt alie-
num à jure; qvoniam non fit contra veritatem,
neqve in præjudicium alienum, ſed in honorem
familiarum illuſtrium.

Confeſſus ſum, in nonnullis libris aliqua ad-
didiſſe. Aio me res veras addidiſſe, ab aucto-
ribus veris excerptas; idqve peregi, qvod o-
mnes hiſtorici, Scriptores & Doctores fecerunt,
& faciunt: cùm in qvalibet ſcientia poſſint fieri
appendices, additiones, & alia pertractantia
de eadem re, de Nobilitate Romana, hiſtoriam
com-

compilavi, tribus Tomis diſtinctam: eam ex monumentis variis auctorum & ſcripturis mihi à variis Nobilibus advectis, ut unà ſimul omnia concinnarem, collegi. Si qvid ipſe de meo addidi, pro veritate id dixi: cùm qvidqvid de Romanis dicitur, infra eorum dignitatem ſit, nec tantùm de iis dici poſſit, dici quantum debet; cum totius Orbis nobilitas ab una tantum nobilitate Romana profluxerit, ut apud varios auctores legitur, & hiſtorias tum Gracas, tum Latinas, ac monumenta alia antiqva, & recentiora. Nec dictis meis argumenta deerunt, ſi qvis ea attentius examinare voluerit. His adderem, in hoc, & in aliis rebus, dum laudes exeqvor, gloriamqve familiarum prolato, & in eorum decorem omnia in unum coarcto; qvod cæteri hiſtorici & ſcriptores in rebus ſimilibus perfecerunt, id idem me qvoqve peregiſſe: illi etenim ut laudent, res amplificant, laudandiqve modos omnes proſequuntur. Qvinimò qvi hiſtoriam ſcribit, ſemper laudibus inhærere debet, multaqve ſimul in unum aggerere, ex ipſis conjecturis eruta. Qvod, ſi ad nihil aliud conduceret, poſteris ſaltem deſerviret, qvi cùm rectè facta majorum percurrunt, in id incumbunt, ut ne à conteſtata Majorum virtute degenerent: & Socrates illud continuò in ore habebat, ſemper bene dicendum, ſcribendumqve eſſe de familiis. Præterqvam qvod gloria propria hominis eſt, eaqve poſteris qvoqve eſt adjumento.

Et Cato minor aſſerebat, Majorum ſuorum gloriam in cauſa fuiſſe, cur ipſe virtuti, ac gloriæ operam daret. Quod ſi Romani huic præcepto, adeò neceſſario non attendiſſent, haud facilè dijudicari poſſet, qvanam ratione tot eorum proſtarent memoriæ: ideoqve nunqvam Romana nobilitas finem habebit, nec habitura eſt unqvam. Qvare ſi qvidpiam auctor de familiis illuſtribus pertractaret, qvarum ipſe opprobria proſeqveretur, ortusqve illis viles infamesqve aſſignaret, ne ille hominibus gratus unqvam accederet. Qvod ſi ipſe id ab eo factum deprehenderem, non tantum infamem, ſed punitione etiam dignum illum reputarem, qvemadmodum, qvibus in pectore mica ſalis eſt, reputant. Nobilitas qvippe qvàm maximè homini propria eſt, mirumqve eſt, qvantum homines, dum ſe & nobiles, & laudatos propalari vident, (qvemadmodum ex cauſis, qvare nobilitas hæc in mundum veniſſe aſſeritur, colligitur manifeſtè,) delectantur, ac geſtiunt. JESUS quoqve Chriſtus Servator noſter, ex nobili ſtirpe, ut ex ſacro textu demonſtratur ortum duxit. Idqve ſemper inter legendum occurrit, tum ſanctas, tum profanas omnium populorum nationes nobilitatem in maximo pretio habuiſſe; recordorqve probè Callecos populos, qvi neqve Deum ullum, neqve Numen venerabantur, Nobilitatem adoraſſe, reliqvosqve Deos præter hanc unam neglexiſſe. Hinc ſapientum duo illa effata, qvæ impugnari minimè poſſunt: No-

Nobilitas eſt bonum incomparabile; & Nobilitas eſt gloria immemorabilis.

Confeſſus ſum, me multas multarum familiarũ nobiliũ & nonnullarũ Italiæ urbium hiſtorias conſcripſiſſe. Aſſero me non alia ratione eas compoſuiſſe, qvam eâ, qvæ in ijs auctorib⁹ & ſcriptoribus, qvos ipſe laudo, reperitur: qvod unicuiq; liqvere poterit, pro veritate. Qvod ſi rem adduxi, more aliorum id feci, qvi ſimilia non alio modo pertractarunt, qviqve etiam regulas eiuſdem rei tradiderunt, & qvotidie tradunt. His præterea addo, ſi rebus, qvas ex conjectura, aut vero ſimilibus fingimus, falſitatis, aut erroris nota inurenda eſt, omnino omnes hiſtoricos tum veteres, tum recentiores, &, qvi qvotidie ſcribunt, à tali nota non futuros immunes: cum non ſimilia tantum in illis habeantur, ſed qvod pejus eſt, errores manifeſtiſſimi. Qvicunqve enim ſcribit, errat; & neceſſitate qvâdam, aut hoc modo, aũt aliò in errores labitur. Verumtamen cum errores illi non ſint in fide, neqve in ijs, qvæ credenda ſunt ex præſcripto fidei Chriſtianæ & Eccleſiæ Catholicæ Romanæ, non ſunt errores notatu digni, neq; in aliqvo pretio habẽdi, niſi in nonnullis rebus, qvæ penitus ſunt à veris, & à vero ſimilibus, atqve à conjecturis alienæ. Qvapropter illud attendendum eſt, me pro veritate & recta mente omnia molitum fuiſſe. Qvod ad fideicommiſſa pertinet, attendendi ſunt, qvi me inſtigarunt, & ſeduxerunt, alia-

qve cauſa, qva veſtram ergæ nimis in hiſce rebꝰ pertractandis incautum, miſericordiam reqvirunt, atqve efflagitant. Oro perilluſtrem Dominationem veſtram, ut dictis à me animum conſideratius attendat, & ſiqvidem in alijs dubij reliqvum eſt, vel qvod ſibi animum ſollicitet, ad me referat, cui ipſe Deo favente reſpondebo.

Aſtum, & technas Ciccarelli, miramqve in confingendis inſtrumentis, ac literis Pontificiis induſtriam, ita exagitavit nonnullis abhinc annis Iacobus Grimaldus, opuſculo de ſacro Veronicæ Sudario, & lancea: *Suſpicati ſunt nonnulli Nicolai Rentij, & Caſtaldi Metallini libros eſſe in multis novos, additis commentis ab Alphonſo Ciccarello, qvi acuto ad malum ingenio in adulterandis, & de repente in lucem edendis falſis literis apoſtolicis, inſtrumentis, memorijs antiqvis, characteres imitando, obſoleto dicendi ſtylo, chartam pergamenam certis adhibitis ſecretis, antiqvam repræſentando, mortem ſibi obtruncatione capitis in area Pontis Adriani jure & merito, ſub Greg. XIII. comparavit.* Et Ferdinandus Vghellus, de Antiqvitate, & Hiſtoria eccleſiaſtica optimè meritus, in luculentiſſimo opere, Italiæ Sacræ, ſeu; de Epiſcopis Italiæ Tom. 1. ubi agit de Epiſcopis Peruſinis: *Hic Ciccarellus ægri capitis videtur ſomnia adferre, dum hunc Rudulphum Paſchalis Secundi aſſerit fuiſſe Cardinalem. Ciccarellum ſat fuerit ſub Gregorio XIII.*

Pon-

Pontifice Maximo perverſa hiſtoriæ capitis luiſſe pœnas, qvo minùs jam mortales illum maledictis exagitent, memores ſortis humanæ, propriæqve imbecillitatis, qvæ nullum non ſcelus admittit, ubi ſemel cæcatam rationem depravati ſenſus obducant. Vides qvot, & qvanta Vir iſte in adulteranda hiſtoria auſus ſit, non aliorum teſtimoniis, & conjecturis, ſed ſuiſmet etiam dictis & confeſſione convictus?

Futilibus illius excuſationibus reſponſio inpromptu eſt, ſed nolo *reſpondere ſtulto juxta ſtultitiam ſuam.* Per me illæ ſint, ut volet; nil moror. Id nihilominus certum eſt ex ejuſdem hoc ſupplici libello, multa eum confinxiſſe, multa aliis appinxiſſe, & monumenta ſua ſub aliorum nomine edidiſſe. Qvinam verò ſint ab eo libri confecti, ut ne ex iſta naſſa qviſqvam ſibi unqvam contemptiſſimam æqve, ac perniencioſiſſimam eſcam petat, hic exponemus; idqve tribus Indicibus. In primo apponentur ſcripta ipſius Ciccarelli, ſive typis edita, ſive manuſcripta; ea etiam adnectentur, qvorum apud eundem Ciccarellum, vel alios mentio aliqva extat. In ſecundo digerentur libri ejuſdem Ciccarelli manuſcripti, qvos ipſe dicit conſervari in ſua Bibliotheca. In tertio catalogus ſcriptorum, qvos ipſe ſuis in operib⁹ ad corroboranda, qvæ dixit, adducit; non qvidem omnes ſed ii potiſſimùm, qvorum opera vel jam non

Hos Indices ab Allatio compoſitos, datâ operâ omiſimus, cum ſint paulò prolixiores.

non extant, vel ſuſpectam fidem eſſe in operibus, qvæ laudantur exiſtimant Viri probi: additis ubi fieri poterit ex ejuſdemmet Ciccarelli autographis epiſtolis depromptis ad majorem ſcriptorum notitiam, adnotatiunculis, ſicqve caput hoc de Ciccarello concludemus.

Ciccarellum verò fuiſſe, ut id qvoqve addam, ingenio faceto, & feſtivo, vel ſola inſcriptione, qvam in uxoris nondum demortuæ monumento apponendam ediderat, deprehendimus, ea ex ipſius authographo eſt talis:

Alphonſus Ciccarellus, Menanas, Civis Romanus, ac multarum Civitatum Italiæ Patritius benemeritus, Eqves & Comes Palatinus, Imperiæ Ciccolæ Conjugi incomparabili, dulciſſimæ, pientiſſimæ, caſtiſſimæ, qva vixit annis . . . cum qva vixit annis . . . cum magna dulcitudine, ſomno æternali ſacrum fecit.

Invide qvid gaudes, illa hic mihi mortua jacet.
Illa meis oculis aurea ſemper erit.

COM-

COMMONEFACTIO XIX.

CACOETHES SCRIBENDI SANATUM,

SIVE DE

PRIMA LIBRARIÆ INFELICITATIS ORIGINE ET OPORTUNO REMEDIO,

Ad Comentationis III. Appendicem, DE FELIC. & INFEL. LIBRORUM CONDITORIBUS,

I.

MAxima cum ſit eorum Literatorum ſtoliditas, qvi qvod nocte ſomniarunt, continuò edunt in lucem, neqve ipsâ virium imbecillitate ſuarum, ab arduo ſcribendi munere & onere ſeſe revocari patiuntur; ideò peculiari ſumorum Sapientiæ Antiſtitum lege cautum fuiſſe, in Tertiæ Comentationis appendice notavimus, ne ponderoſum ſcribendi negotium in ſe ſuſpiciat alius, qvam qvi GENERIS HUMANI PRÆCEPTOR, in eâ qvam tractare inſtituit Facultate poſſit appellari. Nec min⁹ providè illi monuerunt, præpoſterū planè eſſe, neglectis & peſſundatis proprijs con-

conſcientiæ rationibus, in alienam incumbere utilitatem, inqve morem candelæ alijs præ lucendo ſpiritu decreſcere, æternumqve conſumi. Cujuſmodi infelicitatis aleam illi cumprimis ſubeunt librorum conditores, qvi id ſolùm agere & eniti videntur, ut volumen ſupra modum turgeſcat & infletur, *paginaqve potius qvam cauſa* [dicente Sidonio] *impleatur.* Etiamſi aurea illi & gemmea operibus ſuis inſerant, placebunt tamen minimè, ſiqvidem ea præter rem intruſerint, pudendoqve ſcribendi cacoethe ita fuerint faſcinati, ut informes ingenij ſui abortus ne peritiſſimorum qvidem hominum judicio ſubmittendos exiſtiment. Hinc eſt, qvod ejus furfuris ſcriptores, ut plurimum in ipſo ſtatim limine graviſſimè impingant; inqve operum malè conſutorum inſcriptione, pudendâ admodum paroramata committant; mox turgidos & ſplendidè admodum mentientes titulos [qvos Seneca *occuliferia* appelavit, ut cum veſtibulum libri inſpexeris, credas eſſe regiam domum, Perſicâ gaza inſtructam, qvo intrandum tibi putes, etiam cum periculo deſerendi vadimonij; ſed cum intraveris ſperatâ illa felicitate penitus excidas] operibus ſuis præmittentes; mox obſcuras adeò inſcriptiones effingentes, ut lector hæreat, nec niſi conſultis interpretibus eas intelligat; mox generales nimis titulos adinvenientes, & omni promiſcuè argumento conſonos.

Sidon. lib. IV. epiſt. 3.

II. Cæte-

II. Cæterum, qvos in ipſorum operũ accuratione nævos, improvidi Scriptores, ſuoqve genio & ingenio [ſpretis meliorum & doctiorum judicijs] unicè confiſi committant, perqvam egregiè JACOBUS THOMASIUS in novis ſuis ad tractatũ *de plagio literario acceſſionibus* oſtendit, primâqve librariæ infelicitatis origine detectâ, VITIA illa, qvæ LIBRIS VULGANDIS PATRARI ſolent, ſecundum vulgata qvatuor cauſarum genera hunc in modum eſt inſectatus: SEPTEM *numerantur vulgò* VITIA CAPITALIA: *atq; ex his Avaritia dividi ſolet à qvibuſdam in Simoniam, uſuram, negotiandi fraudulentiam, ac rapinam. Jam cum negari non qveat, nullum eſſe vitium, qvod non gignatur velut ex fornicatione dæmonis cum animâ peccatrice, qvodq; non diſſeminatum porrò pater hic ſceleſtus cupiat in genus humanum: nata inde fabula qvædam eſt in hunc ſenſum: cum ſic ille pietatis omniumq; virtutum hoſtis auctum ſe prole non unâ cerneret, cogitaviſſe ipſum de filiabus ſuis elocandis:* Superbiam *ergò ſexui fœminarum addixiſſe; ex* Avaritiæ *filiabus* Simoniam *Prælatis Eccleſiaſticis,* Uſuram *Civitatenſibus, (ſic enim ſeculo barbaro, à qvo ad noſtrum derivatus hic eſt apolog⁹, loqvebantur,) & Burgenſi-*

Jacobus Thomaſ. in acceſſionibus ad tract. de Plagio Liter. p. 36.

genſibus, Fraudulentiam *Mercatoribus*, Rapinam *Principibus ac Militibus; porrò cũ* Gulâ *matrimoniũ non invitos accepiſſe laboratores, cum* Accedia *Religioſos, ſuperfuiſſe* Luxuriam, Iram, Invidiam, *has nulli ordini mortalium proprias eſſe voluiſſe, communes reliqviſſe omnibus. Qvi hunc ingenii luſum ſunt commenti, reputaverunt illi videlicet, qvanqvam nullum prope vitium ſit, qvod non vagetur absq; diſcrimine per humani generis ordines univerſos: eſſe tamen certa qvædam uni alterive ſtatui maximè peculiaria. Quod qvidem adeò verum eſt, ut nominari poſſint vitiorum quædam ſpecies, qvæ vix niſi cum certo qvodam ordine copulari qveant. Non longè abeundum nobis. Tale vitium eſt hoc ipſum, de qvo diſputaturi per has horas ſum⁹, plagium literarium, eruditis videlicet proprium. Certè maximè committitur illud ſcribendis libris, quod opus qvi exercet, hoc ipſo haberi ſolet in cenſu eruditorum. Jam neq; hoc facilè qvis negaverit, ſcribendis libris committi non plagium modò literarium, ſed & alias fraudes poſſe. Itaq; non peccabit, opinor, præfatio hac noſtra, ſi vi-*

tia

tia, quæ LIBRIS VULGANDIS PATRARI *à noſtro grege ſolent, in certas quaſi claſſes tribuat. Videtur autem hoc non incommodè fieri poſſe ſecundùm vulgata quatuor Cauſarum genera, quæ ſunt Efficiens, Finis, Materia, Forma. Circa* Efficientem *cauſam nemo non videt peccari à plagiario : Lectori enim ſuo, quantum in ſe eſt, perſvadere conatur, eum eſſe patrem libri vel ſcripti, qui tamen verè non eſt. At q; ad hoc genus referendum, quidquid ſuppoſitione librorum fraudis admittitur, ſive partum alienum ſibi, ſive ſuum alteri, ſive alterius tertio cuidam ſupponat aliquis. Quin & illi venient hanc in claſſem, qui aut nomen ſuum planè diſſimulant, aut neſcio quod ex Utopia accerſitum ſibi adſciſcunt. Quantum enim in ipſis eſt, faciunt hi omnes profectò ut circa libri alicujus efficientem cauſam duci lector in errorem queat, præſertim minus peritus.*

Altera peccandi ratio circa Finem *aberrat, ultimum præcipuè. Quem qui pro gloriâ DEI lucellum aliquod ſive famæ, ſive pecuniæ proponit ſibi, (ut de finibus ſuapte naturâ improbis nihil nunc dicam,) dubium*

non eſt, qvin ille in foro qvidem conſcientiæ graviſſimo ſe facinori obſtringat.

Finem excipit Materia, *in qva illi delinqvunt, qvi ſpargunt in chartas aut frivola planè atq; inutilia, neq; niſi bonis horis perdendis nata, aut qvod pejus eſt, exemplo malisve moribus noxia atq; damnoſa: qvales libelli ſunt libidinoſi, magici, conviciis & ſcommatibus pleni. Qvo loco venit in mentem mihi feſtivus apologus, qvem in relationibus ex Parnaſſo Boccalinianis legere memini. Lis inter Grammaticos maxima oriebatur de vocabulo* conſumtus, *inſerenda ne illi P. litera foret, an in ejus ſcriptione omittenda? Ubi qvidem illud Apollinem reſciſcentem, qvid geſtum eſſet, maximè offendit, cum intelligeret, à Paulo Manutio, rixæ auctore, lapide qvodam ex inſcriptionum Romanarum ruderibus petito, in qvo* CONSUMPTUS *legeretur, Dionyſii Lambini naſum inſigni vulnere læſum fuiſſe. Jamq; in eo res erat, ut Grammatiſtæ omnes relegarentur è Parnaſſo, niſi Ciceronis, Qvintiliani, ſimiliumq; celebrium Virorum interceſſione, hoc hominum genus alia in re, niſi in hujuſmodi minutiis oc-*

cupa-

cupari non didiciſſe, cauſantium, venia ipſis fuiſſet à Præſide bijugi montis impetrata. Qvarta ſuper eſt claſſis vitiorum, qvæ in Formam *impingit ſcribendi.* Hoc *nimirum iis familiare eſt, qvi ſtilo vel obſcuro tenebras offundunt Lectoribus ſuis, vel barbaro in re ſeriâ riſum excutiunt, vel nimium prolixo, eademq; propè centies inculcante nauſeã creant, vel ἀμεθοδία eos ſuâ ſic implicant, ut Labyrinthum ſibi ingreſſi eſſe videantur. Intelligitis, Auditores optimi, qvam variis modis non ſolum poſſit ſed etiam ſoleat ab ordine noſtro impingi. Utinam verò dediſcant tandem eruditi mores ſibi minus decoros! Abſit omnes ut accuſem: ſed profectò, ut ſumus homines, non parca meſſis eorum eſt, qvi ſcribendi virtutes minùs accuratè cuſtodiant. Utinam verò noſtra qvoq; Diſſertatio, qvà plagii fœditatem, illiq; affinia qvædam Literatorum Vitia detegimus, nonnullis eo morbo laborantibus ſaniora perſvadeat conſilia! Sed hunc exitum DEO commendemus.* ita Cel. Thomaſius.

III. Tantum profectò abeſt, ut è LIBRORUM, nævis adeò enormibus ſcatentium e-

ditione, emolumenti qvidpiam Sacræ & publicæ rei accedat, ut graviſſima potius utriq; inde detrimenta, & damna vix ſarcienda obveniant. Potiſſimum autem probrum (pleroru mq; Theoſophorũ calculo) illi Scriptores incurrunt, qvi librorum evulgatione non niſi famoſæ, aut fumoſæ potius litant inanitati, atqve eò collimant unicè, ut præfulgidam inde nominum ſuorum celebritatem conſeqvantur. MAGNUM LIBRUM, MAGNUM MALUM ESSE, ſcitè admodum & ad veritatis amuſſim enunciavit Callimachus; id verò locum cumprimis in ſinuoſis illis voluminibus habere videtur, qvæ VANITATI potius, qvã BEATÆ ÆTERNITATI ſunt conſecrata; cũ magnus Liber aliàs magnus theſaurus, & maximum ad Scientiæ & Virtutis omnigenæ conſecutionem adjumentum dici mereatur*. Qvo tamẽ decore penitus deſtituuntur fœtus infe-

* Non eſt qvod qvis metuat ſe eſſe prolixum nimis, ſi prolixitas juvet, juxta illud P. Damiani (opuſc. 8. cap. 12.) *Dixerit me qviſpiam verbis liberius evagatũ; ſed mihi tantum eſt proximorum meorum ſalus, ut non otioſum credam multorum lignorum pyram accendere, quà baſiliſcum, licet exiguum, incolumi populo neceſſe ſit interire; nec multa aqva inaniter funditur, ſi ſcintilla ignis quà urbs cremanda foret, extingvatur.*

infelicium illorum Scriptorum, qvi vanitatis extremæ œſtro perciti, vaſtiſſima argumenta aggrediuntur, ſpiſſosqve (devexâ etiam ætate) meditantur Tomos, ut arbitreris promiſſos ipſis à divino Numine Neſtoreos dies, & animi corporisqve vires inconcuſſas, ad ea perficienda qvæ ſecum moliuntur. *Vis dicam* (præclarè ait doctiſſimus Clemens) *qvid illis hominibus contingere ſoleat? deſinunt vivere, cum incipiunt ſcribere; vix inſanæ illius molis, qvam aggrediuntur, ſubſtruere fundamenta ceperunt, cum jubentur de illis conſiliis, adeoqve de vitâ ipsâ decedere; prudentius facturi ſi mortem aſpexiſſent, velut imminentem & proximam, non verò tanqvam procul diſtantem.* *In hoc pleriqve fallimur* (inqvit Seneca) *qvod mortem proſpicimus, cum potius proſpicere vitam deberemus.* Falluntur eqvidem maximè, qvi ſolius producendi nominis gratiâ plusqvam Herculeos labores ducunt exantlandos, neqve operæ pretium putant, uno vel altero duntaxat libro Orbi innoteſcere, niſi BIBLIOTHECAS omnes, omnes impleant pluteos, & integris operum Centuriis, lucubrationum ſuarum copias Eruditorum conſpectui exponant. *Nemo, miretur* (inqvit Scriptor ſapientiſſimus) *à monſtris ingeniorum, non niſi monſtra librorũ infinita in lucem produci, qvæ tenerrimè tamen ab iis amari, & magnâ cum oſtentatione ſeculo commendari videas.*

Claud. Clem. lib. IV. Muſei, ſect. 1. p. 500.

Sen. ep. & 66.

 deas.

deas. Qvis non illorum eſt qvi præ nimiâ viduitatis impatientiâ cum Didone hic exoptet: ſaltem mihi parvus in aulâ luderet Æneas! Adeo improlem intellectum iſta gloriæ inanis mancipia faſtidiunt, qvæ cum bonæ mentis ſemine deſtituta, generare abs ſe neqveant, alienos non rarò adoptant partus. Itaqve eruditorum plurimi in eo graviſſimè delinqvunt, qvod nomina ſua, operibus à ſe contextis præfixa magnifaciant, & vanam ſolummodò gloriam, laudemqve doctrinæ incomparabilis ubiqve aucupentur. Non cœleſtis incrementi cupiditate, ſed cenodoxiæ ſtimulis agitati titillatiqve, ad ſcribendum illi proſiliunt, tanqvam artes & ſcientiæ, ipſiusqve divinæ Sapientiæ theſauri Sole adeò maculato indigerent. *Cum titillet eos* (ita egregiè P. Gaudentius in Diſſertationis de Cauponibus famæ appendice ſcripſit) *GLORIOLA, undiq; anſam arripiunt, ut commendentur. Si prudentes ſibi conſulerent, faterentur ingenuè, ſe hæc vel illa non didiciſſe. Qvis enim eſt eâ ingenii celeritate aut diligentia, qvi poſſit omnia præſtare? Qvot detinent nos negotia? Avocamur qvotidie ad multa, qvæ cum ſtudiis nihil habent commune &c.* Socrates ex Oraculi ſenſu mortalium omnium ſapientiſſimus, roganti, cur nihil ſcriptum ederet, ſcitè reſpondit: *Qvia video chartam multò pretioſiorem, qvam eſt qvæ ſcribenda forent;* ejuſdemqve animi Ariſtar-

Pagan. Gaud. in app. diſſert. de Caupon. famæ, cap. 6. p. 22.

riſtarchus fuit cum Favorino, qvippe qvi chartæ nil qvicqvam mandare ſtatuerunt. Alius planè ævo noſtro in Literato Orbe regnat genius: Plurimi ſtudioſorum, haudqvaqvam multo tempore (ut Hieronymus optimè obſervavit,) diſcere volunt qvod doceant, ſed citò & freqventer proſilientes, inani gloriæ litant ſtrenuè. Multiplicant illi (dicente non nemine) codices, ſed fructum rarò multiplicant, & magis nonnunqvam feneſtras replent chartis, qvam voluminibus Bibliothecas. Eandemqve ſcribendi pruriginem impetiturus author doctiſſimi ſcripti de Generis humani Typho ſeqventes pepigit verſiculos: *Hieron. Hirnhaim, in tract. de typho gen. human. c. XXII.*

Ut eruditi tempus in longum ſui
Famam relinqvant nominis, ſcribunt libros;
Hi ſunt eorum liberi, qvibus operam
Studendo dederant, in qvibus eorum dein
Memoria vivit, & putatitius honor,
Sed & ſuperbus mentis elatæ typhus.

Subjecit idem ſcriptor epigramma memorabile, qvo arctiſſimam, nec nominalem adeò qvam realem TYPI ac TYPHI familiaritatem & cognationem perſtrinxit, ad h. m.

Non miror, ſtudio authorum tot ſurgere libros,
Nam cognata ſimul ſunt TYPHIS atqve [*TYPUS.*
Unica diſcrimen parit aſpiratio; qværis:
Cur? TYPHUS aſpirat ſemper habere TYPUM.

IV. Ne-

IV. Neqve verò hæc ita accipienda, ac ſi author eruditiſſimus omne ſcriptionis opus duxiſſet contemnendum, ſiqvidem eum minimè latuerit, præcipuam diſciplinis ſcientiisqve lucem è veterum & recentiorum Doctorum monumentis fuiſſe conciliatam; & qvantum emolumenti Eccleſia Chriſtiana è ſinuoſis etiam Sanctorum Patrum voluminibus, cumprimis D. Auguſtini acceperit, minimè ille ignoravit. INTENTIONEM poti⁹ Hirnheimius plerorumq; ſcriptorum ſeqviorem, mecum reprehendere inſtituit. *Non vitupero* (addit ſignificantiſſimè) *indifferenter librariæ ſcriptionis opus, ſed intentionem potiſſimū plurimorū, qvib⁹ ob* FAMÆ *captationem ſolumodo faciendi plures libros null⁹ eſt finis; qvorum freqvens meditatio, licet carnis ſit afflictio, honoris tamen & gloriæ pretio, mundoq; innoteſcendi cupidine delinitur; qui plerumqve non niſi famam ſui nominis librorum ſcriptione aucupantur, utqve jam olim advertit Cicero: in his ipſis libris qvos ſcribunt de contemnenda gloriâ, ſua nomina inſcribunt.* Qvodſi verò nominis gloriâ haud qvaqvam titillati, ſed charitate potius ſupremi Numinis, publicæqve utilitatis deſiderio incitati ſcriptores chriſtiani, ampliora etiam volumina, & rerum pariter ac verborum apparatu inſtructiora meditentur, adeoq; majore Numinis afflatu perculſi, ad ſacrorum dogmatum tum intelligen-

gentiam tum propagationem omnes cogitationes ſuas, ſtudia omnia conferant; dubium non eſt, qvin præclara eorum conamina utilitatis plurimum ſint paritura, & ſapientiſſimi fructuoſorum ejuſmodi operum conditores, juſtum aliqvando (licet minimè expetitum) laudum ſuarum præconium à grata poſteritate ſint reportaturi. Excepit eqvidem illud nullos non ſincerè pios & ſanctè-laborioſos Scriptores, qvi univerſum Orbem monumentis ſuis illuſtrarunt, & propter eruditionem charitati ſociatam, titulos perhonorificos, perpetuæ venerationis indices, jam pridem retulerunt. In qvanta ob fructuoſas ejuſmodi ſcriptiones veneratione apud Chriſtianos huc uſqve non illi ſolum fuerint, qvi antonomaſticè Doctores Eccleſiæ nuncupantur, ſed etiam Viri Deo-ſacrati alii, præclarisqve admodū cōmentationibus illuſtres, diſqviſitione peculiari oſtendit Theophilus Raynaudus, ubi qvamplurimos, ævi veteris ſcriptores, operum mole ſimul ac vitæ integritate ſuſpiciendos, recenſuit, illuſtresq; titulos, qvibus à gratâ poſteritate ſunt exornati, publico expoſuit conſpectui, obſervato qvidem alphabetico ordine, uti clarius ex adſcripto ſpecimine patebit:

Vid. opp. Theoph. Rayn. Tom. VIII. fol. 493. ſeqq.

S. AMBROSIUS, magnis encomijs celebratus & variis Patribus, Auguſtino præſertim, qvi eum excellentem Dei diſpenſatorem voca-

Auguſt. lib. 1. contra Iul. c. 3.

vocavit, & tanqvam Patrem in Chriſto JEſu eſt veneratus, utpote qvi ipſum per Evangelium genuerit, & qvo Chriſti miniſtro lavacrum regenerationis ipſe acceperit. Qvem ipſum alij è Veteribus Virum ſanctiſſimum & ſanctorum Prophetarum ſpiritu plenum judicarunt.

Baſil. M. præf. lib. de Spir. S. Naz. carm. ad Olymp.

S. AMPHILOCHIUS, charum Baſilio caput, qvod ille præ cæteris fecit plurimi; Nazianzenus verò orthodoxæ doctrinæ præconem, decuſqve ſuum & ornamentum nuncupavit.

Greg. M. lib. 1. ep 27. & lib. 4. ep. 36. & 37.

S. ANASTASIUS SINAITA, cujus laudes latè executus eſt Gregorius M. eum à prodigalitatis nota purgaturus.

S. ANSELMUS, eximiè celebratus à varijs, præſertim à Philippo Abbate in ejus epitaphio.

S. ASTERIUS, qvem Theodorus Catanæ Epiſcopus Doctorem Deiferum, ſtellamqve clariſſimam, omnium corda illuſtrantem ſalutavit.

S. ATHANASIUS, concinnè à multis collaudatus priſcæ Eccleſiæ Epiſcopis, præſertim Baſilio M. fuſiuſqve à Nazianzeno in Monodiâ, Cyrillo Alex. Caſſiano, Facundo, Sophronio plurimiſq; alijs à Rayn. allegatis.

S. Paul. epiſt. ad Aug. 41.

S. AUGUSTINUS, à S. Paulino fuſè celebratus, gratulante illi de tam præclaris ſcriptionibus, ac inter cætera ita compellante: *O verè*

verè ſal terræ, qvo præcordia noſtra, ne poſſint ſæculi errore evaneſcere, condiuntur. Lucerna dignè ſuper candelabrum poſita, -- os tuum fiſtulam aqvæ vivæ, & venam fontis æterni meritò dixerim, aliasqve elogiorum Auguſt. ſpicas magno numero ſæpè laud. author collegit, meſſem verò, pij Auguſtinophili apud Matthiam Hanzeur & Cornelium Lancilotum invenient.

S. AVITUS, eloqventiâ facundiſſimus, ingenio acerrimus, literarum etiam ſecularium peritia celebratiſſimus audiit, ita Iſidorus, Agobardꝰ Lugdunenſis, Ennodius, Ado Viennenſis, & alij. Ad eundem planè modum cæteros etiam Doctores (alphabetico qvidem ordine obſervato) Raynaudus recenſuit; notanter addens, *ſpecimen ſe exhibuiſſe decorum, qveis Poſteri Eccleſiaſticos illos Bezaleeles voluerint exornatos, ut conſtaret, qvantum Viros ſanctos peritia deceat*, qvantaqve laudum præconia eos excipere ſoleant, qvi ſcriptionibꝰ ſuis divinæ litare gloriæ, & publicæ utilitati, non vanæ gloriæ vela facere conſtituerunt.

Matth. Hanz. in prelu-dijs Tom. prioris Anatom. Auguſt. Corn. Lancil. lib. 3. de vita Auguſt. c. 42.

Lipſ. Synt. de Biblioth.

V. Scitè admodum obſervat poſt Juſtum Lipſium Jacobus Philippus Thomaſinus, in erudito de Donarijs ac Tabellis votivis opere, apud Ethnicos qvondam BIBLIOTHECAS Templis propterea junctas fuiſſe, ut verâ ſedem ſacratorum ingenij fœtuum LOCA SACRA

Thomaſ. lib. de Donarijs & Tabell. votiv. c. 3. p. 37. ſeqq.

„CRA ESSE oſtenderent; BIBLIOTHE-
„CAS (inqvit) procul abeſſe (ſc. à Templis)
„noluerunt veteres, ut ex præclaris ingenio-
„rum monumentis dependens mortalium
„gloria, in Deorum tutela eſſet: Svetonius in
„Auguſto c. 29. *Templum Apollinis in eâ*
„*parte Palatinæ domus excitavit, qvâ fulmine*
„*ictam deſiderari à Deo haruſpices pronuntia-*
„*rant. Addita porticus cum BIBLIOTHE-*
„*CA latinâ græcaqve.* Ideoqve hæc Biblio-
„theca Apollinis dicebatur, latinæ inſcriptio
„Romæ in ædibus Maffeianis ad Agrippinas
„thermas in tabella marmorea adhuc extat:

SULPICIAE
THALUSAE
ANTIOCHUS. TI. CLAUDI
CAESARIS. A. BYBLIOTHECA
LATINA. APOLLINIS
CONIUGI. SUAE
BENE. MERITAE

„inde Horatius lib. I. epiſt. III.

Scripta Palatinus qvæcunqve reponit Apollo.

„Græcæ etiam Bibliothecæ inſcriptio à Gru-
„tero refertur:

„C. JVLIVS. C. L. PHRONIMVS.
„A. BYBLIOTHECA. GRAECA.

„Idem Imperator Bibliothecas in Palatio, te-
„ſte Dione hiſt. Rom. lib. LIII. perfecit, & de-
„dicavit. Qvi etiam porticus & Bibliothe-
„cas, à ſororis nomine Octavianas dictas ex

mann-

„ manubijs Dalmatorum extruxit, referente
„ eod. lib. XLIX. Qvod ipſum Gentilium inſtitutum magis illuſtraturus laud. Thomaſinus, libros in Bibliothecis iſtis templarijs ſupra ARBORES PLUMBEAS repoſitos fuiſſe notavit, uti etiam apud Marlianum in Topograph. legitur, & Johan. Argolus politioris literaturæ in Gymn. Bonon. Prof. fatetur ſe vidiſſe ARBOREM PLUMBEAM laurî ſpecie cum foliis expanſis, qvibus nondum aurum deceſſerat, è Vinea Roncianâ (in Palatino monte ſitâ) erutam, eâ parte qvæ vergit ad Aventinum, de qvâ cum qvid eſſet, à doctis deliberaretur, ſtatutū tandem, eam ex arboribus unam fuiſſe, qvibus Libri Bibliothecæ ſint impoſiti. Nec prætereundi ſunt teſtes reliqvi, qvos advocavit Thomaſinus, oſtenſurus Bibliothecas Templis olim contiguas fuiſſe: Bibliothecam in Templo Tra- „
jani fuiſſe Gellius lib. II. teſtis eſt; *Seden-* „
tibus forte nobis in Bibliotheca Templi Tra- „
jani. Bibliothecam verò Capitolinam „
Templo Jovis contiguam arbitror, qvam „
Euſebius tempore Commodi arſiſſe ſcribit, „
atqve Oroſius repetit lib. VII. cap. 16. Fu- „
ît & in Templo Herculis Tiburi, de qvâ Au- „
lus Gellius lib. 19. c. 5. *Bibliotheca Tibur-* „
ti inſtructa ſatis commode erat. Et alia in „
Templo Pacis ex eod. Gellio lib. 16. c. 8. „
Commentarium L. Aelii, qvi Varronis ma- „
giſter

„ *giſter fuit, ſtudioſè qvæſivimus, eumqve in*
„ *Pacis Bibliotheca repertum legimus.* Hæc
„ tempore Imp. Commodi unà cum Palati-
„ nâ conflagravit, ut ſcribit in ejus vitâ He-
„ rodianus, & Galenus in vità propria indi-
„ cat, ibiqve multa à ſe ſcripta interiiſſe. Ex-
„ tra Romam pariter mos iſte adolevit: Am-
„ mianus lib. XXII. *Inter Templa eminet Se-*
„ *rapeum, in qvo Bibliothecæ fuerant inæſtima-*
„ *biles, & loqvitur monumentorum veterum*
„ *concinna fides, ſeptuaginta voluminũ millia,*
„ *Ptolemæi Regis vigiliis intentis, compoſito bel-*
„ *lo Alexandrino, dum diripitur Civitas, ſub*
„ *Dictatore Cæſare conflagraſſe.* De eodem Se-
„ rapeo Tertullianus Apol c. XVIII. *Hodiè*
„ *apud Serapeum Ptolemæi Bibliotheca, cum i-*
„ *pſis Hebraicis literis exhibentur.* Sic Conſtã-
„ tinop. in S. Sophiæ templo Bibliothecã fu-
„ iſſe Nicephorus meminit, & paſſim nunc in
„ Templis Bibliothecas cernimus, easqve fe-
„ rè apud Cœnobitas ſolum conſervatas le-
„ go. ita ad ver' um loco citato Thomaſinus.
Cum itaqve damnificis umbrarum tenebris obnupti mortales judicarint, veram ſacratorum ingenii fœtuum ſedem LOCA SACRA eſſe, qvidni ea opinio chriſtianis pectoribus inſideat; *Viros doctrinâ & literis excultos, apprimè ſacras occupationes decere, atqve ſcriptiones*; nec niſi piâ intentione præviâ, operã apparanda eſſe, fructu ſingulari Orbi ſeſe

com-

commendatura. Non eſt qvod dubitemus. Libros eo ſtudio concinnatos, ARBORIBUS imponendos eſſe, non PLUMBEIS qvidem, ſed AUREIS, imò ARBORI VITÆ perennis; Authores verò, divinæ duntaxat litantes gloriæ, HONORIS immarceſſibilis coronâ exornandos.

VI. Qvandoqvidem verò omnibus omninò Muſarum cultoribus, LABOR improbus fidiſſimus comes ſit, & numqvam non cum uſura fructum emolumenutmq; maximũ afferat; nullos tamen magis ille decet qvam magna ingenia, Doctoresqve judicio conſpicuos præſtantiori, ſiqvidem laboris acceſſione plus cæteris omnib⁹ illi provehantur, & inſtar opimæ glebæ ſegetem proferant uberiorem. Non abs re Tullius enunciavit, *Cauſam raritatis Oratorum LABOREM eſſe, qvem pleriqve fugiamus!* Laborem ſc. qvo venduntur omnia; Laborem, qvem ſcitè admodum Philo hominum nutricium, & operum cunctorum perfectum artificem nuncupavit, etiam atqve etiam in Literatis ad celſiora adſpirantibus deſideramus, cum labore impigro id plerunqve conſeqvantur, ut non tantum ſimiles ſemper ſibimet ipſis ſint, ſed Majores nõ rarò & conſumatiores appareant. Tardiſſima ingenia, labore aſſiduo nonnunqvam id conſecuta fuiſſe accepimus, ut anteverterint promtiora; at verò ingenioſiſſimos ſimul ac miſoponos homines lolium duntaxat, & ſteri-

les avenas produxiſſe. Qvod Apuleum qvondam familiariter edixiſſe conſtat; *Nihil ſubitum ſimul & elaboratum eſſe*; id locum maximè habere videtur in omni Scriptorum genere, qvippe qvi ex nimiâ feſtinatione, laborisqve præreqviſiti nauſeâ, non rarò gravem capitis paſſi ſunt & famæ imminutionem. Vel unica minus elaborata ſcriptio, aliqvot luſtrorum curas ſæpè dejecit, & doctiſſimos aliàs, de ſummæ exiſtimationis arce (qvam pridem attigerant) deturbavit. Qvodſi in ipſo limine illi offenderint, atqve ſucceſſu caruerint proſperiori, animum qvandoqve ita deſponderunt, ut nuntium etiam ſtudiis remittere, aut extremæ deſperationi locum dare neutiqvam dubitaverint. Si majorem in ſcribendo curam adhibuiſſent, neqve ingenii aut memoriæ dotibus plus juſto fuiſſent confiſi, feliciores utiqve habuiſſent progreſſus, atqve *dulciores* (ut Hieronymus ait) *de amaro iſto ſemine fructus deguſtaſſent*. Laboremus itaqve ô Literati *pertinaciter*, ut Pertinax Imperator, *militemus ſtrenuè*, ut ille alius Cæſar fuit cohortatus, FESTINEMUS LENTE, & nonniſi eximiè parati, & ad concitandam qvaſi admirationem inſtructi, in publicam lucem prodeamus. Idem profectò informibus, & valdè properatis ingenii fœtibus obtingere ſolet, qvod abortionibus illis, qvæ legitimum puerperium anteverterunt, ut ſcil.

Apul. de Deo Socrat.

VIVA-

VIVACES non ſint, & de utero utplurimum ad tumulum transferantur; cum fœtus maturiores, & alvo maternâ patienter per longa ſpatia concluſi, feliciter lucem adſpiciant, eâqve diutiſſimmè potiantur. Obſervatio hæc eſt Magni Syneſii, in Dione ſuo libros expetentis, *in qvibus cognitio qvâ parte philoſophi ſumus, non ſit inexercitata*; hanc derogat ille Scriptoribus feſtinabundis, deqve iisdem talem ferre calculum non dubitavit: *Si qvid fortè pariant, cæcum id pro temeritate, & qvaſi ſubventaneum eſt. Non enim ſermonem interius fovet, qvi qvotidiè evomendus eſt, ſtudium tumultuario & inconſideratè in ludicris adhibere, langvidum ipſum atqve evanidum reddit. Nam ut ex fœturis corporum, ita ex ſermonibus animorum qvidam partus oriuntur. Qvi verò intempeſtivè illis conſveverit, cætera planè eadem cum iis qvæ in corporib⁹ accidunt, experietur; ubi verò ſemel habitus ad abortiendum præceps propenderit, nihil jam integrum aut vitale parturiet: Hinc qvi in populum expeditè dicendi facultate valet, ad rem aliqvam ſedulà animadverſione conſiderandam imbecillis eſt; neqve ſi qva illi ſpeculatio proponatur, ſtatuæ eam inſtar expolitam accuratiſſimè elaborare poteſt.* Conſtat eqvidem Divinum illum Platonem nonniſi jam octuagenarium *Dialogos* ſuos diutiſſimè preſſos evulgaſſe, & à nonnemine notatum eſt, Iſocratem per an-

nos denos (alius qvindenos numerat) unum panegyricum expoliviſſe. Lyſias Orator negavit ſe velle conſcribere, qvæ feſtinatio præcipitaſſet. Amicè ſecum expoſtulanti Euripidi, qvod præ ruditate & infelicitate ingenii intra triduum ægrè tres verſus emiſiſſet, repoſuit Alceſtis, inde criſtas attollens, & jactans, poſſe ſe diebus ſingulis centũ verſus fundere absq; labore; ſuboffenſ⁹ Euripides in Alceſtidis faſtum; *De hâc tua* (inqvit) *ſcribendi facilitate, non dubito, ſed illud fidens aſſevero, fuſos tanta facilitate verſus, non ultra triduum duraturos.* Mei è contra tardè ac moroſè emiſſi, ad omnia conſeqventia ſecula perennabunt. Id qvod omninò comprobavit eventus *. Sicuti omnium ætatum maxima qvæqve ingenia, ſcriptioni temerè profundenti neutiqvam aſſveſcendum eſſe cenſuerunt, atqve *fœcunditatis præcipitatę* (ut ſcitè Iſidorus vocavit) inſignes fuêre oſores; ita feſtinationem nimiam haud abs re nævum dixerimus inge-

Iſidor. lib. XII. orig. c.2.

* *Virgilius Maro perpaucos verſus in dies ſingulos fundebat, ita ut urſæ more parere ſe diceret, & lambendo fingere, idqve ſibi gloriæ duxiſſe Donatus teſtatur, nec diſſimiliter de Saluſtio ſcribit Fabius. Ad eandem mentem Seneca, nihil ordinatum eſſe dixit, qvod præcipitatur & properat, conf. in hanc ſententiam Plutarch. in Pericle.*

ingeniorum lue ambitionis contractorum, cum illa properare tantoperè ſoleant gloriæ colligendæ causâ, ut nihil apud ſe premant diutius, vix aliqvid aſſervent ad explicandum penitius, ac velut lambendo refigendum, eaqve propter non ſecus ac flores præpoſteri, in poſtremos hyemis rigores incurrentes ex improviſo contabeſcunt*. Æqve velox ſcriptionibus ejuſmodi imminet fatum, ut Agatarchi picturis, qvem, magnos ex pingendi celeritate ſpiritus ſibi ſumentem, Zeuxis lentus pictor, diuqve opus ſuum perpoliens, hunc in modum retudit: *Diu ego pingo Agatarche, qvia pingo æternitati.* Hinc etiam eſt, qvod præter ante laudatum Syneſium (qvi Scriptores præcoces cœca & ſubventaneâ utplurimū parere enunciavit) Magn⁹ Hieronymus Ruſticum ſuum ſapientiſſimè admonuerit, *ne ad ſcribendum citô proſiliat, & levi ducatur INSANIA*: En, qvale Vir ſummus de citâ & præcipiti ſcriptione judicium tulerit! Nec minus egregiè Caſſiodorus, in primi Variar. præfatione, amicis ad celerem ſcriptionem urgentibus, reſpondit ad h.m. *Debere illos Flacci dicta recolere*, qvi (lib. 1. epiſt. 18.) *diſertè*

S. Hier. Epiſt. 4. qvæ eſt ad Ruſt.

Gg 3

* *Tarditatem ac moroſitatem ſcriptionum fuſius commendat Claudius Minos, ad Emblem.* 208 *Alciati, it. Franciſcus Bentius Orat. de ſtylo, & Adrianus Jun. lib. 4. animadverſ. cap.* 16.

ſertè monuerit, qvid periculi vox præcipitatæ incurrere poſſit. Reſpondendi celeritatem cunctos videtis exigere, & creditis me impœnitenda proferre? Dictio ſemper agreſtis eſt, qvæ aut ſenſibus electis per moram non comitur, aut verborum proprietatibus minimè explicatur. Lo- qvi nobis communiter datum eſt, ſolus ornatus eſt qvi diſcernit indoctos. Nonus annus ad ſcribendum relaxatur auctoribus *. Qvo etiam ſpectat, qvod de ſuâ vitæ Apollonii translatione ſubitâ, nec per longum tempus expolitâ alicubi ſcripſit Sidonius; *Eam translationem dum parere feſtino celeriter, ejecit in tumultuarum exemplar turbida & præceps & opica translatio.* Qvibus verbis apud Leonem feſtinationem ſuam nimiam non laudavit, ſed excuſavit potius, qvod ſc. impolitum & ſemicrudum, & tanqvam muſteum librum obtuliſſet.

Sidon. l. 8. ep. 3.

VII. Neqve verò hæc ita accipienda, ac putem⁹ ſi vituperandam, prorſusq; eliminádam omnẽ omninò feſtinationẽ, aut damnandã eorũ felicitatẽ ingeniorũ, qvæ extemporaneâ etiã gaudent dicendi facultate, & freqvẽtiſſimæ auditorum coronę ob dicendi facilitatem

* *Qvemadmodum Catullus qvoqve Smyrnam parvum Cinnæ libellum, ex eadem moroſitate in expolitione libri laudavit dicens:*
Smyrna mei Cinnæ, nonam poſt deniq; meſſẽ,
Qvam cœpta eſt, nonamq; edita poſt hyemem.

tatem & copiam haud longè petitam ſummæ admirationi exiſtunt. Liqvido ſanè conſtat, nimis longas protractasqve Librorum edendorum *pumicationes* (ut ſcitè Raynaudus alicubi vocavit) authores ſuos non rarò fructu operis ſui defraudaſſe, & publicæ etiam obfuiſſe utilitati? *Moroſitatem* (ait modo laudatus Scriptor) *in libri expolitione, authori fructum ſui operis eripere inconfeſſo eſt. Neq; enim vel approbationem refert labori ſuo jure debitam, vel eà conſolatione perfunditur, qvam libri uſus parenti conciliat. Eſt etiam ea diuturna ſuppreſſio lectorib⁹ damnoſa. Neqve enim fruuntur alienis laboribus, qvi tamen ad hoc ſuſcepti & exantlati ſunt, ut Lectores iis potiantur. Et periculum eſſe poteſt, ne per longam cunctationem omninò pereant variis caſibus, qvos ennmerare nihil attinet, facilè enim cuivis occurrunt. Libro ipſi idem qvandoqve accidit, qvod pictori Protogeni, de qvo ſic Plin. lib. 35. c. 10. ex ſenſu Apellis:* Aliam gloriam uſurpavit Apelles, cum Protogenis opus immenſi laboris ac curæ ſupra modum anxiæ miraretur. Dixit enim, omnia ſibi cum illo paria eſſe, aut illi meliora, ſed uno ſe pręſtare, qvod manum ille de tabula neſciret tollere: *memorabili præcepto, nocere ſæpè nimiam diligentiam.* Qvemadmodum ingenii fœtus, legitimum puerperium antevertentes, rarò vivaces eſſe, ante notavimus; ita

Rayn. in lib. de laude brevit. num. V. §. 2.

ita dilationem qvoqve nimis longam, maturis partubus exitio qvandoqve fuiſſe non eſt qvod dubitemus. Medium tenere ſolent FELICES ac verè fructuoſi SCRIPTORES, nec feſtinantes nimioperè, nec moras plus juſto nectentes, qvin potius Plinianum illud ad animum ſuum etiam atqve etiam revocantes :
C. Plin. *Perfectum opus abſolutumqve eſt, nec jam ſplen-*
Sec. lib. *deſcit limâ, ſed atteritur.* Ita nimirum Pli-
V. ep. 11. nius ſcripſit Tranqvillino, cum ipſum ad moras rumpendas in editione operis pridem conſcripti duceret cohortandum, qvemadmo-
Idem l. dum alio etiam loco Oppium ſcitè edocuit, ni-
9. *Epiſt.* miam curam deterere magis librum qvam e-
35. mendare, & revocare à recentioribus, nec ſinere perfici jam inchoata. Virtutem ubiqve, poſthabitis EXTREMIS, conſectemur!

COMMONEFACTIO XX.

PESTIFERA LIVORIS LITERARII MALIGNITAS,

CURA POSTERIORI DETECTA; UBI ETIAM

DE GENIO PATRIÆ NOVERCANTIS.

Ad Cōmentationis IV. de Invidia Literator. num. III. & VII.

I.

MAlum LIVOR eſt, qvovis alio toxico peſtilentius, hoc ſi mentes ERUDITÆ inficiantur, nihil nō iniqvi unà concipient. Qvod aliàs grati odoris ſvavitatem habet, LITERATO LIVIDO venenum, cœnumqve eſt putidiſſimum, cujus fœtore tantum non agitur in rabiem. Qvemadmodum bruta qvædam ungventorum odore vehementiſſimè cruciantur: *Feles* (ait Plutarchus) *ungventorum odore exagitari, & in rabiem ferunt agi*; ſic LITERATI INVIDI laudis emolumentiq; alieni odore graviſſimè torqventur, atqve enecantur penitus. Appoſitè huc veniet Præſul Hippo-

Plutar. in Comment. de præcept. connubial.

ponenſis, Paulum Apoſtolum à pſeudo-fratrum livore vexatum noſtro conſpectui ſiſtens; *Prædicbat* (ait) *Paulus Evangelium, multi illũ amabant prædicatorem,* MULTI ILLI INVIDEBANT, BONO ODORE PERIBANT - *Ideò enim magis illi invidebant, qvia tantũ bona in illo gratia prævalebat, nemo enim invidet miſero. Erat ergò glorioſus in prædicatione verbi Dei, & vivens ſecundum regulam illius virgæ directionis, & diligebant eum, qvi in illo diligebant Chriſtum, qvi ſeqvebantur bonum odorem. Diligebat amicum ſponſi ſui ſponſa ipſa, qvæ dicit in Canticis Canticorum:* POST ODOREM UNGVENTORUM TUORUM CURREMUS; *illi autem alii qvanto magis eum videbant in gloria prædicationis Evangelii, & in vita inculpabili; tantò magis INVIDIA torqvebantur, & OCCIDEBANTUR BONO ODORE,* qvo ſc. recreabantur alii. Hâc ipsâ Livoris pſeud-apoſtolici malignitate, cum graviter qvondam laborarent Magni PAULINI Epiſcopi Nolani æmuli, pariter famæ ejus odore tantoperè affligebantur, ut de gloria Viri intercipiendâ extingvendâqve ſummè-pernicioſa agitarint conſilia. Sanè PAULINUM, Doctorē zelo pio ferventiſſimum, non minus qvam PAULUM Apoſtolum, ab ipſis fidei & profeſſionis ſuæ ſociis, ſeu pſeudofratribus æqve ac profanæ doctrinæ & vitæ ſectatoribus graviter pulſatum, imò penitus dere-

Auguſt. in Pſalm 44 Tom. VIII. opp. f. 281.

derelictum fuiſſe, & vitæ ſcriptor tradidit, & ipſe in primâ ad Severum qvendam epiſtolâ eſt conteſtatus: *Omnes noſtri* (ſcribens) *à nobis declinaverunt, ſimul impii facti ſunt, & inimici hominis domeſtici ejus*, invidiæ nimirum litantes pravæqve æmulationi, neq; fragrantiſſimum *laudis Paulinianæ ODOREM* amplius ferre valentes. Qvid, qvod amicos inter chariſſimus Auſonius, ægrè etiam tulerit ſummam Paulini celebritatem, deq; laude ſodalis evertendâ adprimè cogitarit, per omnes ingenii artes ejus tentans conſtantiam, proditęqve amicitiæ crimen (qvod ipſe admiſerat) Paulino innocuo objectans, aculeatiſqve literis & carminibus eum admordere non ceſſans. Sed & Romæ eundem Paulinum diverſis animorum ſtudiis exceptum fuiſſe, honore qvidem ingenti à populo, à Clero verò, ipſoqve Pontifice haud ſine *qvâdam LIVORIS, aut certè parum conſiderati zeli ſpecie*, documento ſunt ea, qvæ de dictis factiſqve Paulini illuſtrioribus vitæ ſcriptor prodidit, non malè obſervans, in magnum divinæ gloriæ impedimentum, illum *Romani Cleri livorem* ceſſiſſe, alienumqve ipſius Papæ Siricii (invidiæ reſiſtere haud valentis) à Paulino animum, grave pietati dominicæqve gratiæ detrimentum feciſſe. Et qvid mirum, qvod *Paulino* Siricius iniqvior fuerit, cum nec *Hieronymi Stridonenſis* gloriam

Confer vitam Paulini ab Her. Roſvveido edit. p. 115. 116.

Paulin. epiſt. 1. & 5. ad Sever.

Confer vitam Paulini p. 74.

Confer vitam Paul. p. 91.

Confer Baron. Tom. IV. Annal. ad ann. 394. Paulin. epiſt. I. ad Sever.

riam ferre potuerit. Hinc & Paulini, hominis doctrinâ pariter ac virtute egregii conſvetudinem reſpuit, & ordinationem ad munus epiſcopale improbavit, qvamvis id obtrectatorum delatorumqve qvorundam culpâ accidiſſe, illa Paulini ad Severum verba innuere videantur: *Qvi nos odiſſe, & a conſortio ſanctitatis ſuæ ſegregare dicuntur.* Ne verò majores vires eundo invidia illa acqvirere poſſet, qvæ cõſpectu & præſentia alebatur; ſed ſubducto qvaſi fomite extingveretur, Sanctus ille pacis filius fugam meditatus eſt, *Romæ ſuos* (Hieronymi verbis & exemplo edoctus) *relinqvens* tumultus, atq; ſalutarẽ in Campaniam uſqve ſeceſſum eo fine inſtituens, *ut non*

Paulin. ibidem.

ſecus atqve aura frigida, (qvæ ipſiuſmet Paulini verba ſunt,) *vel importunum vacui culicis murmur* (ſic ſcitè lividorum obtrectationes appellabat) *ab auribus ſpinarum ſepe munitis excluderetur. Nam qvod ad me* (pergit notanter) *pertinet, cum ipſis qvoqve qvi oderunt pacem meam, mente pacificus ſum; ſi qvis enim vult contentioſus eſſe, hoc conſvetudo noſtra non recipit.*

II. O inſignem, veroqve Chriſti diſcipulo digniſſimam prudentiam, qvâ feliciſſimus PAULI Gentium Doctoris imitator PAULINUS, atrocem illam feram, feram immundam & virulentam, VENENOSAM ſc. INVIDIAM ſuperavit, atqve victoris fortiſ-

ſimi

ſimi gloriam eſt conſecutus. Conſimilis etiam prudentiæ conſtantiæqve victricis egregia documenta cum Paulino Nolano illi qvondam Doctores Chriſtiani dedêre, qvi nullarum non tetrarum impoſturarum maculas, qvin imò ipſam INVIDIÆ ACTIVÆ, temerè ſibi impactæ notam, æqvanimitate admirabili pertulere. Veluti Johan. Chryſoſtom⁹ æmulationis & invidiæ in Severianũ Gabalorum Epiſcopũ falsò & neqviter inſimulatus; In Sozomeni * nimirũ hiſtoria disertè legitur, aureum illum Oratorem, initio qvidem adulationibus Severiani captum, habuiſſe eum inter charos, ac proficiſcentem in Aſiam commendaſſe illi Eccleſiam Conſtantinopolitanam; poſtea verò, cum Severianus, occaſione uſus, magnum ſibi nomen comparaſſet, ita ut Antiochum Epiſcopum Ptolemaidis, facundiſſimum eo tempore Eccleſiaſten, cognomento itidem Chryſoſtomum, ſuperare in multis cenſeretur, & Imperatoribus, (ſed Eudoxiæ maximè,) eſſet acceptiſſimus, Joh. Chryſoſtomum id ægre adeò tuliſſe, ut de abdicando exturbandoqve Severiano ſeria conſilia agitarit; qvi dehinc illatæ ſibi injuriæ memor,

Hiſtor. Trip. lib. X.

* *Hunc verò Sozomeni locum multis illis adnumerandum eſſe, in qvibus prodigioſè ſit mentitus, notavit Th. Rayn. in Hoploth. contra ictum cal. c. XI. Tom. XII. opp. p. 612. conf. Greg. M. lib. VI. epiſt. 31.*

memor, cum Theophilo Alex. in perniciem Johannis conſpirarit. Verum huius calumniæ telum præter rem in Chryſoſtomum innocentiſſimum fuit evibratum, ſiqvidem longè depreſſior fuerit Severianus, qvam ut oratoris illius incomparabilis luminibus officeret, & ejus erga ſe invidiam concitaret. Sole meridiano clarius eluceſcet, qvantoperè Chryſoſtomus à tetro invidiæ probro abhorruerit, ſi variæ ejus evolvantur homiliæ, * atqve univerſa vitæ ejus, verè chriſtianæ, verè evangelicæ ratio curatiùs expendatur. Qvàmprimũ ipſe qvoq; HIERONYMUS imenſæ invidiæ tum à Ruffino, tum ab alijs inſimulatus fuiſſet, pariter eam injuriam vultu ad modeſtam hilaritatem compoſito excepit: *Ego* (aiebat) *probroſus, ego verſipellis & lubricus, ego mendax* (*invidus*) *& ſatanæ arte decipiens appellor, maleficum qvidam me garriunt; titulum fidei ſervus agnoſco, magum vocant, & Judæi Dominum meum. &c.* Audiamus Palladium, enormi invidiæ activæ probro Virum per omnia maximum in hiſtoria Lauſiacâ notantem; *Hieronymus qvidam Presbyter habitabat in illis locis, qvi in ſermone Romano magna erat virtute ornatus, & præclaro ingenio, ſed tanta fuit ejus invidia, ut ab ea virtus doctrinæ obrue-*

Hieron. Ep. ad Aſellam. Tom. II. opp. fol. 363.

Pallad. Hiſtor. Lauſiac. c.78.

* *Confer Chryſoſtmi Hom. 7. in Ep. ad Rom. & hom. 29. in I. ad Cor. & hom. 11. in ep. ad Col. & hom. 36. in Joh.*

obrueretur : Cum ergò multis diebus cum eo verſatus eſſet ſanctus Poſſidonius, dicit mihi in aurem -- propter hunc Virum non habitabit Vir ſanctus in his locis, ſed ejus pervadet invidia vel uſqve ad proprium fratrem ; reſqve ita accidit. Etenim beatum Oxyperentium Italum is hinc expulit, & Petrum alium qvendam Ægyptium, & Simeonem, Viros admirabiles, qvos ego notavi. Ita de Magno Hieronymo Palladius, qvi etiam alio loco graviter de Doctoris illius auſteritate expoſtulavit. Aſt temerè & per enormem calumniam; cum Hieronymus nullam ſiniſtro adeò rumori ex ſui parte præbuerit occaſionem, cæterum is omninò fuerit, qvi cunctorum donorum ubertate alios anteiret, nec ullus ea ætate (Auguſtino ſolo excepto, qvem tamen ſinceræ charitatis ulnis fuerat amplexus) ſit repertus, de cujus bonis præſtantioribus mœrere poſſet. Verum juvabit ipſumet audire Hieronymũ, calumniæ ejuſce originem detegentem, & maculam livoris à ſe egregiè amoventem : *Adverſus eos* (ſcribit notanter alicubi) *qvi me dicunt invidiæ facibus inflammatum ſcribere, breviter reſpondebo, nunqvam me hæreticis pepercisſe, & omni egiſſe ſtudio, ut hoſtes Eccleſiæ, mei qvoq; hoſtes fierent. Helvidius ſcripſit contra S. Mariæ virginitatem perpetuam. Numqvid ut ei reſponderem*

Idem Pall. c. c. 29.

Hieron. in proœm. operis cõtra Pelagianos.

derem ductus invidiâ ſum, qvem omninò in carne non vidi? Jovinianus (cujus ô Pelagî, à te nunc hæreſis ſuſcitatur) Romanam fidem me abſente turbavit, tam elingvis & ſermonis putidi, ut magis miſericordia dignus fuerit, qvam invidia. Illi qvoq; reſpondi, ut potui. Ruffinus non uni urbi, ſed Orbi, blaſphemias Origenis, & περὶ ἀρχῶν libros, qvantum in ſe fuit, intulit; ita ut Euſebii qvoq; primum librum defenſionis Origenis, ſub nomine Pamphili Martyris ederet, & qvaſi ille parum dixiſſet, novum pro eo volumen evomeret. Num invidemus ei, qvia reſpondimus, & tanta in eo eloqventiæ fuêre fulmina, ut me à ſcribendi atq; dictandi ſtudio deterrerent? Palladius ſervilis neqvitiæ, eandem hæreſin inſtaurare conatus eſt, & novam translationis hebraicæ mihi calumniam ſtruere; Num & illius ingenio nobilitatiq; invidemus? Nunc qvoq; myſterium iniqvitatis operatur, & garrit unuſqvisq; qvod ſentit. Ego ſolus ſum, qvem cunctorum gloria mordeat; & tam miſer, ut iis qvoq; invideam, qvi invidiam non merentur. Sed & alia adjecit Hieronymus, qvibus oſtendit, qvam alie-

nus ab invidiâ fuerit, in iis præſertim ſcriptionibus, qvarum causâ invidiæ incuſaretur.

III. Quum Cyrillum Alexandrinum, eminentiſſimæ doctrinæ Virum, & in Theologicis ſtudiis, præſertim ad incarnationem Verbi attinentibus nulli ſecundum, quidam (Socrate homine Novatiano præeunte) invidiæ duxiſſent inſimulandum erga Hyppatiam philoſophaſtram, quaſi ea ob excellentem doctrinam, præſertim Aſtronomicam, non absqve Cyrilli nutu à perditis quibusdam ſicariis letho ſit data; is qvoqve Heros magnanimus, ſanctæ patientiæ clypeo armatus, enormem adeò offenſionem æqviſſimo animo toleravit, omnemqve malevolis ſuis benevolentiam exhibuit, pariter ut ævo ſeqviori ſanctiſſimus Bernardus, ob Petri Abelardi exagitationem atro invidiæ carbone notatus, innocentiam ſuam piè & dexterrimè vindicavit. Nec minus integerrimo huic Doctori ſuppetias egregias tulère plurimi doctrina pariter ac Virtute ſingulari conſpicui Doctores, eidemq; pro virili ſua etiam atq; etiam fuêre patrocinati; hos inter Jacobus Merlonus, qvi Bernardum adverſus Andream Qvercetanum (cui Petri Abelardi opera lucem debent) in notis ad epiſtolam Patris optimi centeſimam octuageſimam octavam defenſurus, præclarè oſtendit, Bernardum neutiquam ZELO AMARO, ſed gloriæ divinæ & retinendæ

 puri-

puritatis amore incitatum, in Petrum Abelardum inſurrexiſſe, neqve innoxium, ſed nocentem maximè, & cœleſti veritati obſtrepentem, ſtyli ſeu calami ſui mucrone appetiiſſe. *Legite ſi placet* (ita ſignificantiſſimè ipſe Doctor mellifluus, Senonenſis Concilii Patres compellavit) *librum Petri Abailardi quem dicit Theologiæ, ad manum eſt enim; cum ſicut gloriatur, a pluribus lectitetur in curia, & videte qualia ibi de Sancta Trinitate dicantur, de genitura filii, de proceſſione Spiritus Sancti, & alia innumera Catholicis auribus & mentibus diſſveta; Legite & alium quem dicunt, ſententiarum ejus, nec non & illum, qui inſcribitur: Scito te ipſum, & animadvertite, quanta & ibi ſylveſcant ſegetes ſacrilegiorum atque errorum, quid ſentiat de anima Christi, de Sacramento Altaris, de poteſtate ligandi &c. Et ſiquidem judicatis me juſtè moveri, movemini & vos - - & ſic obſtruatur os loquentium iniqua.* Ita præclarè inſignis ille pietatis & puritatis vindex Bernardus. Qvis verò hinc non perſpicit, clariſſimè, qvam noxium ſit INVIDIÆ virus, qvam lethale livoris venenum, *Malum* (ut benè Petrus Chryſolcgus dixit) *vetuſtum, prima labes, antiqvum virus, ſeculorum venenum;* quod ubi eruditam, ubi Eccleſiæ miniſterio addictam mentem infecerit, nihil non mali & iniqvi patrabit, ſpinarum inſtar optimos quoſ-

Bern. Epiſt: CLXXX-VIII.

Petrus Chryſol. ſerm. 3.

quoſqve punget, inque eorundem exitio apprimè lætabitur. Ungulis olim, Chriſti cruciabantur Martyres, ungulas ſibimetipſi infigit omne livoris mancipium, quibus & vehementiſſimè torqveatur, & atrociſſimè tandem abſumatur. *Qvid INFELICI* (ait Auguſt. appoſitè) *ejusmodi Viro* [literato] *præſtat invidia, qvam in ſecretis conſcientiæ quibusdam UNGULIS livor ipſe diſcerpit?* Eundemqve cruciatum deſcripturus B. Antiochus; *Planè* [ait] *invidia vehemens atqve atrox malum, ac modis omnibus crudele eſt, qvi enim cuipiam invidet, animi angore diſcruciatur, contabeſcit, miſerè eliquatur totus, invidia enim quaſi vermis in ligno & in veſtimento tinea; ita cor deniq; & faciem ejus conficit, ac macerat hebeti pallore, qvi ſemel in illius incidit manus.* Aliena gloria flagellum ipſi eſt, qvo arrepto immanis tortor carnifexqve graviſſimas ſibi inferre plagas ſolet, ipſamqve necem accelerat. Haud mitiores dixeris invidos illis, qvi violentas ſibi injiciunt manus, extremæqve crudelitatis peſte laborant. Mala quæ intentant aliis, in ipſorummet capita recidunt, & qvem, inviti licet, bonis viris reddunt propitiū Deum, hoſtem infenſiſſimū ipſi tandem experiuntur; id quod præprimis ſanctus notavit Chryſoſtomus; *Quanto majora* (ſcribens) *invidia laboras, tanto majora illi offers bona, cui invides, Deus enim qvi omni*

Auguſt. ſermon. LXXXIII. *de temp.*

Antioch. hom. LV.

Chryſoſt. homil. 4?. *in Matth.*

omnia perſpicit, cum viderit innocentem injuria circumventum, extollit, multo magis, clarumque illum facit, invidentem autem deprimit. Nullius non ævi hiſtoria docuit, haud ita facilè deleri invidi in innocentem ſævientis facinus, ſed iratam Nemeſin ictûs ejus audaciam fortiter utplurimum repreſſiſſe. *Haſtam Saul jacit in Davidem* [ſcitè Seleucienſis ait Baſilius] *ictum verò paries excipit, omnibuſqve facinus indicat, non enim OMNIA VIDENS oculus hic curam remiſit, neqve jactum telum divinam providentiam prævertit. Ita David periculo exemptus eſt, & lapis funeſtæ manus monumentum, teli ſuſtinuit impreſſionem.* Sic eſt profectò, lanceam Saulis invidi, Davidi innocenti intentatam, paries ſæpè (illæſo Dei ſervo) excepit, negatumqve freqventer fuit piorum adverſarijs, qvod nonniſi livore urgente in optimos qvosqve facinus deſignaverant.

Baſil. Seleuc. orat. XV.

IV. Qviſqvis igitur literatorũ cœleſtẽ illã irati Numinis evitare velit catapultam, nullũ prors⁹ INVIDIÆ concedat locũ, atq; in ſpinis iſtis evellendis, confringendâq; potius, qvam evibranda atroci illa lanceâ ſtrenuè deſudet; *Conſideret unuſqviſq;* [dico cum S. Aurelio] *conſcientiã ſuã, & ſi ſe videt de proſperitate proximi ſui invidiæ veneno percuſſũ, evellat de pectore ſuo ſpinas & tribulos, ut in eo ſemẽ Domini qvaſi in fertili agro multiplicata ſegete lũinis con-*

Auguſt. ſerm. LXXXIII. de temp.

concipiatur, ut amaritudo invidiæ, Chriſti dulcedine leniatur. Qvodſi verò ipſe livoris maligni jaculis, odijq; omninò immeriti ſpiculis freqventius petatur, conſtanti ea excipiat pectore, neqve acceptas injurias aut contumelias invidorum unqvam ulciſcatur, cumulatius Deus illas vindicabit, qvam poſſet aut etiam vellet Doctor injuriâ affectus, á vindicta tamen [illo ingenij verè diabolici veſtigio] omninò abhorrens. *Qvia David ſe ipſe ulciſci* [notanter ait Salvianus] *diſtulit, ultionem ſtatim Deo executore percepit. Extincto itaqve paulò poſt adverſario ſuo, & manu cœleſti obruto ſic locutus eſt: Benedictus Dominus qvi judicavit cauſam opprobrij mei de manu Nabali, eundem qvoqve cum fugaſſet è regno filius perſecutor, judex in brevi Dominus vindicavit. Nec vindicavit tantum, ſed cumulatius vindicavit, qvam ipſe voluit, qvi vindicabatur: ut oſtenderet DEus graviorem ſibi eſſe injuriam injuſta tolerantium, qvam tolerantibus ſuam, nam qvi ſupra votum ejus vindicat, qvi vindicatur, qvid aliud vult intelligi, qvam ſe ipſum in eo, qvem ſic ulciſcitur vindicari.* Extat inſignis Petri Bleſenſis ad conſtantiam contra INVIDOS exhortatio, ſub cujus finem verba in rem præſentem planè egregia leguntur: *Erit, erit qvando hæc* [ſcil. à turpi livore immiſſa ſpicula] *meminiſſe juvabit, erit qvando reſpondebis exprobrantib⁹ tibi verbum,*-

Salvian. lib. II. de Gubernat. Dei.

Petr. Bleſ. exhort. ad conſtant. contra invid. epiſt. 87. ad Gvil. Elienſ. tunc Epiſc.

Digitized by Google

tunc videbis & afflues, qvia tuis remetieris Æ-MULIS in menſurâ, qvâ menſi ſunt tibi: Scio qvia faciet Dominus de perſeqventibus me judicium; repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Expecto ut juguletur Goliath gladio, qvem paraverat in mortem David: Et Aman *puniatur in cruce, qvam paraverat Mardochæo. Tua verò circumſpectio Pater, de cætero fidem diligentius examinet ſingulorum, qvos in tua familiaritatis ſacrarium decreveris admittendos.*

Pſalm. CXIX. v. 84.

V. A longo ſeculorum decurſo tempore, obſervatum, ipſiusqve VERITATIS COELESTIS oraculo comprobatum eſt, PROPHETAM CONTEMNI IN PATRIA, h. e. qvemvis doctrinâ virtuteqve ſingulari conſpicuum Virum, in loco qvo à parentibus ſuis primum in lucem fuit editus, qvo item educatus, inſtitutus, ac qvaſi vitâ donatus morali, utplurimum ſperni, ſive clàm, ſive manifeſtò, ſive directè ſive indirectè proſcindi, vexari, modisqve variis [qvos ignorare literato christiano haud eſt dedecori] præter culpam aut meritum ſuum peſſimè exagitari; qvinimò ſympatriotarum ſuorum malitiâ nonnunqvam ita exacerbari, ut ad Campani exemplum, Turcis potius ac infidelibus, qvam concivibus adeò malignis cohabitare inducat in animum. Teſtatiſſimum verò eſt, non niſi LIVOREM iniqvitatis ejuſce reum peragendum eſſe, & plusqvam vipeream invidiæ [maximos

ximos

ximos qvoſqve Viros infeſtantis] malignitatem; hâc faſcinati plurimi, ſympatriotarum ſuorum bona etiam atqve etiam volunt diminuta, ſoliqve ipſi cum Cæſare & Pompeo in patria eminere deſiderant. Et *cum* [notante Tacito] *inſita mortalibus natura recentem aliorũ felicitatem ægris oculis introſpicere, modũq; fortunæ à nullis magis exigere ſoleat, qvam qvos in æqvo viderunt*; clariſſimè apparet, culpam novercantis Patriæ potiſſimum in peſſimam illam livoris affectionem eſſe conjiciendam. Qvid qvod ipſo Hieronymo [qvi Tacito major extitit] monente, propemodum naturale ſit, qvod cives ſemper civibus invideant, ſiqvidem non conſiderent præſentia viri bona, ſed fragilis recordentur infantiæ, qvaſi non ipſi etiam per eoſdem gradus ad maturam ætatem perveniſſent. Alit tellus qvælibet nefarios ſuos Vatinios, qvi atrociſſimis in concives contumeliis, & optimi cujuſqve criminatione, perditâ item nocendi vi, aliorumqve depreſſione, Neronum gratiam qvandoqve aucupantur, & [qvod de Licinio Proculo habetur] alios criminando, bonos & modeſtos anteire laborant, fingentes non rarò aliqvid, unde amico (ſympatriotæ) infamiam parent, indeqve ſibi gloriæ plurimum ſuffurentur. Sint licet & aliæ contemptus concivici cauſæ atqve rationes, utpote nimia familiaritas, plerunqve [ut in proverbio

Tacitus lib. II. Hiſt. c. 20.

confer Ariſtot. l. 5. pol. c. 3.

Hieron. lib. II. in Matth. c. 13.

Confer Tacit. XV. Annal. c. 34.

Idem XIX. ann. c. 87.

bio eſt] pariens contemptum; natalium item explorata tenuitas atq; ignobilitas, qvam nemo unqvam ſine cæterorum indignatione, virtute ſuâ eſt ſupergreſſus; curioſitatis ad hæc novitatisqve pruritus, qvo agitati neo-Athenienſium plurimi, acrius cognoſcere avent, qvid è peregrino Orbe ſit deportatum, ac proin exotica domeſticis ita ſæpè præferunt, ut clarorum in patriâ Virorum dona ac virtutes flocci pendere, omneqve ignotum pro magnifico habere non vereantur. † Ut ut igitur ea Viris optimis gravem in patria contemptum ſæpiſſimè concitare ſoleant; palmariam tamen cauſam, cur Prophetæ plerunqve in patriâ vileſcant, LIVOREM peſtilentiſſimum omni ævo extitiſſe, ipsâ rerum magiſtra experientia abundè ſatis edocuit. Non niſi livore faſcinati malevoli qvidam, pervicaciter negant illos, qvos annis qvondam moribus & converſatione pares habuerunt, majorem in præcordia virtutem admittere, aut nobiliora doctrinæ pietatisqve documenta dare potuiſſe. Et cum freqventer timeant, ne eis ſurripiatur, qvod ipſi tantoperè affectant, ſive officium ſive beneficium, & conferatur ſympatriotis melioribus, hinc miris illos exagitare modis, atro ubiqve notare carbone, atqve

eorum

† *De qvibus contemptûs concivici cauſis Adamus Rechenbergerus Diſſert. peculiari Lipſiæ año 1670. edita præclare diſſeruit.*

eorum ſimultatem affectare non dubitant, *qvorum* (ut Apuleus loqvitur) *ſimilitudinem deſperant.* Si forſitan ominentur, Viros doctrinâ virtuteqve illuſtres, altiora honorum ſedilia conſcenſuros, turpes ubiq; de iisdem ſpargere rumores, ac præter rem culpamve ſuam temeratæ virtutis, admiſſæq; vitioſitatis reos peragere conantur, dicta eorum factaqve cribrantes, geſtus & mores examinantes, ut ſi in eis qvidpiam furfuris reperiatur, protinus in aures ſpargatur potentiorum, ſuppreſſa optimarum ac præclariſſimarum actionum ſimilagine; id deniqve ſolerti ſtudio agentes, ut vileſcant apud cæteros Viri integerrimi, atq; omninò impediatur incrementum illorum, qvos iniqviſſimo & pluſqvam Vatiniano odio proſeqvuntur. Hinc eſt, qvod ſpe & expectatione ſuâ lividi iſti nonnunqvam dejecti, miſerrimè tabeſcant, & ad aliorum actiones oculatiſſimi, mox peſſimè cæcutiant, qvin imò ad extremas tandem anguſtias redigantur. O miſeram itaqve INVIDORUM conditionem, qvam vivis coloribus D. Proſper depicturus; ſcitè *eos ad gaudenda anxios, ad plangenda lætos, utrobiq; diſperſos, omnibus deniq;, imò ſibimetipſis odioſos* pronunciavit. Obſtupeſcendum planè eſt, qvod pauci adeò, vitii hujus tam freqventis, tam pernicioſi virus ſibi revocent ad animum, imò diabolicâ fraude circumventi, miſerè contabeſcant potius,

tius,qvam ſacris oraculis præſcriptá admittát medelam. Si graves invidorum dolores, miſerias, & cruciatus conſiderarent, attentius omninò furores ſuos mitigarent, totiqve in declinando atroci adeò malo eſſent occupati; ſed & à peſſimo more eorum recederent, qvi ut decipiant cautius, palam ſuos laudare æmulos, mox ſecretis eos infamare criminationibus,adeòq;(ut ait Seneca)*per ornamenta ferire* non dubitant. Sunt eqvidem non pauci in cœtu literatorum hominum, *qvibus invidia in occulto,adulatio in aperto eſt.* Qvemadmodum Auguſtus memorante hiſtorico, honorâ oratione qvædam de habitu cultuqve & inſtitutis Tiberii jecerat, qvę tamen velut excuſando exprobrabat; ipſeqve Tiberius multa de aliorum virtute memorabat, magis in ſpeciem verbis adornata, qvam ut penitus ſentire crederetur: Sic clam nonnulli contemnere, atroqve notare carbone ſuos ſympatriotas ſolent, qvos conqviſitis elogiis publicè ducunt ornandos. Amoveant à ſe felicitatis veræ candidati turpiſſimum hunc male-ſanæ mentis characterem, caveantqve ſollicitè, ne unqvam execrabilis adeò malitiæ & pudendæ intemperiei veſtigia conſectentur.

VI. Qvodſi verò piè-literatorum aliqvis, lividos adeò & iniqvos experiatur concives, neutiqvam ſuccenſeat iis vehementius, ſed con-

condoleat potius, & Chriſti, Prophetæ in patriâ contemtiſſimi, atqve genuinorum diſcipulorum éjus exemplis edoctus, ad fortiter & cum gaudio tolerandum livorem domeſticum ſeſe accingat. Cæterum, cane pej⁹ & angve omnem oſtentationem & jactantiam devitet, latitare amet, & qvæcunqve gloriam afferre poſſent, vel famam ampliorem conciliare, etiam atq; etiam declinare ſtudeat, non qvidem intermittens ſinceræ virtutis exercitium, ſed inſigniora potius naturæ dona occultans, & ad altiora qvæqve ambitum pro virili ſuâ refrœnans, ſecus ubi egerit, augebit contra ſe acerbum livoris malum, atqve venenata malevolorum concivium ſpicula neutiqvam evitabit. Cum olim urgente livore [Hellinando qvodam ita memorante] inter duos viros religioſos vehementiſſimæ diſſenſionis odiiqve maximi ſeminaria propullulaſſent, alterqve furoris diabolici œſtro percitus, alterum innocentem qvidem, conficto mendacio de crimine qvodam deteſtando accuſaſſet, iſte cœleſti præſidio nixus, accenſam diſcordiæ facem extingvere qvantocyus laboravit; *Et qvanto* (ut notanter addit ſcriptor] *malevolus ille ſeu clancularii, ſeu apertis inſectationib⁹, irriſionibus, detractionibus fratris animum ad amaritudinem perducere nitebatur, tantò iſte in humilitate timoris DEI ſemetipſum ſubmittens, LIVORIS & impatien-*

Hellinā. Mon. in Exord. Ciſt. lib. V. c. 15.

tientiæ ſtimulos, qvos in corde ipſius adverſarius exacuere tẽtabat, confitẽdo, flendo & orando vigilanter retudit, donec malitioſus ille infamator vehemẽter cõpunct⁹, & ab omnimodâ fratris inſectatione tandẽ aliqvando abhorrens, horrendi livoris ſcelus, fictamqve temerè invidiæ ſcenam fuit deteſtatus, qvin imò maxima cordis contritione lapſus ſuos publicè deploravit. En, optimum contra venenatos ſerpentini concivicíqve livoris morſus pharmacum, oportunumqve ad illum ſedandum extingvendumqve compendium! Utinam conſimili æqvanimitate, pariqve induſtriâ noſtri ævi literati omnem invidentiæ amaritudinem eliminarent, & qvantâ poſſent animi demiſſione pectorum ſibi apprimè adverſantium malitiam reprimerent, ad veram atqve imperturbatum animi contendentes tranqvillitatem. Scitè admodum J. Lipſius, ſympatriotarum ſuorum, ob deſcriptum Lovanium invidiæ & cavillis expoſitus; *Vides* (aiebat) *qvo præmio ſcribimus; & alibi fortaſſe in gratia, domi frigemus. Sic ſolet, FERO, & genium mea patriæ (ſi Deo viſum) elegantiorem votis expoſco.* Huc pertinet qvoqve ante laudati Petri Bleſenſis pia & elegans ad Gvilielmum Elienſem Epiſcopum exhortatio ad CONSTANTIAM CONTRA [concives] INVIDOS: *Habe igitur ſuſtinentiam, & in opus fortitudinis te accinge. Si enim in ſpiritu manſuetudinis hæc ſuſti-*

J. Lipſ. Cent. V. Miſcell. Ep. 92.

Petrus Bleſen. epiſt. 87. Opp. Pariſ. editorum, p. 134.

ſuſtineres, propter manſvetudinem tuam liberabit & exaltabit te, qvi erigit manſvetos in ſalutem. QVI AFFLICTUS ET HUMILIATUS EST, dicit Job, ERIT IN GLORIA; Et tu qvæſo freqventius pſallas & dicas: Bonum mihi Domine qvia humiliaſti me, tanqvam aurum in fornace probavit te Dominus. Non eſt enim Iacob qvem Eſau non perſeqvitur, nec eſt Abel, qvem Cain malitia ſuâ non exercet; juſtus ſepties cadit in die, fortiorqve reſurgit, multæ enim ſunt tribulationes juſtorum. In ſex tribulationibus dicit Job liberabit te Dominus, & in ſeptimâ non tangit te malum. Non deſeras qvæſo patientiam, patientia enim juſtorum non peribit in finem. Non te moveant opprobria exprobrantium tibi; qvia teſtimonio Scripturæ non contriſtabit juſtum qvicqvid acciderit ei. Docent nos exempla Majorum, qvod Viri magnanimi fortitudo gravioribus injuris laceſſita grandeſcit. Nihil arduum nihil magnum eſt magno viro: nec timendum eſt qvicqvam ei eſſe difficile, cum ſoleat difficultas ex ſolo timore procedere. -- Erit, erit qvando hæc meminiſſe juvabit, erit qvando cum gratiarum actione cantabis, & dices: Oſtendiſti mihi Domine tribulationes multas, & converſus vivificaſti nos: - Scio qvod faciet Dominus de perſeqventibus me judicium, repoſita eſt hæc ſpes mea in ſinu meo. Expecto ut

Johan. XXII. 29.

Pſalm. CXVIII. verſ. 71.

Prover. XII. verſ. 21.

Pſalm. CXIX. verſ. 84.

jugu-

jugulетur Goliath gladio, quem paraverat in morte David, & Aman puniatur in cruce, quã paraverat Mardochæo &c. Hæc ſibi dicta putent omnes concivium malignantium livore preſſi literati, cœleſtiqve præſidio nixi, infractam in opprobrio illo ſuſtinendo conſtantiam conſectentur.



COM-

COMMONEFACTIO XXI.

SYMMYSTA LIVIDUS,

SIVE

SPECULUM INVIDIÆ ECCLESIASTICÆ,

EXHIBENS

QVINQVE DOCTORES VETERES, MALIGNITATE PSEUDO-FRATRUM GRAVISSIME INFESTATOS.

Ad Comentat. IV. num. IV. ſeqq.

B. L.

C*Um ſub Qvartæ* COMMENTATIONIS *noſtræ (qvâ* LITERATORUM INVIDORUM *malitiam multivariam duximus detegendam) initium, illuſtres qvoſdam priſci ævi Doctores ab atri* LIVORIS *nebulis graviter aliqvandiu obfuſca-*

tos

tos oſtenderimus, & à malignantis Invidiæ turbinibus vehementiſſimè infeſtatos; utpote Q. SEPTIMIUM FLOR. TERTULLIANUM, BASILIUM MAGNUM, GREGORIUM NAZIANZENUM, HIERONYMUM STRIDONENSEM, & JOHANNEM CHRYSOSTOMUM; animus nunc eſt, eundem (ſed curatiori multò & diffuſiori ſtudio) reſumere laborem, & qvam indigna maximi illi Viri, non ab heterodoxis adeò, qvam ipſis FIDEI & PROFESSIONIS SUÆ SOCIIS, urgente Livore ſint perpeſſi, velut in SPECULO qvodam luculentiori dare demonſtratum. Obveniet unà conſpectui Tuo B. L. pudenda SYMMYSTÆ LIVIDI facies, & GENII pſeudo-fratrii imago vivis qvaſi coloribus expreſſa. Nec ſine ſtupore fulminantes miſerias aſpicies, qvæ iniqvorum malignitate pectoribus illis, eruditione pariter ac virtute ſummâ conſpicuis fuère ſubeundæ; CAUSAS adhæc conflatæ tantis nominibus INVIDIÆ inde cognoſces penitius, & ingenioſam æmulorum neqvitiam etiam atq; etiam deteſtaberis. Cæterum, habebunt qvoq; unde ſibi metuant ſe-

qvi-

qvioris ævi Doctores, Rerũq; Sacrarum adminiſtri, ſive ſuâ, ſive aliorum opinione firmatiſſimi, ſiqvidem Magnifica adeò ſanctæ Civitatis Palatia, incomparabilis doctrinæ & virtutis baſi ſuffulta, exſurgente Livoris turbine tantoperè agitata ſint, ut coram eo (juxta Salomonis effatum) minimè conſiſtere potuerint. *Prov. XXVII. verſ. 4.* Qvidni tuguriolum aliqvod contremiſcat, ubi tempeſtate ſubortâ ædificium ampliſſimum corruiſſe, ſaltim caſui vicinum fuiſſe compertum fuerit? Deniq; tantorum Virorum exemplis & documentis optima PRUDENTIÆ excolendæ & acuendæ ratio eluceſcet, virtusq; antidoti illius ſaluberrimi, cujus beneficio morſus ſerpentini Livoris ſive feliciſſimè eludi & evitari, ſive fortiſſimè & ſine noxâ graviori ſuſtineri tolerariq; poſſint. Qvod ſi & FRATRIBUS ATRATIS, Myſtisq; pudendi Livoris æſtro percitis, probra animi ſui malignantis obvenerint, adprimè caveant, ne SPECULO ſuccenſeant innocuo, qvin potius de maculis ſuis eliminandis abſtergendisque etiam atqve etiam ſint ſolliciti; cæterum Patro-maſtigum priſco-

rum periculis & caſibus funeſtioribus edocti, ſapiant rectius, inq́ expellendâ omni Livoris ac æmulationis mordacitate ſtrenuè deſudent, donec & ipſi ad FELICIUM EX ANIMO, h. e. CHARITATIS ſinceræ diademate conſpicuorum Doctorum ſortem, atque ſupremæ in ACADEMIA CHRISTIANA dignitatis gradum deveniant.

I. Q. SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS.

I.

Euſeb. in Chronico.
Hieron. epiſt. ad Magn. Orat.
Idem in Catal. Scriptor. Eccleſiaſtic.

PRIMUM in funeſto INVIDIÆ Eccleſiaſticæ Theatro locum TERTULLIANO qvondam aſſignavimus, *VIRO* (Euſebio teſte) *omnium Eccleſiarum ſermone celebrato*; qvo [Hieronymo enunciante] nihil eruditius, nihil acutius; ſed qvo poſt vehementiores LIVIDORUM SYMMYSTARUM incurſus nihil vexatius extitit, nihil funeſtius, nihil miſerabilius; ſiqvidem eodem Doctore perhibente, *non niſi INVIDIA & contumelys CLERICORUM Romanæ Eccleſiæ ad Montani dogma ſit delapſus*: Pariter ut Sophronius eundẽ Tertulliani lapſum φθόνῳ καὶ προπηλακισμοῖς τῶν κληρικῶν τῆς Ῥώμης ἐκκλησίας, & Nicephori interpres, propter Cleri Romani INVIDIAM con-

contigiſſe tradiderunt. Et cum ex honorificis Veterum de eodem Tertulliano judicijs *

* Eminet inter ea famigeratiſſimi Vincentij Lirinenſis; qvi poſtqvam de Origene verba feciſſet, de noſtro ſic ait: *Sed & Tertulliani qvoqve eadem ratio eſt: Nam ſicut ille apud Græcos, ita hic apud Latinos noſtrorum omnium FACILE PRINCEPS judicandus eſt. Qvid enim hoc Viro doctius? qvid in divinis atq; humanis rebus exercitatius? Nempe omnem philoſophiam & cunctas philoſophorum ſectas, auctores adſertoresqve ſectarum, omnesqve eorum diſciplinas, omnem hiſtoriarum ac ſtudiorum veritatē, mira qvâdam mentis capacitate complexus eſt. Ingenio vero nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil ſibi penè ad expugnandum propoſuerit, qvod non aut acumine inruperit, aut pondere eliſerit. Jam porrò orationis ſuæ laudes qvis exeqvi valeat? Qva tanta, neſcio, qva rationum neceſſitate conferta eſt, ut ad conſenſum ſui qvos ſvadere non potuerit, impellat; cujus qvot penè verba, tot ſententiæ ſunt: qvot ſenſus tot victoriæ. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeæ, Hermogenes, Judæi, Gentiles, Gnoſtici, cæteriqve qvorum ille blaſphemias multis ac magnis voluminum ſuorum molibus, velut qvibuſdam fulminibus evertit.* Vinc. Lirin. commonit. I. cap. 24.

adprimè conſtet, qvantus ille doctrinæ multijugæ Profeſſor, qvantuſqve Virtutis præfulgidæ cultor fuerit, dubium non eſt, Clericos imperitiores & frigidiores, utriuſq; luminis ſplendorem ægerrimè pertuliſſe, Viroqve per omnia Maximo, ob nobile illud eruditionis cum maſculâ virtute connubium ſummopere fuiſſe infeſtos.

II. Cæterum, cum inſigni ſpiritus libertate uteretur, atqve rigidiorem paulò vitiorum, Eccleſiaſticos homines deformantium cenſorem ageret, factum, ut gravioribus indies à Symmyſtis procacibus, injuriis atqve contumeliis fuerit laceſſitus. Graviter nimirum Tertullianus caſtigaverat pudendam ſpectaculorum Gentilium freqventationem, ab ipſis Clericis adamatam, deqve eâ labe verbis hiſce ſignificantiſſimis fuerat conqveſtus: *Sed Tragœdo vociferante, exclamationes ille* (nempe aliqvis ex Clero) *alicujus Prophetæ retractabit? & inter effeminati hiſtrionis modos pſalmum ſecum comminiſcetur? & cum athletæ agent, ille dicturus eſt repercutiendum non eſſe? poterit & de miſericordia moveri defixus in morſus urſorum, & ſpongias retiariorum? Avertat Deus à ſuis tantam voluptatis exitioſæ cupiditatem. Qvale eſt enim de Eccleſia Dei, in diaboli Eccleſiã tendere? de cœlo qvod ajunt in cœnum? illas manus qvas ad Deum extuleris, poſtmodum laudando hiſtrionem fatigare? Ex ore*

Tertull. lib. de Spectac. cap. 25. opp. fol. 83. edit. Pariſ. 1664.

QVO AMEN IN SACRVM PROTVLERIS, gladiatori teſtimonium reddere, εἰς αἰῶνας ἀπ' αἰῶνος alii omninò dicere niſi DEO & Chriſto. Eadem ſane de Clero qverela poſtea Magni fuit Athanaſii, in Apol. adverſus Gentes, ubi dolet MEMBRA DICATA DEO, inſervire Idolorum obſeqvio, interq; alia cum Tertulliano mentionem facit manuum qvæ factæ εἰς ἔκτασιν τῆς πρὸς τὸν Θεὸν εὐχῆς. Qvinimò ad ſeculum Auguſtini duraſſe iſtam Clericorum qvorundam perverſitatem, ipſe Divus Aurelius non ſine dolore teſtatur: *Qvantis turbis implentur Eccleſiæ, ſtipantur parietes, preſſuris ſe urgent, propè ſe ſuffocant multitudine. Rurſus ab eis ipſis ſi minus eſt, curritur ad amphitheatrum.* Et in Pſ. L. *Si fortè in ipſo aliqva ex cauſa expaveſcant, continuò ſe ſignant, & ſtant illic portantes in fronte, unde abſcederent, ſi hoc in corde portarent.* Porrò, Tertullianus in Clero Romano acriter reprehendebat præproperam perſecutionis tempore fugam atqve puſillanimitatem: *Plane ſupereſt* (inqvit) *ut etiam martyria recuſare meditetur; qvi prophetias ejuſdem Spiritus Sancti reſpuit: NOVI ET PASTORES ETIAM EORUM, IN PACE LEONES, IN PRÆLIO CERVOS*; qvibus verbis (monente Rhenano,) Epiſcopos populi orthodoxi notavit, ceu molliculos, & qvi

Auguſt. Comm. in Pſal. 39.

Tertull. lib. de Corona Mil. cap. 1.

perſecutionis tempore primi fugiant, cum plebem ad martyrium animare deberent. Deniqve horriſona hæc Tertulliani in Clerum

Idem lib. de Idol. c. 7.

„ R. verba leguntur: *Adleguntur in ORDI-*
„ *NEM ECCLESIASTICUM Artifices I-*
„ *dolorum. Proh ſcelus! Semel Judæi Chri-*
„ *ſto manus intulerunt, iſti quotidie corpus ejus*
„ *laceſſunt, ô manus præcidendæ! viderint jam*
„ *an per ſimilitudinem dictum ſit: Si te manus*
„ *tua ſcandalizat, amputa eam, quę magis am-*
„ *putandæ, qvam in qvibus Domini corpus*
„ *ſcandalizatur?* Hinc igitur iſtæ Cleri Romani lachrymæ! hinc acerbæ, urgente livore & odio, in Tertullianum contumeliæ! Eſto, συναίτιον huj⁹ invidiæ (uti alibi etiã notavimus) fuerit ingenii ejus durities, morũ auſteritas, ſingularitatis qvædam affectatio, facilisqve credulitas, de qvâ Baron. ad ann. 201. n. 10. Fuerit melior PATIENTIÆ encomiaſtes, qvam gymnaſtes; hæc tamen neutiqvam impediunt, qvo minus præter inſignem raramqve Tertulliani eruditionem, ſumma ejuſdem in dicendo ſcribendoqve libertas, pro palmariâ invidiæ ei concitatæ cauſa ſit habenda, qvâ offenſi Clericorum Romanorum plurimi, contumeliis tam atrocibus lacerarunt illum, cujus verbis graviter ſeſe notatos atqve caſtigatos, conſcientiâ teſte reputarunt.

III. Sed dicat aliqvis, non niſi juſto ſanctoqve odio orthodoxos in Tertullianum, utpote

pote Montani hæretici aſſeclam*, hominemqve à communione fidelium ſegregatum deſæviiſſe. *Non poſſunt enim*, ut inqvit Ambroſius, *eſſe inter eos jura pacis, inter qvos eſt bellum fidei.* Ideoqve omni tempore exoſum in Eccleſia hæretici nomen, eoqve infames, Gentilibus ipſis deteriores ſunt reputati, veluti Magnus Athanaſius hæreticos ne ethnicis qvidem æqviparandos cenſuit; *Tantum*, inqvit, *abeſt, ut eos Chriſtianos appellare velim*; veluti etiam Chryſoſtomus; *Hæreticos* (ait) *Gentilibus eſſe pejores nemo dubitat, cum Gentiles per ignorantiã Deum blaſphement; hæretici autem per ſcientiam lanient veritatem.* Qvamobrem uti eorum dogmata & nomina illibatæ fidei ſectatores vehementer ſunt execrati; ita prava ac perniciosa hæreticorum commercia impenſiori ſtudio devitare ſatagebant, hinc eſt, qvod omnem cum cacodoxis communicationem fidelibus conſtitutione qvâdam peculiari interdictam legamus, h. m. *Impios hæreticos non pœnitentes diſcludite, & ſemovete a fidelibus . . . . neqve ulla cum eis ſit ſermonis aut precationis communitas.* Sic cum Tertulliano nondum nato, Cerdo qvidam

Ambroſ. l. III. de offic.

Athan. in epiſt. ad vitã ſolitar. agentes.

Chryſ. in Matth. XII.

* Tertullianum alicubi ipſe Hieron. eſt dedignatus, cum Helvidius ejus uteretur nomine; *De Tertulliano* (inqvit) *nihil amplius dico, qvam Eccleſiæ hominem non fuiſſe.*

dam & Marcion hæretici in urbem adveniſſent, ſacris meritò interdicti, & ab omni orthodoxorum conſortio ſejuncti fuerunt. Sub Eleutherio pariter Pontifice, Florinus qvidam ex ipſo Presbyterii gradu depulſus, & à cœtu piorum eſt ſeparatus. Sub Victore Papa, anno Chriſti CXCVI. hæreticum Theodorum Conſtantinopoli venientem, inqve falſorum dogmatum diſſeminatione deprehenſum, ab Urbe protinus exturbatum, & à fidelium congregatione exterminatum fuiſſe, Epiphanius teſtatur, cui Theodoretus in hæc planè verba ſubſcribit: *Eum beatiſſimus Victor Romanus Epiſcopus abdicavit & excommunicavit, &c.* Qvo etiam ævo ſub Zephyrino Papa, Praxeam qvendam ex Aſia in Urbem advolaſſe, atqve ab eodem, ubi primùm hominis impietas innotuit, inde protinus effugatum, atqve anathematis jaculo impetitum fuiſſe, ipſemet Tertullianus adverſus eundem Praxeam ſcribens enunciavit, aliaq; ſeveritatis ejuſce eccleſiaſticæ exempla in libro de præſcript. commemoravit: *Ubi tunc* (inqvit) *Marcion, Ponticus Nauclerus, STOICÆ STUDIOSUS? ubi tunc Valentinus, Platonicæ ſectator? nam conſtat illos, neqve adeò olim fuiſſe, Antonini fere principatu, & in Catholicam primo doctrinam credidiſſe, apud Eccleſiam Romanenſem, ſub Epiſcopatu Eleutherii benedicti, donec ob inqvietam ſemper eo-*

Tertull. lib de præſcript c. XXX.

rum

rum curioſitatem, qvam fratres qvoqve vitabant, (aliàs legitur *qvâ fratres qvoqve vitiabant*,) *SEMEL ET ITERUM EIECTI, Marcion qvidem cum ducentis ſeſtertiis qvæ Eccleſiæ intulerat, noviſſimè in perpetuum diſcidium relegati, venena doctrinarum ſuarum diſſeminaverunt.* Idemqve Tertullianus de Cerdone & Marcione hæreticis iſthæc proloqvitur:

Tertull. ſeu poti? author incertus lib. III. de Concord. Patrum V. & N.T.

Poſt illum (Teleſphorum ſc. cui Hyginus ſucceſſit) *ſocius legis certusq; Magiſter,*
Cum veſtri ſceleris ſocius præcurſor & auctor
Advenit ROMAM CERDO, nova vulnera geſtans.
Detectus, qvoniam voces & verba veneni
Spargebat furtim; QVAPROPTER AB AGMINE PULSUS.
\- - - -
Atqve pio ſuſcepit Anicetus ordine ſortem,
Sub qvo Marcion hic veniens, nova Pontica peſtis,
Nondum ſecretum facinus ſuo corde recluſum,
Paſſim vulgò loqvens latebroſa perfidus arte.
Sed poſtqvam cœpit mortis proferre ſagittas,
ABIECTUS MERITO, tam ſævi criminis auctor,
A ſanctis reprobus patuit mirabile monſtrũ.

Planiſſimè verò conſtat, ipſum tandẽ Tertull. poſt illaudatum in partes Montani hæretici

tranſitum, à communione fidelium ſegregatum, *ſeu ab agmine pulſum*, abjectumqve fuiſſe. Cum ſcilicet anno redempti Orbis ducenteſimo decimo qvinto, Zephyrino Papâ, Proclus Cataphrygarum ſive Montaniſtarum dux Romam perveniſſet, ut cathedram ibidem ſtabiliret, eumqve Cajus Theologus diſertis palam verbis argumentiſqve confutaſſet; ſententia damnationis tum adverſus eum, tum contra cæteros ejuſdem pſeudoprophetiæ defenſores, ipſumqve adeò Tertullianum (blaſphemi Montani, Eraſmo dicente, ſatellitem factum, & à Proclo errores propinante ſeductum) cum pari anathematis cenſura conſcripta eſt atqve pronunciata, cujus ipſe Tertullianus verbis meminit ſeqventibus: *Novitatem igitur objectant, de cujus inlicito præſcribant; aut hæreſim judicandam, ſi humana præſumptio eſt? aut pſeudoprophetiam pronuntiandam ſi ſpiritalis indictio eſt, DUM QUA QUA EX PARTE ANATHEMA AUDIAMUS, qui aliter adnuntiamus*: Nonne igitur juſtum fuit Cleri Romani in Tertullianum, Montani hæretici aſſeclam odium? præſertim cum ex antiqvæ Eccleſiæ conſvetudine ii, *qvi anathemate percuſſi*, cane pejus & angve etiam extra ſacra negotia ab orthodoxis omnibus ſint devitati. Nam in Canonibus qvos Apoſtolicos vocant, can. XI. ita legimus: *Si qvis cum excommunicato ſal-*

Tertull. lib. de Jejun. c. 1. f. 544. opp.

tem domi ſimul oraverit, iſte communione privetur. Id qvod deinceps varia decreta Synodalia comprobarunt; Laodicenſ. Concilij canon. XXXIII. Carthaginenſ. IV. c. LXXIII. Arelatenſ. II. Can. XXX. Avernenſis Can. VI. & XI. & Epaunenſ. Can. XV. Imò notante Gabr. Albaſpinæo excommunicati non ſolum à ſacris arcebantur, ſed etiam nemo eos ſalutatione, nemo aſpectu, nemo alloqvio, nemo convivio dignos judicabat. *Gabr. Albaſpin. in Eccleſiaſt. obſervat. num. 2.*

IV. Neutiqvam profectò graviſſimum Tertulliani lapſum excuſabimus, neq; latam in eum priſcæ Eccleſiæ ſententiã (qvam ipſe alicubi divinam cenſuram & futuri judicii præjudicium appellat) iniqvitatis poſtulabimus; oſtendendum qvin poti⁹ duximus, tanti Viri in caſtra Montani tranſitum (qvẽ meritò inter priſcæ Eccleſiæ triſtia Pamelius numeravit,) non niſi INVIDIA DUCE & auſpice contigiſſe. Ita enim loco ſupra allegato diſertè Hieronymus: INVIDIA *poſtea & contumeliis Clericorum Romanæ Eccleſiæ ad Montani dogma delapſus, &c.* Qvamvis author Comment. in Epiſt. Paul. B. Ambroſio adſcripti, invidiam hanc ita interpretari videatur, qvaſi ipſius Tertulliani in Clerum Romanum fuiſſet: Sic enim inqvit: *Per invidiam charitatem corrumpentes, ſcientiam ad nihilum deduxerunt; Nam & Tertullianus & Novatianus non parvæ ſcientiæ fuerunt, ſed quia per* *Apologet. c. 39.*

Zelum

zelum charitatis fœdera perdiderunt, in ſchiſma verſi, ad perditionem ſui hæreſes creaverunt. Aſt propius veritati accedere videtur B. Rhenani de lapſu Tertulliani cogitatio, qvorundam etiam Romanenſium Doctorum (ægrè licet id Pamelio ferente) calculo probata; qvâ ſuſpicatur, illum, qvum initio (poſt acceptas ſc. à Clero invido graves injurias atq; contumelias) favere tantū cœpiſſet Montaniſtarum hæreſi, ſtatim Eccleſiæ communione privatum fuiſſe, priuſqvam ſe totum dederet; eaq; re commotum, prorſus in Montani caſtra tranſiiſſe. Ex qvo veriſimilior etiam fit conjectura noſtra, Hieronymum non ipſam Eccleſiæ Romanæ cenſuram in Tertull. latam, ſed potius ejus præcipitantiam reprehendiſſe. Facile deniqve adducor ut credam, hominem, qvi vitæ chriſtianæ profeſſionem in ſeveritate atqve auſteritate nimia, & continuo operum exercitio collocaverat, cum in Proclum ſeu Proculum moderatiorem Montani ſectatorem, & admiranda eloqventiâ præditum incidiſſet, miſerè adeò deceptum fuiſſe, qvod is doctrinam ſuam non ab hominibus, ſed à paracleto (qvi in eam deſcendiſſet) ſe accepiſſe profiteretur, qvodqve veritatem Catholici dogmatis aſſereret in his, qvæ ad Chriſtum Salvatorem, atqve Sanctiſſimam Trinitatem ſpectarent, caſtitatem item ac continentiam celebraret, jejunia auſterio-

ra ſpiritus ſui inſtinctu ſervanda indiceret, vigilias ac preces multiplicaret, martyrium in tantum extolleret, ut nec fugam aliasqve latebras, vel redemtionem vitæ concederet, hæc inqvam & alia è venenato Procli poculo haurientem Tertullianum (qvem & alioqvi in credendo adeò facilem fuiſſe conſtat, ut etiam qvaliumcunq; muliercularum ſomniis fidem præſtaret,) turpiter adeò impegiſſe, *& vetuſtæ fidei* (ut Vincentii Lirinenſis, magni aliàs Tertull. encomiaſtæ verbis utar,) *parum tenacem, ac diſertiorem multò qvam feliciorem, mutata ſententia in errorem delapſum*, MAGNAM FUISSE IN ECCLESIA TENTATIONEM. *Confer ejuſd. lib. de anima c. 9.*

II. BASILIUS MAGNUS.

I.

VEre Magnus hic atq; admirandus priſcæ Eccleſiæ Doctor, qvi peculiari Oratione INVIDIAM graphicè depinxit, toto ferè vitæ ſuæ curriculo maximè infeſtam habuit, indignaq; perpeſſus eſt, non ſolum ab apertis Eccleſiæ Orthodoxæ hoſtibus, falſorumqve dogmatum promachis, verum etiam ab ipſis Catholicæ veritatis aſſertoribus, cumprimis prædeceſſore ſuo Euſebio: *Nimirum* (ut ipſe egregiè ſcribit Baſil.)

juxta

Baſil. M. Orat. de Invidiâ opp. p. 189.

juxta Salomonis dictum, Viro æmulatio à ſodali ipſius: Ægyptio non invidet Scytha, ſed unuſqviſqve ſuo Gentili; & tamen in gentilitate non invidet ignotis, ſed familiariſſimis, & ex familiaribus his, qvi vicini ſunt ET EIUSDEM ARTIS, atque etiam aliàs conſortibus ac domeſticis, & ex his rurſus contanteis & cognatis ac fratribus. Internecinam ejuſmodi ſimultatem cum Baſilio exercuit Eusebius Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopus, *Vir* (teſte

Gregor. Naz. Orat. XX.

„ Gregor. Nazianz.) *cætera qvidem fortis, &*
„ *mirabili pietate preditus, ut illius temporis*
„ *perſecutio & acris adverſus eum ſuſcepta co-*
„ *tentio declaravit; ſed tamen in Baſilio ali-*
„ *qvid humani paſſus*, vel ut ante Jac. Billium
„ Raph. Volateranus Gregorii verba reddidit:
„ *Veruntamen invidiæ* (Euſebius) *qvæ dæmo-*
„ *nis impulſu magnos interdum evertere ſolet*
„ *Viros, reſiſtere non potuit, qvin & humanum*
„ *aliqvid ipſe pateretur.* Ac licet fontem ejuſce Invidiæ, cauſamqve palmariam Gregorius haudqvaqvam indicaverit; ſed *ſilentio diſſimulandam* ſatius eſſe judicarit; non obſcurè tamen ex verbis proximè ſeqq. ea colligitur; Inſignem ſc. Baſilii virtutē atq; eruditionem, qva longiſſimè Euſebium (nuper Laicum, & rerum eccleſiaſticarum imperitum) ſuperavit, oculos hominis perſtrinxiſſe, atqve fomitem invidiæ Euſebianæ ſubminiſtraſſe; *Namqve & in ſummam ille* (Svidâ ſcribente)

EXTER-

EXTERNÆ DOCTRINÆ *magnitudinem evaſerat, & in Sacris Scripturis, qvantum ad lectionem & expeditam memoriam conducebat, non vulgarem experientiam habebat.* Hinc illæ Euſebii Epiſcopi lachrymæ, odiiqve favillæ! Etenim ut bellè ipſe Baſilius: Fortis „ eſt qviſpiam, bona habitudine præditus eſt, „ hæc feriunt invidum; Alius forma præſtan- „ tior eſt, alia hæc eſt invidi plaga; *ILLE a-* „ *nimi præſtantia multos excellit, in ſapientia ac* „ *dicendi facultate conſpicuus eſt* (qvalis ſi qviſ- „ piam alius, ipſe profectò fuit Baſili⁹,) *& ad* „ *imitandū proponitur*, omnia hæc plagæ ſunt „ & vulnera medium cor invidi percellentia „ . . . . Interrogatus autē de affectione, eru- „ beſcit publicare calamitatem, nimirum IN- „ VIDUS SUM, & amarulentus, & affligunt „ me amici bona, & lugeo ob fratris lætitiā, & „ non fero aſpectū alienorum bonorum, hæc „ enim utiqve dixerit, ſi vera loqvi velit. Et hæc forſitan dixiſſet Euſebius, Baſilii æmulus, ſi vera loqvi voluiſſet. Tantas autem in ejus animo radices egit invidia, (ut laud. Gregor. memorante) non ſolum Baſilio palam adverſatus, verum protinus eundem ab Eccleſia repellere conatus fuerit. Id qvod tandem certo certius eveniſſet, ni pii qvidam & religioſi Viri, qvi Nazaræi vocabantur, omni virium niſu reſtitiſſent. *Hi cum* [verba ipſius Gregorii adſcribo] *gravè atqve indignum eſſe duxiſſent,*

Baſ. M. l. c.

xiſſent, pati ut is qui principatum inter eos obtinebat, contumelia & probro afficeretur & rejiceretur, periculoſiſſimum facinus aggrediuntur. A magno & à ſeditione ac diſſidio alieno Eccleſiæ corpore deficere, ſeſeq́ abrumpere conſtituunt, non exiguam quoq́ plebis partem amputantes, tam eorum qui inferioris erant ordinis, quam qui dignitates gerebant, id autem tribus de cauſis iisq́ firmiſſimis perfacilè erat. Primũ enim Baſilius in tanta apud omnes veneratione erat, quanta haud ſcio an quiſquam noſtræ ætatis philoſophorum; eamq́ vim habebat, ut cohorti ſuæ ſi voluiſſet, animos ac fiduciam afferre poſſet. Deinde qui moleſtiam ipſi exhibebat, (ſc. Euſebius Epiſcopus) *ob eum tumultum, qui in ipſius electione acciderat, civitati ſuſpectus erat, ut qui non tam legitime atq́ ex Canonum præſcripto, quam per vim præfecturam accepiſſet. Poſtremò aderant Epiſcopi quidam ex Occidente, qui orthodoxos omnes ad ſuas partes pertrahebant.*

II. Qvid autem in tanta rerum perturbatione Magnus ille Baſilius? FUGAM meditatur & SECESSUM; Cum enim de ambitione

tione mutuâ cum epiſcopo Euſebio certare, aut corpus Eccleſiæ (ab hæreticis Sabellianis & Arianis miſerè vexatum) lacerare neutiqvam vellet, Gregorio ſuo monitore, comite, & d. l. teſte, in Pontum profugit, cumqve Helia & Johanne qvodam amplexus eſt ſolitudinem, ac reverâ tunc opere ipſo præſtitit, qvod cunctis Theodulis ab invidiâ infeſtatis perſvadere eſt conatus: *Qvemadmodum materiam, qvæ facile ignem concipit, curæ eſt nobis qvam longiſſime ab igne ſeponere; ſic oportet qvantum poſſibile eſt, amicitias ab invidorum converſatione abducere, ut extra invidiæ tela conſiſtamus. Neqve enim alias invidiæ implicari poſſumus, ſi non per familiaritatem ipſi appropinqvemus.* Itaqve ab invidi Epiſcopi ſui converſatione tempeſtivè & prudenter ſe ſubduxit Baſilius, *conducibilius* [dicente Gregorio] *id ſibi eſſe exiſtimans, qvam in præſenti negotio cogitationem qvandam philoſophiâ ſua indignam ſuſcipere, ac conſilij & prudentiæ clavum, qvem in tranqvillitate tenuerat, in tempeſtate perdere.* Tantum abeſt verò, ut receſſu & fugâ ſua Baſilius cunctis invidiæ fluctibus ſit ereptus, aut in tranqvillitatis optatæ portum devenerit, ut potius in illa ipſa ſolitudine Ponticâ maximis invidiæ procellis ſit exagitatus. Etenim de innoxio & ab omni ambitione maximè alieno Viro rumor ſpargebatur, qvod meditatò & de induſtria

Baſil. M. orat. de Invid.

Gregor. Nat. orat. XX.

 domi-

domicilium ſibi propè Neo-Cæſareâ in eremo delegiſſet, ut ſi fortè Epiſcopalis illa ſedes vacaſſet, ipſe ad eam promoveretur. Cumqve paulò poſt deceſſiſſet Muſonius, inſignis pietate Neo-cæſarienſis Epiſcopus, & univerſæ civitatis eſſent in deligendo ei ſucceſſore Baſilio propenſiora ſtudia; accidit, ut qvi ſe in eam Eccleſiam intrudere conabantur hæretici Sabelliani, eundem Baſilium ambitionis, rerum novarum cupidinis, fideiqve deſertionis accuſarent: contra verò ſe magni illius Gregorij Thaumaturgi, primi Neo-cæſarienſis Eccleſiæ Antiſtitis doctrinæ ſectatores jactarent, qvâ arte Neo-cæſarienſes, primogenitoris ſui Gregorij ſtudioſiſſimi, hæreſi Sabellianâ infeliciter potati, in eam pariter corruerunt erroris foveam, ut Baſilium, qvem ſibi expetiiſſent dari Epiſcopum, acerbiſſimo odio fuerint inſectati. Qvod cum Baſilius perſenſiſſet, magno de pereunte populo dolore confectus, apud qvem ſub Macrinâ aviâ ſuâ prima fidei rudimenta percepiſſet, apologeticam ſcripſit epiſtolam, qvâ ſe à nævis impactis, atqve calumniis invidorum egregiè purgavit: *Qvandoqvidem* (qvæ ipſiusmet verba ſunt) *ad calumnias conticeſcere non oportet, non ut per contradictionem nos ipſos defendamus, ſed ne mendacio ſucceſſum permitamus, & deceptos in damno non ſinamus: neceſſarium viſum eſt mihi*

Baſil. Epiſt. LXIII.

mihi & hoc proponere omnibus, & veſtræ prudentiæ ſcribere, etiamſi nuper, ubi omnibus presbyteris ſcripſimus, nullo à vobis reſponſo digni facti fuerimus, &c. Ad calumniam verò de Epiſcopatu Neo-cæſarenſi à ſe expetito, ſubſeqventi reſpondit epiſtolâ, ac ſimul ſeceſsûs ſui, inqve ſolitudinem Ponticam fugæ cauſam haud obſcurè ſubindicavit: Ego & propter conſvetudinem, qvam à puero ad hanc Regionem habeo, hic enim educatus ſum, apud nutricem meam, & poſtea propter diutinam converſationem, qvando FUGIENS CIVILES TUMULTUS, ubi hanc regionem idoneam ad philoſophandum propter ſolitudinis qvietem didiciſſem, - - libens ad hanc extremitatem perveni, non ut alijs negotia exhibiturus, ſed ut deſiderium meum curaturus. Qvid igitur opus eſt ad ſomnia confugere, & ſomniſpices mercede conducere, & in publicis epulationibus vinariam fabulam nos facere? Ego verò, etiamſi apud alios calumniæ mihi conſtructæ eſſent, vos ſanè meæ voluntatis ac doctrinæ teſtes produxiſſem, & nunc cupio unumqvemqve veſtrum vetera illa in memoriam revocare, qvando vocabat nos urbs hæc ad adoleſcentium curam, legatioqve aderat virorum apud vos illuſtrium, poſtea verò qvomodo paſſim omnes circum nos diffuſi, qvid non dantes? qvid non promittentes? detinere tamen nos non potuerunt.

Idem Epiſt. LXIV.

 runt.

runt. Qvomodo igitur qvi tunc vocabar,& non obediebam, nunc citra vocationem apud vos cohabitare conarer? qvomodo verò qvi laudantes ac admirantes me effugi,nunc perſeqvar calumniantes? qvibus & ſeqventibus verbis egregiè retudit invidiam, & calumniam,qvâ innoxius vexabatur,nimirum qvod meditatò & de induſtria domicilium ſibi delegiſſet propè Neo-cæſaream, ut ſi forte epiſcopalis illa ſedes vacaſſet, ipſe ad eam promoveretur; dum in mentem revocavit calumniatoribus, qvod annis elapſis ipſe per Magiſtratû Cæſarenſem ſit evocatus, munus tamen adeò grave & periculoſum ſuſcipere recuſaverit conſtantiſſimè; *Si tunc fugi*, [ita alijs verbis dicere potuiſſet] *& negavi aures ÿs,qvi me plauſibus celebrabant,& vehementer deprædicabant,ſi abnui eſſe Paſtor ovium, qvæ tam obedientes ſe mihi ſubmittebant, & tam amantes obſervantesqve oſtentabant; qvi fiet, ut homo cordatus & prudens ſibi perſvadere poſſit, qvod nunc exorare ab illis id officÿ velim, qvos in feros calumniatores transſmutatos experior?* Nihiloſeci⁹ tamẽNeo-cæſarienſes[cũprimis Clerici invidiæ œſtro perciti] parum benevoli in magnum Patrem Baſilium erant, imò ſuſpectæ doctrinæ profeſſorem illum arbitrabantur. Qvando enim paſſio animum obtinet, & odium invaſit, & malæ intentionis peſtis infecit, tunc leviſſimis ex cauſis vel prom-

promptè ſibi perſvadet calumniam, vel in ſiniſtras præcipitanter prorumpit ſuſpiciones & obtrectationes. Et cui ex invidiæ paſſione ægrè eſt, idem ardenter vera eſſe deſiderat, qvæcunqve ipſe dicit, vel ſiniſtrè de proximo cogitat; atqve ut malevolentiæ pulvis incendiarius præmodum eſt diſpoſitus, ita ſi leviſſima modo ſcintillula in eum incidat, mox inflammatur, & vi magna explodit qvamcunqve contumeliam & injuriam, indubitateqve verum habet, qvidqvid contra eum ſpargitur, contra qvem fovet odia & coqvit ſimultates, perqvam anxiè & inhianter cupiens vero eſſe conſentanea, qvæcunqve de hoſte dicuntur. Hinc etiam qvidqvid mendaciorum malevoli Clerici, fidei pariter ac charitatis perfidi deſertores, contra Baſilium evomerent, credebant Neo-cæſarienſes, qvos cum animo alienos ab illo jam feciſſent, qvidvis eiſdem de illo perſvadebant, neqve difficilè eſſe poterat introducere qvaliſcunqve calumniæ formam in malevolorum animorum materiam, tam aptè & accuratè diſpoſitam.

III. Aſt qvæ aliqvandiu deſpecta & neglecta in eremo jacuit Magni Baſilii Virtus, tandem gravi ſubortâ tempeſtate Arianâ in lucem protracta, omniumqve, etiam malevolorum conſpectui obverſabatur: Cum in „ his ſtudiis (inqvit Gregorius) verſaremur, „ *Gregor. Naz. Orat. XX.*

 in-

„ ingruit ſubito nubes grandinis plena & ex-
„ itioſè ſtridens, qvæ Eccleſias omnes obtri-
„ vit, in qvas cecidit, & qvaſcunqve invaſit.
„ Imperator etenim auri amantiſſimus &
„ Chriſti inimiciſſimus, ac duobus his graviſ-
„ ſimis morbis laborans, inexplebili nimirum
„ avaritia & blaſphemiâ, poſt perſecutorem
„ perſecutor, poſt apoſtatam non qvidem a-
„ poſtata, ſed nihilo tamen eo meliorem ſe
„ Chriſtianis præbens, vel ut rectius loqvar,
„ Chriſtianorum piiſſimæ & puriſſimæ parti,
„ ac TRINITATIS cultrici, qvam qvidem
„ ſolam pietatem ac ſalutarem doctrinam ap-
„ pello inimic⁹ . . . Ille qvidē hoc animo, &
„ cum hujuſmodi impietate adversū nos ex-
„ peditionem ſuſcipit, . . . impetum qvoq;
„ una cum eo facit exercitus ipſo dignus, IM-
„ PROBI ECCLESIARUM GUBERNATORES, ſævi
„ atq; immanes Orbis illius, qvi ipſius impe-
„ rio & ditioni ſubjectus erat, Tetrarchæ, qvi
„ cum ex Eccleſiis alias iam tenerent, alias
„ oppugnarent, alias ob Imperatoris opem
„ ac manum in poteſtatem venturas ſpera-
„ rent, huc qvoqve ut noſtram in ditionem
„ ſuam redigerent, venerunt. Itaqve con-
tra inſultus hoſce Arianos arma parantibus
Epiſcopis Orientalibus, oportunum tempus
viſum eſt, ut ex eremo cum Gregorio ſuo pro-
diret Baſilius, inqve purioris fidei hoſtes, A-
rianos puta, fulmina ſacra jaceret. Qvid ve-
rò

rò generoſa illa & excelſa anima ? num injuriarum ſibi antehàc ab Epiſcopo Cæſar. Euſebio illatarum memor, opem ſuam Eccleſiæ preſſæ denegavit, atqve aciem perito propugnatore carentem deſtituit ? Minimè. *Ne multis qvidem ſermonibus* (ita rurſum Gregorius) *ad hoc opus habuit, ut nobis præſto eſſet, ac ſuppetias ferret; verum ſimul atq; nos legationem obeuntes vidit, (erat enim utriqve noſtrum commune hoc certamen, ut qvi fidei propugnatores deſignati eſſemus,) ſtatim legationi ceſſit, ac ſpiritualibus rationibus ſecum optimè ſapientiſſimeqve diſtingvens, ALIUD SIMULTATIS TEMPUS ESSE* [NB.] *ſi qvid etiam ejuſmodi affectui indulgendum eſſet, nempe ſecuritatis & tranqvillitatis; aliud autem longanimitatis ac patientiæ, nempe NECESSITATIS ET PERICULORUM TEMPUS hoc inqvam ſecum reputans, confeſtim è Ponto nobiſcum excedit, ac pro periclitante veritate zelo afficitur, ultroq; & ſponte belli ſocium ſe præbet, totumqve ſe matri tradit Eccleſiæ.* Cæterum, à primo ſuo in Cappadociam reditu, Baſilius impenſiſſimè ſtuduit Euſebio Epiſcopo reconciliari, vel ut Gregorii verbis utar; Proximum Baſilio negotium ac ſtudium hoc fuit, Antiſtitem colere atqve obſervare, ſuſpicionem extingvere, mortalibus omnibus perſvadere, moleſtiam eam qvam acceperat, tentationem & luctam pravi illius

Gregor. Naz. l.c.

 fuiſ-

fuiſſe, honeſtæ ac laudabili concordiæ invidentis; cæterum non ignarum ſe eſſe, qvid obedientiæ ordinisqve ſpiritualis leges poſtularent. Factum hinc, ut tantum auctoritatis apud eundem Euſebium Epiſcopum ſuum Baſilius ſit aſſecutus, ut licet ipſi honore cathedræ ſecundus eſſet, Eccleſiæ tamen imperio potiretur, ejuſqve, ſuperſtite etiam Epiſcopo, omnimodam haberet adminiſtrationem. *Etenim pro benevolentia* (uti ſcribit Greg.) *qvam afferebat, authoritatem recipiebat; ac mirus qvidem erat concentus nexusqve poteſtatis. Ille plebem ducebat, hic Ductorem; ac velut qvidam Leonum curator erat, eum qvi principatum tenebat, arte demulcens;* donec ex hâc vita Euſebius emigraſſet, atqve in ipſius Baſilii manibus animam exhalaſſet.

IV. Debebatur eo tempore Baſilio honor Epiſcopalis, ob im̄enſos ſc. pro orthodoxa veritate labores & non unâ de hoſtib⁹ Eccleſiæ reportatam victoriam; attamen non citra laborem ac CITRA INVIDIAM & dimicationem, tum eorum qvi patriæ præſidebant, tum perditiſſimorum qvorundam civium, qvi ad Procerum partes ſe adjunxerant, negotium ſucceſſionis proceſſiſſe, Nazianzenus diſertè eſt conteſtatus. Id cum probe Magnus Baſilius perſpiceret, atqve cumplurium in ſe conſpirare STUDIA & ODIA cerneret, maturè fugam arripere, nec cum aliis de ambitione

one certare conſtituit. *Verum fieri aliter non poterat* (ait Theologus) *qvin Spiritus Sanctus vinceret; atqve adeò abunde vicit; Nam ad eum ungendum Viros pietate claros ac zelo flagrantes ab exteris regionibus excitavit - - - Illud omnibus perſpicuum facit, munus id, qvo affectus fuerat, non humano favore, ſed divino beneficio ipſi contigiſſe.* Nam cum prius (ut idem ſcribit Gregor.) ſacros libros populo lectitaſſet, nec hunc ſacerdotii gradum indignum ſe duxiſſet, ita demum in Presbyterorum, ac deinde in Epiſcoporum cathedra Dominum laudavit, *non hanc poteſtatem furatus*, NB. *nec eâ per vim potitus, nec honorem perſecutus, ſed ab honore quæſitus; nec humano favore, ſed divinitus ac Dei gratia ſacerdotium conſecutus.* Sed & poſt acceptam vocationem, tetram maſtigum colluviem infeſtam habuit Baſilius, parumqve benevolos expertus eſt eos, qvibus invitis & repugnantibus thronum Epiſcopalem conſcendit. Imo graves adeò Viro optimo creatæ ſunt ab invidis *Clericis* moleſtiæ, ut amicorum intimus Gregorius, epiſtolà peculiari ad ferendas magno animo iſtas ærumnas eundem ſit cohortatus: *Gregor. Naz. Epiſt. XXV.*
Audio [ſcribit ille] te à recenti rerum no- „
vatione turbari, tibiqve à ſophiſtica qvâ- „
dam & uſitata eorum, qvi rerum potiun- „
tur, curioſitate negotia exhiberi. Nec ſa- „
nè mirandum eſt: Neqve enim INVIDI- „

AM ignorabam, qvodqve ex iis NB. QVI „
LATUS TUUM CINGUNT [ſcil. *Clericis*] complures ſint, qvi commoda ſua per „
te procurent, ac puſillanimitatis fomitem „
accendant. Illud verò non metuo, nec qvid „
à philoſopho alienum, atqve & te & nobis „
indignum in rebus adverſis ac moleſtis tibi accidat. Qvin potius nunc vel maximè „
futurum exiſtimo, ut Baſilius meus cognoſcatur, & ea qvam per omne tempus collegiſti, ſapientia patefiat, ac tu IMPROBORUM HOMINUM INJURIAS, & impreſſiones ſuperes, velutq; in altiſſimis fluctibus immotus maneas, aliis in perturbatione ac tumultu verſantibus. Qvod ſi ita „
tibi videtur, ipſe qvoqve adero, fortaſſe „
qvidem ut conſilii qvoqve tibi aliqvid impertiam, [ſi tamen mari aqvâ opus eſt, & „
tibi conſultore] procul dubio autem, ut utilitatem ipſe capiam, patientiæqve IN FERENDIS CONTUMELIIS ſocium me tibi præbeam. Hactenus ad Magnum Baſilium Gregorius; qvi Orat. XX. in illius laudem habitâ tres cumprimis INVIDIÆ Baſilio conflatæ cauſas indicavit: *Tres qvidem* [inqvit] *erant cauſa cur multi etiam ante parum leni & candido erga eum animo eſſent. Prima, qvod in fidei negotio cum eo minimè conſentiebant, niſi qvantum id ipſis cogente multitudine, neceſſario faciendum erat. Altera, qvod dolorem*

lorem ex ipſius electione conceptum, nondum omninò ex animis ejecerant. Poſtrema qvod ſe longè multumqve ab eo gloria ſuperari acerbiſſime ferrent, tametſi id confiteri turpiſſimum eſſet. Orta eſt & alia qvadam ſimultas, quæ hæc omnia redulceravit. Nam cum Patria noſtra in duas provincias & metropoles diviſa eſſet, ac multa ex priori, nova Metropoli adjungerentur, ea de cauſa inter illos [Anthimum ſc. & Baſilium] *diſſidium excitatum eſt. Ille enim æqvum eſſe dicebat, ut cum publicis diœceſibus, noſtra qvoq; ſimul dividerentur. - - Hic contra veteri conſvetudini, atqve huic diviſioni, qvæ olim à Patribus facta fuerat inhærebat. Atqve ex hâc contentione permulta mala, partim jam accidebant, partim impendebant - - - Qvod autem illum magis in furorem agebat, Taurici reditus erant, qvi ab ipſo qvidem in tranſitu cernebantur, verum ad Cæſarienſem devehebantur.* En, deteſtandam Invidiæ Clericorum genitricem, malorumqve omnium radicem, AVARITIAM.

V. Qvemadmodum autem ii, qvi obliqvâ intentione meliores reſpiciunt, ex ſingulis eorum actionibus calumniandi arripiunt occaſionem, & in unius ſæpè verbuli baſi, ſiniſtrarum ſuſpicionum, & fraudulentarum interpretationum turres conſtruere ſolent; ita Magni etiam Baſilii adverſarios in eodem luto hæſiſſe, ac undiqve maledicendi anſam arripuiſſe,

puiſſe, qvin & eò inſaniæ proceſſiſſe deprehendimus, ut honorificas etiam accuſationes, & glorioſas calumnias in eum divulgare non dubitaverint. Etenim calumniabantur divinum Baſilium, qvod Ducem ſe Virorum qvorundam piorum conſtituiſſet, qvi ſpretâ Mundi vanitate Deo ſoli ſervire decreverunt; Obtrectabant illi, qvod ſacris hymnis cum iisdem omnipotentem DEUM laudaviſſet; Murmurabant, qvod modeſtè incederet, parcè comederet, auſterè converſaretur, qvâ de re ipſum Baſilium audiamus conqverentem:

Baſil. M. epiſt. LXIII.

Pſalmos [ita ſcribit epiſt. LXIII.] *cauſantur & melodiæ modum, a conſvetudine apud vos obtinente immutatum, - - - porrò vitio vertitur nobis etiam, qvod homines habemus exercitatores pietatis, qvi renunciaverunt mundo ac temporalibus ſollicitudinibus, qvas ſpinis aſſimilat Dominus, non permittentibus verbo ut ad fertilitatem perveniat. Tales mortificationem JESU in corpore circumferunt, & levata cruce ſua Deum ſeqvuntur.* Qvid verò his & ſimilibus accuſationibus à ſolo livore dictatis, ſacer reus oppoſuit? Illud: *Ego verò omnē vitā meā impenderem, ut mihi poſſent iſta impingi delicta, haberemqve apud me Viros, qvi me Doctore hoc pietatis ſtudium amplexi hactenus fuerint.* Vel ut aliis verbis dixiſſet: Qvod his criminationibus reſpondeam, illud habeo, qvod nihil habeo ut reſpondeā, ſed ut

ſolum

ſolum dicam, qvod perlubens vitæ concederem, illudqve in maximo lucro ponerem, ut talium criminum perpetuò inſimularer. Verum hinc manifeſtè apparet, eſſe nonnullas incuſationes tam præclaras,& calumnias tam honorificas, ut invidiâ preſſum hominem, non adducant in periculum infamiæ, ſed potius magis illuſtrem reddant & glorioſum. Id qvod non malè Rex Atalaric⁹, prudentis ſui Senatoris Caſſiodori calamo expreſſit, dicens: FELIX QVERELA EST, QVANDO LEGES PIETATE SUPERANTUR. Auſterum inſuper obtrectatores vocabant Baſilium, & morum ſingularitate intolerabilem, verum ad hoc ſcite & eleganter Gregorius: *Niſi qvod Leonem etiam accuſandum exiſtimēt, qvod non ſimiæ vultum, ſed torvum qvendam & horrificum ac regium præferat: cujus ipſæ qvoqve ſaltationes fortes ac generoſæ ſunt, & cum admiratione jucundæ &c.* Qvid qvod ſuperbiam faſtumqve humilimo Præſuli qvidam impingere urgente invidiâ non dubitaverint... Qvid ad hæc [rurſus ſcribit orat. XX. Theologus] nobis dicturi ſunt, qvi homini faſtum ſuperciliumqve objiciunt? iniqvi ſanè & acerbi rerum hujusmodi judices, eosqve qvi regulæ non ſunt, ad regulam admoventes. An verò fieri poteſt, ut qvi leproſos deoſculetur, & huc uſqve ſe demittat, adverſus ſanos & valentes ſupercilium attollat? qvi carnes continen-

Caſſiod. lib. IX. epiſt. 4.

tiâ

tia & inedia conficiat, inani animi faſtu in-
flectur ---- idem ſupra nubes ſe efferat,atqve
omnibus anteponat, qvemadmodum iis vi-
detur, qvi [NB.] IPSIUS VIRTUTI INVI-
DENT. Atqve hinc clariſſimè apparet,
qvam facilè ſit invenire materiam diſpoſitam,
& præparatam ad formam calumniæ intro-
ducendam, nam ut egregiè Tertullianus
ait: *Lippientibus,etiam ſingularis lucerna nu-
meroſa eſt*; & qvi oculorum vitio laborat, ei
lux una eſt multiplex. Invido ſanè qvi ſimulta-
te & animi laborat alienatione, qvælibet for-
mica immanis flagitii elephas videtur, & qvi
infenſis, infeſtisqve intuetur proximum ſuum
oculis, idem ex levi qvâlibet ſuſpicione, mi-
nutuloqve ſcrupulo, vaſtum ſcelerum & pec-
catorum montem facere non dubitat. Sicut
deniqve ignis non multo eget vigore, ut ſtup-
pam inflammet, ipſius alimoniæ, ſimul ac eam
contigerit faciliter cedere ſolitam; ita ma-
levoli & invidi, actuum etiam bonorum ex-
ploratores, facilè calumniarum, damnatæqve
intentionis materiam probè diſpoſitam in-
veniunt, miſerè tandem juſtiſſimo Dei
judicio confundendi.

Teſt. lib. 1. contra Marc. c. 2.

III. GRE-

III. GREGORIUS NAZIANZENUS.

I.

U*Tinam ex hominũ vita LIVOR interiret, invidorum tabes!* Ita prælarè Magnus ille optavit Theologus; qvi ſi voti ſui compos factus eſſet, livorq; ex hominum vitâ interiiſſet, minimè atrocia adeò mala, eo procurante, ipſe in vitâ perpeſſus, nec creatus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Archiepiſcopus, de eâ ſede, Invidiâ duce & auſpice, rurſus deturbatus fuiſſet. Res ad hunc ferè modum ſe habuit: Cum ferventiori ſtudio Dei negotium beatus ille Gregorius proſeqvi inſtituiſſet, nobiliorem etiam ei Provinciam ſupremus rerum Arbiter aſſignavit, Conſtantinopolis nempe Theodulo huic erat accedenda, ad curandas animas peſte Arianâ miſerè correptas, atqve reparandas Eccleſiæ iſtius penitus proſtratæ ruinas. Spartam hanc, cum aliqvandiu egregiè adornaſſet, Deiqve & purioris fidei cauſam ſtrenuè egiſſet, *atqve* (vitæ ejus ſcriptore Gregorio Presbytero dicente) *perexiguo temporis curriculo exacto, tantum multitudini orthodoxæ incrementum attuliſſet, ut nulla jam cum priori rerum ſtatu comparatio relinqveretur*, factum, ut Catholicorum omnium votis atq; deſide- Gregor. Naz. Orat. 28.

riis

giis ad Conſtantinop. Eccleſiæ ἐπισκοπὴν (licet omninò invitus) devenerit, tota qvidem plaudente Civitate, ſolo vero mœrente Gregorio, atqve hanc (ut in Carm. de vita ſua, inqvit,) *confirmationem lugente*; - - *Sacris me collocant hi in ſedibus flentem gementem* - - *Et cum ab illa ſede* (verba laud. Presb. adſcribo) „ *abhorreret, nec præ vitæ continentiâ & cor-* „ *poris infirmitate vocem in tanto hominum* „ *numero mittere poſſet; per qvendam amicũ his* „ *verbis multitudinem eſt allocutus: O filii nunc* „ *tempus eſt, ut beneficium à Trinitate acceptum* „ *agnoſcamus, gratiasqve ipſi agamus, de thro-* „ *no autem aliàs agemus; qvæ verba audiens* „ *populus miteſcebat, Imperator verò hominis* „ *modeſtiam ad ſtuporem uſqve mirabatur* - - „ *Cæterum ei ad extremum uſqve obſiſtere non* „ *licuit, qvo minus in throno* (Epiſcopali) *col-* „ *locaretur. Pontificum enim multitudo eum,* „ *qvamvis nolentem, vehementerqve recuſan-* „ *tem, in Archiepiſcopali ſede conſtituit.*

II. Aſt, qvæ juxta vulgare diverbium altiora ſemper loca petit INVIDIA, Magnum Gregorium, epiſcopalem thronum conſcendentem è veſtigio eſt inſecutâ, & præter moleſtias plurimas, ipſam tandem ignominioſam dejectionem procuravit. Etenim Conſtantinopolin accedens Timotheus Epiſcopus Alexandrinus (orthodoxus qvidem, ſed invidiæ morbo peſſimè affectus Doctor) cum ſuis Ægy-

Ægyptiis & aliqvot Epiſcopis Macedonibus graviſſimè indoluit, qvod ſe ſuisqve non expectatis, ſedes Conſtantinopolitana Gregorio ſit conceſſa, eaqve propter non ſolum promotionem iſtam ut illegitimam cœpit arguere, verum id omni conatu agere, ut remoto Gregorio, alius Epiſcopus conſtitueretur. Qvem ipſum Timothei faſtum, & pudendam arrogantiam invidiæ ſociatam, irreparabile damnum Eccleſiæ Conſtantinopol. intuliſſe, Gregor. Presbyter l. c. diſertè eſt conteſtatus: *Qvoniam Gregorius citra eorum ſententiam throno impoſitus fuerat, humano affectu obſeſſi, electioni repugnabant; non qvod eum odio haberent (qvemadmodum ei occultis ſignificationibus confirmabant,) ſed ut eos à qvibus creatus fuerat ulciſcerentur: ut qvi ſine eorum ſententia Archiepiſcopali ſede Gregorium donaſſent.* Im verò in Gregorii Invidiam id qvoqve factum fuiſſe, ipſe in cit. carm. de vita propria indicavit:

- - At non poterat hic qvieſcere
Carpens apertè LIVOR, aut tectè omnia,
Mala auſpicatur hic MIHI celſo à throno.

Nec malè J. Billius, in argum. Orat. 27 obſervavit, plurimos in Urbe Conſtantinopol. fuiſſe, qvorum oculi Gregoriani nominis gloria & ſplendore perſtringerentur, alios qvoq; odio in optimum Virum inſurrexiſſe. Cujus palmariam cauſam clariſſimè Gregorius

Gregor. Naz. Orat. XXVII. alibi expoſuit : *Qvoniam* [inqvit Orat. XXVII. ad eos, qvi ipſum cathedram Conſtantinopolitanam affectare dicebant] *non aliam ob rem bello petimur, qvam propter eloqventiam & ſupervacaneam hanc & invidioſam lingvam, qvam in PROPHANIS DOCTRINIS eruditam divinis poſtea nobilitavimus, ſalſamqve illam & amaram Maram per vita lignum dulcem reddidimus &c.* hinc benè ad marginem Billius; *Gregorium OB DOCTRINAM, INVIDORUM morſus ſenſiſſe* notavit. Et paulò poſt ipſe pergit Theologus : Cur enim mutam eruditionem amplexi non ſumus ? cur non aridam & humi reptantem ? cur cum eâ pleroſqve delectari conſpiceremus, in peregrina qvædam & aliena ſtudia incumbebamus, atqve adverſariis lingvis obſiſtebamus : cum contra oportuerit ratiocinationes per temeritatem defugere, AC MUTUÆ INSCITIÆ FIDEI NOMEN imponere : qvam ipſe qvoqve mihi, credite, complexus eſſem ut piſcator [qvandoqvidem hoc multis ad inſcitiæ prætextum in promptu eſt] ſi ſermonis ac doctrinæ loco ſignorum ac miraculorum vim haberem. Et mox in verba ſupra laudata erumpit : Utinam ex hominum vita livor interiret, invidorum tabes, venenum eorum, qvi eo laborant, ſolus ex omnibus affectibus iniqviſſimus ſimul & æqviſſimus &c. Scitè admodum de inſigni

Gre-

Gregorii noſtri doctrinâ & eruditione Svidas ſcribit, eum cum Baſilio in ſummam EXTERNÆ DOCTRINÆ magnitudinem evaſiſſe, & in Scripturis Sacris non vulgarem experientiam habuiſſe; *Ac potiſſimum* [addit ille] *Gregorius : Jam verò in ſuo quiſqve genere ſcribendi maxima facultate præditus erat, - - - At verò Gregorius in utroqve licet exercitatus, ad conſcriptionem tamen magis tendebat oratio*. Præter doctrinâ verò exaſciatam, Invidiæ Gregorio conflatæ cauſam fuiſſe inſignem ejuſdem zelum atq; parrheſiam, pauloqve liberiorem Clericorum perverſorum caſtigationem, ex citatâ Orat. XXVII. non malè colligimus, circa cujus ferè initium hæc verba leguntur: *Sed neqve facetus quiſpiam ac jucundus ſum, atqve ita comparatus, ut hominum benevolentiam blanditiis & aſſentatione ſurripere queam : QVALES MULTOS EORUM VIDEO, QVI HOC TEMPORE SACERDOTII MUNUS PROFITENTUR, qvi fidei noſtræ pietatem, qvæ prius ſimplex atqve artis expers erat, artificioſam reddiderunt, ac novum qvoddam POLITICES genus, à foro ad SANCTA tranſlatæ, & à Theatris ad Sacrarium, vulgi oculis minimè inſpectandum: ita ut ſi audacter hoc dicere oporteat, DUÆ JAM SCENÆ ſint, inter qvas hoc duntaxat interſit, qvod illa omnibus pateat, hæc qvibuſdam; illa rideatur, hæc in honore ſit;*

 illa

illa Theatrica, HÆC SPIRITUALIS nominetur. Atqve has ipſas, ejuſqve farinæ alias Clericorũ peſſimorũ lividorũq; increpatiões, Summo Viro plurimum odii ac invidiæ, adeo & moleſtiæ creaſſe veriſimile eſt, præſertim cum nonnulla morum acceſſerit aſperitas, qvam ipſe verbis ſeqventibus prodidit :
„ Vos teſtes, & Deus, [ut Apoſtoli verbis u-
„ tar] nos ab hâc parte minimè ſtare, verum
„ tales eſſe, ut ruſticitatis potius, qvam adu-
„ lationis ac ſervilis animi notam ſuſcipere
„ poſſimus, qvippe qvi eos etiam, qvi noſtri
„ apprimè ſtudioſi ſunt, ASPERIUS inter-
„ dum accipiamus, ſi qvid nobis non, ut rati-
„ oni conſentaneum eſt, facere videantur.

III. Verum, qvæcunqve tandem Invidiæ Gregorio conflatæ cauſa fuerit, planiſſimè conſtat, Virum optimum coram livore (juxta Salomonis effatum,) conſiſtere haud potuiſſe, ſed brevi poſt oblatum Epiſcopale munus tempore, Timothei & Ægyptiorum Antiſtitum fraude & impoſturâ ab Eccleſiâ ſuâ rurſus deturbatum fuiſſe. Apprimè autem notandum, qvomodo ſe in iſto rerum ſuarũ ſatis perplexo ac turbulento ſtatu Magnus ille Theologus geſſerit, qvalemve concitato tanto invidiæ turbine habuerit animum? Ju-
„ re eqvidem [ait l. c. Greg. Presbyter] qvi
„ ſemel cathedram admiſiſſet, eam vindica-
„ bat, & hujuſmodi oratione malevolos ſu-
„ os

os alloqvebatur: Ego Paſtores ſacri & ve- „
nerabiles, primum Auguſtæ Urbis præfectu- „
ram accipere recuſabam: ac licet hæc Ec- „
cleſia laboribus ſudoribusqve meis coa- „
gmentata atqve amplificata fuiſſet, mihi ta- „
men ſatis ſuperqve erat, hæc Deo theſauri- „
zare, atq; ab eo mercedem expectare. Poſt- „
qvam autem & gregis amore & communi- „
bus veſtris calculis cathedram accipere coa- „
ctus ſum, mihi haudqvaqvam rectè agere „
videmini, qvi qvod ipſi feciſtis, convellitis „
atqve abrogatis: ut interim taceam, qvod „
ne inter omnes qvidem ſatis convenit, ve- „
rum alii ea qvæ jam conſtituta ſunt, rata eſ- „
ſe debere cenſent; aliis ſecus videtur. Nec „
verò hæc eo à me dicuntur animo, qvod vel „
opes vel ſublimem cathedram expetam, vel „
imperatricis urbis Epiſcopus nuncupari „
concupiſcam. Sed primum filiorum orbi- „
tatem tranqvillo animo ferre difficilimum „
eſt, nec niſi vecordis cujuſpiam hominis „
planeqve ſtupidi. Deinde illud metuen- „
dum, NE INVIDIA QVADAM [NB.] aut le- „
vitate res nuper decretas immutare videa- „
mini. Qvâ ipſa Oratione cum duros ad- „
verſantium animos parum emendatos, imò
magis magisqve efferatos conſpexiſſet, nec
minus Ægyptii atqve Macedones Epiſcopi in
odium Orientalium de ſede illegitimè occu-
patâ negotium ei porrò faceſſerent, ipſe de eâ

 abdi-

orumqve laborum memoriam perpetuam „ conſervate. Qvæ cum eſſet prolocutus, ac ſimul Clericorum invidorum pudorem ſummoperè provocaſſet, obtenta à Theodoſio Imp. licentiâ in Cappadociam eſt reverſus, vitamqve reliqvam in ſacro otio minimè otioſo tranſigere conſtituit, relicto Conſtantinopoli incomparabili æqvanimitatis ſuæ charactere, Oratione ſcil. qvâ Imperatori pariter ac univerſo ordini Senatorio valedixit: Tibî qvidem ô Imperator, pro tuis erga Ec- „ cleſiam meritis retribuat Chriſtus in die re- „ tributionis. Beneficium autem, qvod „ nunc à te peto potentiſſime Princeps, dare „ ne graveris. Non pro pecuniis tibi ſum ſup- „ plex, non pretioſa altarium tegumenta „ concupiſco, non cognatis dignitates am- „ bio: ſed ut laboribus liberer, obſecro, „ CESSET etiam INVIDIA: Pacem colant „ Epiſcopi: Tu maximè in eam rem adnite- „ re: SACERDOTUM BELLUM COM- „ PRIME, qvi barbarorum audaciam compe- „ ſcuiſti, maxima Imperii tui trophæa, una re „ exorna, nimirum EPISCOPORUM CON- „ CORDIA. Hoc ego donum à te peto; hoc „ beneficium ultimum porrige. Oratione hâc „ Imperatorem cum toto ordine Senatorio in tantam admirationem raptum fuiſſe, conſtat, ut vix diſcedendi poteſtatem Theologo fecerit. Aſt qvovis ſaxo duriores perſtitêre ma-

leferiati & arrogantiæ pariter ac Invidiæ œſtro perciti Epiſcopi; totiqve in magni Gregorii [de Eccleſia Conſtanſtinop. tam præclarè meriti]exturbationem fuêre intenti, ſcil. ut ipſe in Carm de vitâ ſuâ:

Hoc muneratur Patria, qvos amat, modo.

Qvibus verbis non alios, qvam Macedones Epiſcopos intelligit, qvi in ipſius expulſionem acerrimis animis incubuerant. Et ne temerè tantum Virum Epiſcopatu abdicaſſe viderentur, illud afferebant, Eccleſiaſticis Canonibus cautum eſſe, ne qvis ex una Eccleſia in alteram transferretur: ac propterea fas non eſſe, ut qvi Saſimorum atqve etiam Nazianzi Epiſcopus fuiſſet, Conſtantinopolitanam ſedem teneret. Eam verò legem pridem mortuam & extinctam fuiſſe, d. l. ait Gregorius, nec infreqventer hujuſmodi translationes (cum id ex Eccleſiæ utilitate eſſe judicatum eſt,) uſurpatas fuiſſe:

Exaſperabant aſperè in me qvidpiam,
VOLVENDO LEGES MORTUAS pridem, à qvibus
Eramus ipſi liberi dubio procul.

Ut ut enim huic legi ſuus vigor conſtet, eam tamen ad ſe nihil attinere, verbis iſtis clariſſimè indicavit, ut qvi nec in Saſimorũ poſſeſſionem pedem unqvam miſiſſet, nec Nazianzenam Eccleſiam tanqvam Epiſcopus, ſed ſolum ut Patris Coadjutor rexiſſet.

IV. Cæ-

IV. Cæterum, Gregorio nondum Conſtantinopoli egreſſo, ii qvi remanſerunt Epiſcopi, & qvi ambitioni magis ſuæ & Invidiæ, qvam divinæ gloriæ, Eccleſiæqve ſaluti & proſperitati litare voluerunt, ſucceſſorem ei longè diſſimilem elegerunt, NECTARIUM qvendam, hominem nondum Chriſtianum, ſed adhuc catechumenum, é curiâ petitum, rerum Eccleſiaſticarum imperitum, *vivum qvaſi* [dicente Gregorio] *cadaver præ ſe ferentem*; qvâ verò is ratione electus, & longè melioribus antepoſitus fuerit, Sozomenus pluribus enarravit, addens, eum retinuiſſe ſecum Cyriacum Adanorum in Cilicia Epiſcopum, ut officium ſacertotale ab eo diſceret. *Qvid verò magis præpoſterum* [ita præclarè ſcribit J. Billius,] *qvam huic Eccleſiæ gubernacula mandare, qvi ne in nautarum qvidem numero unqvam fuit? ei erudiendorum aliorum curam committere, qvi primis fidei elementis adhuc informatur*? Porrò longum eſſet recenſere, qvam infeſtos Conſtantinopoli poſt qvinqve inſignes de Theologiâ orationes (ex qvibus & nomen eſt THEOLOGI conſecutus) habuerit Arianos; qvi eò furoris adacti ſunt, ut eum non ſolum hæreticum & maleficum inclamarent, ſed etiam lapidibus impeterent, raperentqve ad tribunal, ſicut ipſe in carm. de vita ſua memoravit:

Ingreſſus urbem plurimis jactor malis
Exarſit in me tota primum civitas,
Multos perinde ac ſi Deos inducerem
Mirum nec eſt hoc, inſtituti ſic erant, &c.

Et paulò poſt:

Imbres tacebo ſaxeos, epulas meas;
\- - - - -
Trahor ipſe, ſceleris qvi nihil patraveram,
Nec cogitaram, diſcipulũ Chriſti ut decet,
Ac tum Patronꝰ adſtitit Chriſtꝰ mihi, &c.

Gregor. Orat. XVI. V. Et cum noſtro alibi diſertè enunciante, *hoſtis blandꝰ & placidꝰ ſit* INVIDIOSUS AMICUS; non præter rem fuerit notaſſe exactius ea, qvæ Noſtro, MAXIMI cujuſdam, Cynici primùm Philoſophi, poſtea ad fidem Chriſtianam converſi *invidiâ* doloqve nefario Conſtantinopoli contigerint. Inſignis ille hypocrita, poſtqvam Mediolani Gratiani Imp. gratiam aucupatus eſſet, librumqve ei, (ut Hieronymꝰ ait) præſtantem de fide adverſus Arianos obtuliſſet, qvaſi gloria doctrinæ & confeſſionis orthodoxæ illuſtris, Conſtantinopolin veniens, à Gregorio domi ſuæ honorificè eſt exceptus, & luculenta oratione laudatus, qvæ mutato titulo in laudem Heronis ſcripta legitur: Namqve ficta pietatis ſpecie, [verba ſunt Greg. Presbyteri in vita noſtri Nazianzeni] ita Epiſcopum cepit, ut eâdem cum eo domo, eademqve menſâ uteretur, atqve ipſi qvidvis eſſe cenſeretur, ſincerus miniſter, doctrinæ ſermonumqve laudator, nec vul-

Gregor. Orat. XXIII.

vulgari benevolentia ergà Chriſtianos affectus. Ut autem progreſſu temporis experimentum ſui præbens, dignus jam judicatus eſt, qvi in Eccleſiaſticum ordinem cooptaretur, tum verò in Clerum adſcribitur. Verum mox eventus docuit, Maximum cum Gregorio ſimulatam duntaxat coluiſſe amicitiam, ac dolosè acceſſiſſe, ut illo exturbato, ipſe cathedram Conſtantinopolitanam arriperet; *Ac Judam* (ſcribente Presbytero) *æmulatus, à Præceptore ſuo perfidè deficere, atqve adverſus eum expeditionem ſuſcipere in animum inducit*; ope qvidem ac favore Petri Alexandrini Epiſcopi, qvi licet Gregorio Epiſcopatũ vindicaſſet, paulò poſt tamẽ mutatâ ſentẽtia (ſeu potius auro corrupt⁹) Maximũ, gentilẽ ſuũ ſedi iſti præficere cogitavit, ſub prætextu neſcio qvo ſeptem Epiſcopos ablegans, qvi à Maximo allecti, Gregorio foris in ſuburbano ægrotante, eundem Maximũ noctu in ſedem Epiſcopalem intruderent, comâqve cynica detonsâ, in agyrtæ cuiuſdam ædibus Epiſcopum ordinarent. Verum cum Catholici pariter ac Ariani hæretici ſcelus nefarium eſſent deteſtati, Pſeud-epiſcopus ab urbe depulſus eſt, poſtmodum à Theodoſio Imp. (ad qvem Theſſalonicam confugerat,) repulſus, ac cum inde Alexandriam abiiſſet, ab ipſo promotore ſuo Petro rejectus; donec miſer in hæreſim incidit Apollinaris, ſicqve (Theodoreto teſte)

teſte) unanimi Epiſcoporum ſententia proſcriptus atqve condemnatus. Prolixé ea omnia tum à Gregorio Presb. l. c. tum ipſo Nazianzeno in ſæpè laudato de vitâ propria carmine, tum deniq; à variis Hiſtoriæ Eccleſ. ſcriptoribus ſunt memorata.

VI. Id verò notandum maximè, qvod Gregorius Presb. *Cynica* illius invaſionis probrum, in Clerici cuiuſdam *invidiam* rejecerit;
„ his qvidem verbis: *CUIUSDAM EC-*
„ *CLESIÆ PRESBYTERI OPERA UTENS*
„ (ſcilicet Maximus) qvi cum non modo
„ nunqvam à Gregorio objurgat⁹ duriusqve
„ appellatus, verum etiam inter ſingulares a-
„ micos habitus fuiſſet, fabulam hanc cum
„ Maximo cudebat, hoc videlicet agens, ut,
„ is Byzantii Epiſcopus conſtitueretur. Ac
„ qvoniam ad ejuſmodi res auro opus erat,
„ unde id ſuppeditatum fuerit audite: Preſ-
„ byter qvidam Inſulanus, Thaſſo Byzantium
„ appulſus ferebat, ut marmoreas tabulas
„ proconeſias emeret. Hoc arrepto, ac polli-
„ citationum illecebris delinito, aurum ſce-
„ leris adminiculum accipiunt, atqve Ale-
„ xandriam mittentes, Petrum eò adducunt
„ ut certos homines ad Maximum Epiſco-
„ pum creandum Conſtantinopolin mittat.
„ Et qvidem hæc dicto citius gerebantur, &c.
Ita Greg. Presbyter, & aliis verbis non alio ſenſu ipſe l.d. Nazianzenus:

Pri-

Primus erat horum Lucifer, qvondam angelus,
Secundus autem PRESBYTER noſtri gregis,
Magis ipſe mente barbarus qvam corpore,
Qvi ſpretus à me, laſus haud unqvam prius
\- - - - - - - -
Odium ſceleſtum ac perfidum in me parturit.
Lachrymis qvibuſnam id proſeqvar? - - -
Dabo hoc ei, qvi miſit hos, qvamvis levi,
Atq; hiſmet ipſis, venia qveis forſan dari
Nonnulla poſſit, utpote ex inſcitia
Lapſis, ſecutis atqve duntaxat malos
QVOS PEPERIT ISTHIC LIVOR INFESTUS MIHI.
\- - - - - - - -
E Thaſſo in urbem forte qvidam Presbyter
Appulerat, AURUM publicum ſecum ferens,
Tabulas ut emeret Ædis ad cultum Sacræ.
Hunc voce blanda delinit, jurantibus
Qvibuſdam, & amplis ſpebus adſtrictum tenens,
(Nocens nocenti nam ſtatim ſe copulat)
Auro potitur, atqve hoc miniſtro abutitur
Ad cuncta, certamqve hinc opem qværit ſibi &c.

Satis opinor inde apparet, Presbyteri cujusdam (Gregorio infenſi) invidiâ ſcelus iſtud tentatum fuiſſe, id qvod in notis etiam obſer-

ſervavit J. Billius, atqve adverſus Levvenklajum oſtendit, *Gregorium hic non de ſolii cupiditate eſſe locutum, SED DE INVIDIA, qvam qvorundam Sacri ordinis Virorum morbum eſſe notavit*, atqve de eo hunc fuerit conqveſtus in modum:

Ac præter iſtud Ordinis qvendam Sacri
Morbum, reliqvias principis morbi, capit.
ERAT PERENNIS LIVOR HIC, malum inſitum,
Vix namqve flecti pravitas unqvam poteſt.

Cur autem hunc (Invidiæ) morbum primi morbi reliqvias eſſe dixerit, laud. Billius in notis elegantiſſimè expoſuit, h. m. *PRIMUS morbus ſuperbia eſt, qvæ & apoſtatas angelos è Cælo, & generis noſtri Principes è paradiſo exturbavit. Reliqviæ hujus morbi, INVIDIA. Nam cum ſuperbæ illæ mentes ex beatiſſima ſede ad tartarum præcipites cecidiſſent, hominum felicitati ſtatim INVIDERE cœperunt: atqve ex hujuſmodi invidia ad comparandam ipſis perniciem, omnes ſuos conatus contulerunt. Invidia enim diaboli, inqvit Scriptura, mors intravit in Orbem terrarum. Nec verò ſolum in tenebroſis illis angelis, ſed etiam in hominibus,* λεῖμμα τῆς πρώτης νόσου *dici qveat invidia, ſi tetri illius fratricidii crimē nobis in mentem veniat, qvò Cain invidia ſtimulis concitatus, ſe ipſum nefariè obſtrinxit*; Qvem etiam in ſenſum egregiè ipſe Gregorius: Hæc

in-

inqvit (Invidia) & Cain ad inferendam fratri necem impulit: qvod purius ſanctiusqve ſacrificium æqvo animo ferre non potuiſſet: Hæc & Mundum immundè ſe gerentem aqvis texit, & Sodomitas igne obruit: Hæc & Dathan & Abiron adverſus Moſen furore elatos, in terram defodit, & Mariam qvæ adverſus fratrem tantummodo murmuraverat, lepra infecit: Hæc & Prophetarum cruore terram contaminavit, & ſapientiſſimum illum Salomonem per mulieres perculit: Hæc & illum laqveo dignum Judam, exigua pecunia illectum proditorem effecit, & Herodem puerorum interfectorem, & Pilatum Chriſti carnificem: Hæc & Iſraelem cribravit ac diſperſit, ne nunc qvidem adhuc è peccato ſuo emergentem: Hæc & Apoſtatam tyrannum in nos excitavit - - - Hæc & præclarum Eccleſiæ corpus diſcidit, in diverſa & contraria ſtudia diſſectum: Hæc deniqve invidia ipſum Gregorium atroci adeò, tamqve indignâ affecit injuria, *ut* (verba Svidæ adſcribo) *Principis Urbis cathedra ſit expulſus, improbiqve potius electi, qvam QVI VIRTUTE AC VITÆ SPLENDORE OMNES ANTEIBAT.*

Gregor. Naz. Orat. XXVII.

IV. HIE-

IV. HIERONYMUS STRIDONENSIS.

I.

SEmper virtutes ſeqvitur INVIDIA, feriuntq́, ſum̃os fulgura montes; ita præclarè inſignis ille priſcæ Eccleſiæ Doctor, (proprio ſc. exemplo edoct⁹) in Paulæ epitaphio ſcripſit; *nec mirum* (pergit idē) *ſi hoc de hominibus loqvar, cum etiam Dominus noſter Phariſæorum zelo ſit crucifixus, & omnes ſancti æmulos habuerint.* Habuit ſanè ſi qviſqvam alius, æmulos ſuos maximus Hieronymus, ac Phariſæorum qvorundam odio & livore tantopere fuit exagitatus, ut Eraſmo dicente, *vita ejus nihil aliud fuerit qvam diutinum ac perpetuum Martyrium.* Qvem etiam in ſenſum perſonatus Euſebius, Hieronymum cum Johanne Baptiſta comparans, in epiſt. ad Damaſum; *Qvid plura?* ſcribit: *Ille propter juſtitiam Martyr; iſte verò etſi ejus ſpiritum materiale ferrum non abſtulit, tamen Martyrii præmii non eſt expers, --- certe hic eſt verè Martyr, qui propter juſtitiam & manſuetudinem & ſalutifera doctrinæ ſuæ verba in hujus lachrymarum ſolo, certamen forte a malorum* (invidorum) *cœtu viriliter ſupportavit; ſciens qvoniam omnium fortior eſt Sapientia.* Initio qvidem Romæ (ut ipſe ait Hier.) *ali-*

Hieron. Tom. I. opp. fol. 676.

alicujus nominis eſſe exiſtimabatur ſuper ſtudio Scripturarum, cum nihil omninò prætermiſiſſet, qvod ad inclytum Eccleſiæ Doctorem ac verè magnum Theologum inſtituendum pertineret, cæterum nulla non eruditione pectus locupletaret, deniqve omni ſtudio id ageret, ne vita parum emendata doctrinæ minueret authoritatem; eaqve propter, non ſolum valdè juvenis, h. e. viginti annos natus à Liberio Papâ ad Presbyterii honorem vocatus, verum etiam poſtea à Damaſo tanto in pretio eſt habitus, ut ipſi à libellis Synodicis fuerit, & Orientis atqve Occidentis reſponderit conſultationibus, qvinimò tantoperè inclaruerit, ut omnium ſuffragiis dignus acclamaretur, qvi Damaſo Papæ ſuccederet. Ne autem ad id faſtigii pertingeret, atrox Cleri Invidia, lingvæ virulentæ telis armata ſtudioſè effecit, omnemqve detrahendi maledicendiqve occaſionem fronte capillatâ arripuit. Et qvæ livor irreligioſis iſtis in Hieronymum verba ſubminiſtrarit, ipſe in epiſt. ad Aſellam diſertè indicavit: Ego probroſus, ego verſipellis & lubricus, ego mendax & Satanæ arte decipiens; Qvid enim eſt tutius: hæc vel credidiſſe, vel finxiſſe de inſontibus: an etiam de noxiis credere noluiſſe? Oſculabantur mihi manus qvidam, & ore vipereo detrahebant: & dolebant labiis, corde gaudebant. *Et mox*: Alius

Hieron. epiſt. ad Aſellam.

 inceſ-

„ inceſſum meum calumniabatur & riſum: „ & ille vultui detrahebat, hic in ſimplicitate „ aliud ſuſpicabatur - - - Dicant, qvid un- „ qvam in me aliter ſenſerint, qvam Chriſti- „ anum decebat? Pecuniam cujuſqvam ac- „ cepi? Munera vel parva vel magna non „ ſprevi? In manu mea æs alicujus inſonuit? „ Obliqvus ſermo oculus petulans fuit? Tandem in hæc verba notatu digniſſima erumpit: O INVIDIA PRIMUM MORDAX TUI! *O ſatanæ calliditas ſemper ſancta perſeqvens!*

II. Maximas porrò Invidiæ faces Hieronymo excitaverat arcta cum nobiliſſima femina Paula familiaritas, odiumqve Cleri magnoperè exacerbabat, qvod nonniſi Hieronymo comite, Paula & Melania Hieroſolymam ſint profectæ, hinc ille eodem, qvem modo laudavimus loco: *Anteqvam domum Sanctæ Paulæ noſſem, totius in me urbis ſtudia conſonabant, omnium penè judicio dignus ſummo ſacerdotio decernebar, dicebar ſanctus, dicebar humilis & diſertus --- Nulla me potuit ita delectare,* [ſc. femina] *niſi illa qvã manducãtẽ nunqvam vidi: ſed poſteaqvam eam pro ſuæ merito caſtitatis venerari, colere, ſuſpicere cœpi, omnes me illico deſernêre virtutes.* Et rurſus: *Nulla aliæ urbi Romæ fabulam præbuerunt, niſi Paula & Melania, quæ contemptis facultatibus, pignoribusq́ʒ deſertis, crucem Domini, qvaſi qvoddam pietatis levavêre vexillum.*

Hieron. epiſt. ad Aſell.

lum. Qvid qvod diſertè ibidem memorarit, ſubornatum ab æmulis (proh ſcelus!) aliqvem, qvi Hieronymum ſtupri inſimularet, & fœdum de ejus Paulæqve amoribus rumorem in vulgus ebuccinaret. Qvi tamen ipſe ad qvæſtionem vocatus, luculentum inter tormenta innocentiæ Hieronymianæ egit adſertorem; velut ipſe Hieronymus verbis hiſce innuere videtur: *Iſti crediderunt mentienti, cur non credunt neganti? Idem eſt homo ipſe qvi fuerat; fatetur inſontem, qvi dudum noxium loqvebatur*. Porrò cum in Urbem qvidam Arianæ factionis homines [qvi mutato jam nomine Origeniſtæ voluerunt appellari] irrepſiſſent, ipſumqve cum aliis qvibuſdam Presbyteris Hieronymum [qvod Origenis ingenio præter cæteros delectatus, laudibus extuliſſet hominem] in ſuæ factionis conſortium pertrahere eſſent conati, lividi fratres tam bellam ad innoxium porrò infeſtandum occaſionem, capillatâ qvaſi fronte duxêre arripiendam. Et qvamvis Hieron. pluſqvam hoſtiles ſub amicitiæ prætextu molitiones perſpiciens, animum à Crypto-Arianorum colluvie planè alienum præ ſe tulerit; vix tamen ea arma invidi Clerici ſibi eripi patiebantur, qvin potius Hieronymum hæreſeos ſtigmate notatum, omnium odio & contemptui exponere cogitabant, ii præcipuè, qvorum mores improbos ſcriptis editis

ſuggillaſſet, vitamqve religioſis hominibus parum convenientem acriter reprehendiſſet. Hanc ſanè imperterritam taxandi libertatem, potiſſimũ Cleri Romani in Hier. invidiã provocaſſe diſertè teſtatur Sulpitius Severus in primo de virtutibus Religioſorum Orientalium dialogo; *Ego* [inqvit] *ut dicere inſtitueram, apud Hieronymum ſex menſibus fui; cui jugis adverſus malos pugna; perpetuumq́; certamen. Concivit ODIA perditorum: Oderunt eum hæretici, qvia eos impugnare non deſinit; ODERUNT* [NB.] *CLERICI, qvia vitam eorum inſectatur & crimina.* Et ſanè qvanto id egerit zelo ac ſtudio, ex prolixis ejus ad Demetriadem & Euſtochium de Virgin. cuſtodiendâ epiſtolis, nec non præfat. verſ. Did. de Spir. S. aliisqve plurimis locis abundè colligitur. Cumprimis autem Hieronymus profana Clericorum ſtudia vituperavit; *At nunc etiam* [ſcribens] *Sacerdotes Dei omiſſis Evangeliis, & Prophetis, videmus Comœdias legere, amatoria Bucolicorum verſuum verba cantare, tenere Vergilium, & id qvod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluntatis.* Sic in epiſt. ad Euſtoch. Clericos & Monachos ſuo indignos nomine falſiſſimè reprehendit; *Sunt alii* (*de MEI ORDINIS* „
hominibus loqvor) *qvi ideò Presbyterium &* „
Diaconatum ambiunt, ut mulieres licentius „
videant. Omnis his cura de veſtibus, ſi be- „

Sulp. Sev. in I. Dial. de Virtutibus Monachorum n. IV.

Hieron. epiſt. ad Euſtoch.

nè

nè oleant; ſi pes, laxa pelle, non follcat. Cri- „
nes calamiſtri veſtigio rotantur, digiti de annu- „
lis radiant, & ne plantas humidior via ſpar- „
gat, vix imprimunt ſumma veſtigia. Tales „
cum videris, ſponſos magis exiſtimato qvam „
Clericos, qvidam in hoc omne ſtudium vitam- „
qve poſuerunt, ut matronarum nomina do- „
mos moresqve cognoſcant. Nec minus ibi præcipuũ qvendam illiberalis ejuſce artis magiſtrum exactè deſcripſit, qvo facilius magiſtro cognito, diſcipuli recognoſci poſſint. Cum
Sole [inqvit] feſtinus exurgit, ſalutandi „
ei ordo diſponitur, viarum compendia re- „
qviruntur, & penè uſqve ad cubilia dormi- „
entium, ſenex importunus ingreditur. Si „
pulvillum viderit, ſi mantile elegans, ſi ali- „
qvid domeſticæ ſupellectilis, laudat, mira- „
tur, attrectat, & ſe his indigere conqverens, „
non tam impetrat qvam extorqvet, qvia ſin- „
gulæ metuunt veredarium urbis offendere. „
Huic inimica caſtitas, inimica jejunia, pran- „
dium nidoribus probat, & altilis γεραvoπίπ- „
πης, vulgo pipizo nominatur: Os barba- „
rum & procax, *& in convicia ſemper arma-* „
tum. Qvocunq; te verteris primus in facie „
eſt. *Qvidqvid novum inſonuerit, aut author* „
aut exaggerator eſt famæ. Eqvi per horarum „
momenta mutantur, tam nitidi, tamq fero- „
ces, ut Thracii Regis illum putes eſſe germa- „
num. Hinc Euſeb. in epiſt. de morte Hier- „
 on.

onymi; Aperuerũt(inqvit)in eum *Clerici* laſciviis dediti ora ſua, & deſpexerunt eum, & locuti ſunt labiis doloſis, & odio iniqvo oderunt eum, qvoniam eorum inſectatus eſt vitam peſſimam & crimina. Nec minus præclarè Eraſmus in notis ad cit. Hier. epiſt. *Videtur* (inqvit) *in hâc, ſatyricâ mordacitate indetur* ... *invehi in virgines & monachos ac Clericos, & argutius illorum vitam depingere; verum qvando neminem carpit nominatim, & malos reprehendit, non probos, illis imputandum eſt, qvi ſic vixerunt, non Hieronymo, qvi illos ſuis depinxit coloribus.* Et ſanè, qvantum zelo ſuo pſeudoclericorum incurrerit odium atqve invidiam, ipſe in altera illa ad Demetriad. epiſtolâ verbis expoſuit ſeqventibus: *Ante annos circiter triginta de virginitate ſervandâ edidi librum, in qvo neceſſe mihi fuit ire contra vitia, & propter inſtructionem Virginis quam monebam, diaboli inſidias patefacere. QVI SERMO offendit plurimos; dum UNUSQVISQVE in ſe intelligens qvod dicebatur, non qvaſi monitorem libenter audivit, ſed qvaſi criminatorem ſui operis averſatus eſt. Verumtamen qvid profuit armaſſe exercitum reclamantium, & vulnus conſcientiæ dolore monſtraſſe? Liber manet, homines præterierunt.* Mult. inſuper teſte Sulp. Severo in cit. Dial. de ſuperbiâ, non pauca de ſuperſtitione Clericorum, diſſeruit; verè fatebor, pinxiſſe mihi videtur

Hieron. epiſt. ad Demetr.

tur vitia multorum. Cæterum de familia-„ ribus virginum & monachorum atq; etiam „ Clericorum, qvam vera qvam fortia diſpu-„ tavit. *Unde à qvibuſdã, qvos nominare nolo* „ *dicitur NON AMARI.* Qvum verò ſalu-„ berrimis ſuis reprehenſionibus nihil planè effeciſſet Hieronymus, nec qvicqvam niſi probra gratiarum loco tuliſſet, ſiqvidem Græcum ac impoſtorem illum nuncuparint maleferiati, imò Urbe pellendum eſſe dixerint, lapidibus obruendum, inqve fluctus præcipitandum, ut ipſe in qvâdam epiſtolâ prodidit; factum tandem, ut de Roma deſerenda ſecum ſeria agitaverit conſilia, ſicqve concitatum in ſe invidiæ turbinem prudenter duxerit evitandum. Natale itaqve Salvatoris ſolum, poſt longa viarum emenſa ſpatia acceſſit, atqve Bethlehemum venturæ ſenectuti ſedẽ delegit. *Protinus* [ait ipſe in Apol. adverſus Ruff.] *concito gradu Bethlehem meum reverſus ſum; nec me inerti tradidi otio, ſed multa didici qvæ ante neſciebam.* At qvænam iſta? *Putabant me homines poſt auditum Didymum finem feciſſe diſcendi; veni rurſum Jeroſolymam & Bethlehem; qvo labore qvo pretio Barrabanum nocturnum habui præceptorem? timebat enim Judæos, & mihi alterum exhibebat Nicodemum.* Probè etenim Hieronymus perſpexerat, literas ſacras nec intelligi poſſe, niſi cognitis his lingvis, qvib⁹

Hieron. epiſt. ad Pamach. & Oceá. Tom. II. opp. fol. 189.

primum nobis ſunt proditæ, eaqvepropter improbo ſtudio ſermonis hebraici pervicit difficultatem, nec ſolum ſanctæ lingvæ intelligentiam, ſed & proprium ſonum ac vernaculum ſtridorem eſt aſſecutus, poſtqvam ingenti mercede Hebræos doctiſſimos conduxiſſet, utqve pectus eruditione locupletaret, marſupium evacuaſſet. Neutiqvam verò Bethlehemi degens, omne tempus literis impendit & ſtudiis, verũ prodeſſe omnib⁹ cupiens, omnib⁹ nationib⁹, omni ſexui, omni ætati ſemet accomodavit. Ex toto ferè Terrarũ Orbe imenſa hominũ multitudo huc confluebat, qvos omnes pro facultate ſua Vir optim⁹ juvare non deſtitit, neminẽ à ſuo arcens contubernio, niſi veritatis Evangelicæ hoſtes, & infami hæreſeos ſtigmate notatos. *Prorſ⁹ exoptanda vita* ! [exclamat in vitâ Hieronymi Eraſmus] ni felix otium tot hæreticorum & calumniatorum inſultus labefactaſſent.

III. Qvantumvis verò ad declinandam Cleri Romani invidiam, Bethlehemũ migraverit Hieronymus, neqve ſic tamen atri illius ſerpentis venenatos morſus potuit evitare, indigna ſcil. perpeſſus eſt, non ſolũ à dogmatum falſorum diſſeminatorib⁹, (qvorum null⁹ erat qvi non Hieronymum pro hoſte duceret, aliorum exemplo territus) verum etiam *falſorum fratrum* atqve amicorum ſimulatorum turba nefariâ; cujus ducem & ſigniferum fuiſſe

Digitized by Google

fuiſſe conſtat Ruffinum Aqvileenſem, cum qvo tantam à teneris Hieronymus habuerat conſvetudinem, ut eum longo intervallo à ſe ſeparari maximè indoluerit, imò ad ipſum Ruffinum ſeqventia ſcribere non dubitaverit: *O ſi mihi nunc Dominus JESUS Chriſtus vel Philippi ad Eunuchum, vel Abacuc ad Danielem translationem repente concederet, qvam ego nunc tua arctis ſtringerem colla complexibus, qvam illud os, qvod mecum vel erravit aliqvando, vel ſapuit, impreſſis figerem labiis!* Qvi verò impenſius ſe invicē aliqvandiu dilexerant, graviſſimis tandem locum dedêre odiis, & hoſtiles exercuêre ſimultates, maximè verò Ruffinus, qvi poſtqvam Hieronymum fruſtra in ſuæ infamiæ conſortium involvere laboraſſet, reſciſsâ malè ſarta amicitiâ, ac cunctis modeſtiæ chriſtianæ vinculis ruptis, acerbiſſimè in eum eſt debacchatus, permultis etiam ſubornatis, qvi virum egregium convitiis laceſſerent. Nec minus & ipſius Hieronymi adverſus Ruffinum apologiæ teſtantur, *furorem fieri, ſæpius læſam patientiam*; cum ubiqve Ruffini infantiam, imperitiam, ac ſtuporem ſalsè rideant, & acerbè ſatis inſectentur; Cæterum nullus dubio loc⁹ eſt, amariſſimâ eam contentionem non niſi ex malignæ invidiæ & æmulationis (Ruffinianæ præſertim) fonte originem traxiſſe, ſiqvidem ipſe Hieron. opuſcu-

Hieron. ep. VI.

Idem ep. XLI.

lorum ſuorum obtrectatori Ruffino objecerit, ſe Dei intuitu, & Eccleſiæ utilitate, auxiliante Domino ingenium agitaviſſe, *illum verò æmulationis ſtimulo incitatum, ad ob loqvium ſtilum vertiſſe.* Ac licet initio de re fidem propriè non concernente litigaverint; *Utrum ſcil. hæretica illa dogmata qvæ in libris Origenis inveniũtur, ab hæreticis inſerta, adeoqve ſcripta ejus depravata; an ex ipſius Origenis mente concepta fuerint?* Illudqve affirmaverit Ruffinus, hoc Hieronymus; temporis tamen progreſſu res eo pervenit, ut fidei qvoqve labem Hieronymo aſpergere, eumq́; turpi infamiqve hæreſeos ſtigmate notare Ruffinus non dubitaverit. Qvare graviſſimé ille offenſus, corruptæ fidei inſimulationem impatienter admodum pertulit, qvam abſqve impietate tolerare vix potuiſſet. Præſertim cum tantum valuerit malitioſa æmulorum calliditas, ut nec ipſe Divus Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, pro ut par erat de fide Hieronymi ſenſerit, priuſqvam propius hominis & vitam & eruditionem cognoviſſet; meritò autem acrem & ſcandaloſam iſtam cum Ruffino deplorarit diſſenſionem, ita ſcribens ad Hieronymum: Neſcio „ qvæ ſcripta maledica ſuper tuo nomine ad

Auguſt. epiſt. XV. ad Hier. „ Africam perveniſſe audivimus, accepimus „ tamen, qvod dignatus es mittere, illis re„ ſpondens maledictis. Qvo perlecto fateor

mul-

„ multum dolui, inter tam charas familiares-
„ qve perſonas, cunctis penè Eccleſiis notiſ-
„ ſimo amicitiæ vinculo copulatas, tantum
„ malum extitiſſe diſcordiæ. Et tu qvidem
„ qvantum tibi modereris, qvantumqve te-
„ neas aculeos indignationis tuæ, ne reddas
„ maledictum pro maledicto, ſatis in tuis li-
„ teris eminet. Veruntamen eas ipſas cum
„ legiſſem, contabui dolore,& obrigui timo-
„ re: qvid de me illa facerent, qvæ in te ille
„ ſcripſit, ſi in manus meas forte veniſſent?
„ *VÆ mundo ab ſcandalis*! Ecce fit, ecce
„ prorſus impletur qvod Veritas ait: Qvo-
„ niam abundavit iniqvitas, refrigeſcet cha-
„ ritas multorum. Qvæ ſibi enim jam fida pe-
„ ctora tuto * refundantur? In cujus ſenſus
„ tota ſe projiciat ſecura dilectio? Qvis de-
„ niqve amicus non formidetur, qvaſi futu-
„ rus inimicus, ſi potuit inter Hieronymum
„ & Ruffinum hoc qvod plangimus exoriri?
„ O miſera & miſeranda conditio! O infida
„ in voluntatibus amicorum ſcientia præ-
„ ſentium, ubi nulla eſt præſcientia futuro-
rum! hactenus ad Hieron. Auguſtinus, qvi
inſigni hoc loco clariſſimè innuit, ſe neqve
Ruffini in reſcindenda amicitiâ perfidiam
probaſſe, neqve Hieronymum ipſum à dato
ex contentione ſcandalo prorſus abſolviſſe.
Hinc eſt, qvod non omni planè invidiæ & æ-
mulationis, etiam activæ culpâ eum caruiſſe

* Alias legitur: *tuto ore fundantur.*

qvidam

qvidam exiſtiment, cum de ſum̄is ætatis ſu
Viris, atqve præcipuis Eccleſiæ luminibus pa
rum honorificè interdum judicarit, velu
cum Ambroſiii in Lucam com̄entaria nuga
nuncupare, ipſumq; Ambroſiū nunc corvu
nunc corniculã vocare; Baſilium itē ſuperbi
accuſare, & ad ipſum Auguſtinum, *ſe quæ*
dam in Epiſtolis ejus heretica legiſſe, ſcriber
non dubitavit. Sed condonanda exiſtimo
maximo ſacrarum literarum interpreti iſta de
ævi ſui Doctoribus judicia, præſertim cum
ipſe Hieron. *Invidiam etiam in ſanctos cadere*
clariſſimè oſtenderit.

Hieron. tom. III. opp. fol. 133.

IV. Huc etiam referendum eſt diſſi-
dium illud acerbiſſimum, qvod illi fuit cum
JOHANNE HIEROSOLYMITA-
NO PATRIARCHA, ad cujus diœ-
ceſim Bethlehem attinebat, & qvi Hierony-
miani nominis inſignem ſplendorem ægerri-
mè ferebat, cum ſcilicet tantum illi famæ &
authoritatis, doctrina, eloqventia, vitæ-
qve integritas peperiſſet, ut erudita qvo-
qve Græcia unius Hieronymi commentarios
in lingvam ſuam transferendos curarit, imò
ad antrum Bethlehemiticum, non ſecus at-
qve ad totius Orbis Chriſtiani publicum ora-
culum concurſus factus fuerit; crebræ epi-
ſtolæ & nuntij ex Italia, ex Hiſpaniis, è Gal-
liis, ex ultimâ Germaniâ, ex Africâ huc (ſpre-

ſo

to poſtpoſito Johanne Epiſcopo) commeaverint; plurimos deniqve non tam loci religio, qvam Hieronymi videndi deſiderium in Palæſtinam attraxerit. *Ex toto Orbe* (ipſe „ inqvit alicubi) *huc venitur Bethlehemum*; „ *Ezechielem cœpi exponere, vix finiam. Nul-* „ *la enim hora, nullum momentum eſt, ex qvo* „ *fratrum occurramus turbis.* Omnes nimi- „ rum cum Hieronymo loqvi, omnes illum videre cupiebant. Hinc exarsêre atrocis invidiæ flammæ, hinc novæ maligni livoris procellæ exortæ, Epiſcopo Johanne eas concitante, adeò ut non ſolũ Hieronym⁹ cum ſuis ab ejus communione abſtinere debuerit, verum etiam Presbyteri gradum & honorem amiſerit, qvo de ipſe Hieron. ad Pammach. *Ego miſellus* (ſcribit) *dum in ſolitudine deliteſco, à tanto Pontifice repente truncatus, Preſbyteri nomen amiſi*, & paulo ante non ſine indignatione narravit, qvam malitiosè literas Orientalium ad Hieronymum ſcriptas ſupprimere conat⁹ ſit, ne ei redderentur: *Qvi* [inqvit] *Theophili Epiſcopi mandatum no-* „ *bis loqvebatur,* [Iſidorus ſcil.] *literas ad nos* „ *ab eo miſſas noluit reddere, cumqve dicere-* „ *mus, ſi legatus es, redde legationis epiſtolas; ſi* „ *epiſtolas non habes, quomodo legatum te pro-* „ *babis? Reſpondit ſe habere qvidem literas ad* „ *nos, adjuratum tamen ab Hieroſolymorum* „ *Epiſcopo ne nobis eas redderet. En legati con-* „ *ſtan-*

Hieron. epiſt. ad Pam̃ach.

„ *ſtantia*, [addimus, en nefandæ invidiæ ſpe-
„ cimen!] *qvi ut pacem faceret, & ſuſpicionem*
„ *in alteram partem favoris excluderet, æqvum*
„ *ſe utriſqve tribuit.* Qvæ verò aliqvandiu ſub cineribus latuit livoris ſcintilla, ea in horrendam odii flammam erupit, poſtqvam Johañes Epiſcopus admiſſæ perfidiæ Arianæ ſuſpicionem incurriſſet, âqve communione ipſius merito abſtinens Hieronymus, errores Viri graviſſimè impugnaſſet, utqve de hæreſi ſe excuſet, acerba epiſtolâ monuiſſet. Neqve defuêre qvi oleum igni huic infundentes, variis Epiſcopi injuriis exaſperatum Hieronymi animum, literis inſuper ſuis inſtigarunt; hinc Riparius, illinc Marcella, aliunde Paula, Pammachius, Domnio, Oceanus, Auguſtinus, compluresqve alii, qvorum iteratis ſuggeſtionibus: *Purga famam, compeſce hæreſim, ſuccurre fidei*; locum non abs re dedit Hieronymus, atqve Johannem pro merito ſuo tractavit. Expoſtulare [ſcribit ad eun-
„ dem l. c.] tecum libet; qvæ hæc eſt tanta ar-
„ rogantia, non reſpondere de fide interro-
„ gantibus? Tantam fratrum multitudinem,
„ & monachorum choros, qvi tibi in Palæſti-
„ na non communicant, qvaſi hoſtes publicos
„ æſtimare? --- Tu beatiſſimus Papa & faſti-
„ dioſus Antiſtes, ſolus dives, ſolus ſapiens,
„ ſolus nobilis ac diſertus, conſervos tuos &
„ redemptos ſangvine Domini tui, rugata
fron-

fronte & obliqvis oculis deſpicis? --- con- „
temnis Laicos, Diaconos atqve Presbyteros. „
Potes enim (ut gloriaris & jactitas) in una „
hora mille Clericos facere, habes Papam E- „
piphanium, qvi te apertè miſſis literis hære- „
ticum vocat, certè nec ætate, nec ſcientia, „
nec vitæ merito, nec totius Orbis teſtimonio „
major illi es, ſi ætatem qværis, juvenis ad ſe- „
nem ſcribes, ſi ſcientiam, non ſic eruditus ad „
doctum: licet te fautores tui diſertiorem „
Demoſthene, acutiorem Chryſippo, ſapien- „
tiorem Platone contendant, & TIBIIPSI „
forte perſvaſerint. Hæc & alia paulò con- „
citatiori calamo ad Johannem Epiſcopum Hieroſol. exaravit Hieronymus, juſtiſſimo ſanè zelo commotus, qvod invidiâ inſtigante turpem hæreſeos notam ſibi impingere, imò Presbyteri nomen adimere non dubitaverit, nec ipſe tamen ad objecta corruptæ fidei crimina reſponderit. *Nolo enim* (ſcribit ibid.) *in ſuſpicione hæreſeos qvenqvam eſſe patientem, ne apud eos, qvi ignorant innocentiam ejus, diſſimulatio conſcientia judicetur, ſi taceat.* Nemo igitur ſuccenſendum eſſe putet Hieronymo, qvod verborum acrimonia perſtrinxerit eum, qvi à virtute & vera fide auſus eſt facere ſeceſſionem.

V. Id verò dolendum cumprimis atq; deplorandum, tandem inter duos maximos & celeberrimos Eccleſiæ priſcæ Doctores Hieronymum ſcil. & Augustinum Hipponenſem Epi-

Epiſcopum invidię & æmulationis ſtimulos interceſſiſſe, limisqve aliqvandiu oculis ſeſe mutuo reſpexiſſe, præſertim cum caſu forſi-tan in idem argumentum incidiſſent. Hinc illa de mendacio controverſia, hinc liber de animarum origine, hinc interpretationis ex hebræo ſuggillatio, hinc iterata ad ſcribendum & reſpondendum Auguſtini provocatio, qvâ tandem commotus Hieronymus, minus blandè illi reſpondit in hunc modum: „ Crebras ad me epiſtolas dirigis, & ſæpè „ compellis, ut reſpondeam cuidam epiſtolæ „ tuæ, cujus ad me ut ante jam ſcripſi, per fra- „ trem Syſinnium Diaconum, exemplaria „ pervenerunt, absqve ſubſcriptione tua, & „ qvæ primum per fratrem Profuturum, ſe- „ cundò per qvendam alium te miſiſſe ſignifi- „ cas, & interim Profuturum retractum de i- „ tinere, & Epiſcopum conſtitutum, veloci „ morte ſubtractum: illum, cujus nomen re- „ tices, Maris timuiſſe diſcrimina, & naviga- „ tionis mutaſſe conſilium. Qvæ cum ita ſint, „ ſatis mirari neqveo, qvomodo ipſa epiſtola „ & Romæ & in Italia haberi à plerisqve di- „ catur, & ad me ſolum non pervenerit, cui „ ſoli miſſa eſt - - - - Nonnulli familiares „ mei & vaſa Chriſti, qvorum Hieroſolymis „ & in ſanctis locis per magna copia eſt, ſug- „ gerebant, non ſimplici à te animo factum, „ *ſed laudem atq́ rumuſculos & gloriolam po-*

puli

„ *puli requirente, ut de nobis creſceres*; ut
„ multi cognoſcerent te provocare, me time-
„ re; te ſcribere ut doctum, me tacere ut im-
„ peritum, & tandem reperiſſe, qvi garrulita-
„ ti meæ modum imponeret: Ego autem [ut
„ ſimpliciter fatear] dignationi tuæ primum
„ idcircò reſpondere nolui, qvia tuam liqvi-
„ dò epiſtolam non credebam, nec [ut vulgò
„ de qvibuſdam proverbium eſt] *litum melle*
„ *gladiu*. Deinde illud cavebam, ne Epiſcopo
„ comunionis meæ viderer procaciter reſpō-
„ dere, & aliqva in reprehēdentis epiſtolâ re-
„ prehēdere; præſertim cū qvædā in illa HÆ-
„ RETICA judicare. Ita ad Auguſtinū, Hieronym⁹, cujus verba non eo ſunt accipienda ſenſu, ac ſi diſſentientem ferre neqviviſſet, aut ſua ab omnibus adorari voluiſſet placita; neqve enim illic humanos affectus obſtrepere conveniſſet, ubi divinum, ubi cœleſte erat omne qvod gerebatur, neqve congruum fuiſſet, in tractandis ſacris literis parum modeſtos & candidos Viros in proſcenio Eccleſiæ conſtitutos verſari: Id verò malè habuit Hieronymum, qvod Auguſtin⁹ per Italiam ſparſiſſet epiſtolam ſibi oppoſitam, [qva ſc. taxabatur locus in epiſt. ad Gal. non rectè expoſitus;] neqve tamen priùs ei ad qvem attinebat tranſmiſiſſet, hinc diſertè l. c. *Neqve tam hebes ſum* [ſcribit] *ut ſi diverſa ſenſeris, me à te læſum putem, ſed ſi mea cominus dicta repre-*

Hæc Hieron. ep. ad Auguſt. extat Tom. II. epiſt. fol. 347.

hendas, & rationem ſcriptorum expetas, & q
ſcripſerim emendare compellas, & ad παλιν
δίαν provoces, & oculos mihi reddas; IN HO
LÆDITUR AMICITIA, in hoc neceſſitud
nis jura violantur. Tandem clariſſimè innu
Hieronymus, freqventem Auguſtini provo
cationem, nonniſi ab æmulationis ſpirit
proveniſſe: *Rurſum dico qvod ſentio: Pro*
vocas ſenẽ, tacentem ſtimulas, VIDERIS JA
CTARE DOCTRINAM. Et in alia ad e-
undem Auguſt. epiſtola; *Ceterum* (ſcribit
Hieron. Tom. II. opp. fol. 346. Hieron.) *optimè novit prudentia tua, unum-*
qvemqve in ſuo ſenſu abundare, & puerilis eſſe
jactantia, qvod olim adoleſcentuli facere con-
ſveverant, accuſando illuſtres Viros, ſuo nomi-
ni famam qvarere, & paulo poſt: *Supereſt ut*
diligas diligentem te, & in Scripturarum cam-
po Juvenis ſenem non provoces; Nos noſtra
habuimus tempora & cucurrimus qvantum po-
tuimus; nunc te currente, & longa ſpatia trans-
meante, nobis debetur otium: Simulqve (ut
cum honore tuo & venia dixerim) ne ſolus mi-
hi de Poëtis aliqvid propoſuiſſe videaris, me-
mento Daretis & Entelli, & vulgaris proverbii,
qvod bos laſſus fortius figat pedem. Mox Au-
guſtinus, blanditiis animum Hieronymi le-
nire, ſententiarum aſperitatem multis verbis
excuſare, adeoqve laudatiſſimo, cunctisqve
Eccleſiæ Doctoribus imitando conſilio ar-
dentem invidiæ & æmulationis flammam ex-
tin-

tingvere allaboravit, ſic inter alia ſcribens :
„ Supereſt ut agnoſcam peccatum meum,
„ qvod prior te illis literis læſerim, qvas me-
„ as eſſe negare non poſſum, cur itaqve co-
„ nor contra fluminis tractum, ac non potius
„ veniam peto? Obſecro te ergò per man-
„ ſvetudinem Chriſti, ut ſi læſi te, dimittas
„ mihi, ne me viciſſim lædendo malum pro
„ malo reddas, lædes autem me, ſi mihi tacu-
„ eris errorem meum, qvem forte inveneris
„ in factis vel dictis meis : Nam ſi ea in me
„ reprehenderis, qvæ reprehendenda non
„ ſunt, te lædis magis qvam me; qvod abſit
„ à moribus & ſancto propoſito tuo, ut hoc
„ facias voluntate lædendi, culpans in me a-
„ liqvid dente maledico, qvod mente veridi-
„ ca eſſe ſcis non culpandum! & mox: Qvid
„ ergò fortaſſe dura, ſed certè ſalubria, verba
„ tua, tanqvam cæſtus *Entelli*, pertimeſcam?
„ Cædebatur ille non curabatur; & ideò vin-
„ cebatur non ſanabatur. Ego autem ſi me-
„ dicinalem correptionem tuam tranqvillus
„ accepero, non dolebo - - - Qvapropter
„ etſi *bos*, ut tibi videris *laſſus*, ſenectute forte
„ corporis, non vigore animi, in area Domi-
„ nica fructuoſo labore deſudans; ecce ſum!
„ ſi qvid perperam dixi, *fortius fige pedem*. Sic
divinâ ope extinctæ ſunt pernicioſæ illius ſi-
multatis flammæ, neqve verborum acerbi-
tate Viri immortali laude digniſſimi amplius

Auguſt. ep. XV. ad Hier.

decertarunt, nec odioſè poſtea aut contentiſè ſe invicem ſunt inſectati, qvin potius junctis animis atqve ſtudiis de veritate chriſtianâ aſſerenda fuêre ſolliciti, eamq; adverſus cunctos hæreſiarcharum inſultus, unanimi curâ maſcule defenderunt; probeq; falſorum DOCTORUM pariter ac FRATRUM odiis calumniisqve exerciti, per infamiam & bonam famam AD IMMORTALITATIS BRABEUM ſunt graſſati.

V. JOHANNES CHRYSOSTOMUS.

I.

Chryſ. homil. de Invidiâ.

HIc eſt in qvem potiſſimum execrandum illud *Diaboli telum* (ut ipſe alicubi ſcitè invidiam vocavit) à fidei & Profeſſionis ſuæ ſociis eſt evibratum; Hunc præ cæteris LIVOR maximè duxit infeſtandum; O qvantas *iſta malorum peſſima mater* Viro ſanctiſſimo peperit calamitates, inſidias, calumnias, exilia, qvam indignam deniqve necem acceleravit! Qvid, qvod *venenoſa illa & immunda fera*, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ agrum, bis ejecto cultore, incomparabili miſerè devaſtarit, ac ſimul præclaram Epiſcoporum concordiam ſubverterit. *Vides qvantis fuit* (dico cum eo-

n aureo Concionatore) *miniſtra malis in-
dia? qvaliter inſatiabilem diaboli mentem
plevit, & ei tantam appoſuit menſam, qvan-
m is cernere concupivit!* Sed paulò curatius
neſtum Livoris ejuſce ſeminarium excutia-
us, Causas initio Invidiæ Chryſoſtomo
onflatæ perveſtigaturi; tum atrociores
vaſqve injurias Heroi fortiſſimo illatas, i-
ſamqve ignominioſam de ſede Epiſcopali
dejectionem (qvam beatiſſima tandem ana-
yſis excepit) indubiâ Sciptorum probatio-
rum fide ſuffulti, explicaturi atqve comme-
moraturi. Primam autem INVIDIÆ, Ma-
gnum CHRYSOSTOMUM infeſtantis ex-
turbantisqve originem ab ipsâ magnanimi
illius Præconis ad ſedem Conſtantinopolita-
nam vocatione arceſſendam eſſe, elegans Pal-
ladii de vita ejuſdem Dialogus nos edocuit.
Ex qvo ſatis abunde conſtat, qvanta defuncto
Nectario inter Clericos ambitioſos concitata
ſint diſſidia, qvam nefariis artibus nonnulli
ad ſedem Epiſcopalem adſpiraverint, & ut
votorum compotes fiant, nihil intentatum
reliqverint, in caſſum tamen laborarint ſin-
guli, pudendâqve ambitione ſua cordatio-
res omnes à ſe magis magisqve reddiderint a-
lienos; cum illi probè perſpexiſſent, *pleros-
qve ſponte ſua* (ut modo laudatus Palladius
ex interpret. Ambroſii Camal. ſcribit) *ac oeſ-
ſiſſe, Eccleſiæ præfici cupientes, Viros planè non*
di-

Extat Palladii de vita Chryſ. Dialog⁹ Tom. II. opp. ejus à Frontone Ducao Pariſ. edit. 1609.

dignos, ſacerdotalis qvidẽ ordinis, ſed nihil habentes dignum ſacerdotio, qvi dum meritis diffidunt ſuis, Pontificis ſolium electione fidelium deſperantes poſſe adipiſci, partim Palatii obſervant fores, alii munera potentibus tribuunt, alii populis genu poſito ſupplicant. Ad hæc plebs fidelis indignans, Regem pia intentione ſollicitat, Paſtorem peritum ſibi dari ſuppliciter poſtulans. Datus eſt tandem divinâ providentiâ JOHANNES, per id temporis Eccleſiæ Antiochenæ Presbyter, qvi nondum Epiſcopus, Epiſcopi vices agebat, gregemqve Domini & morum integritate, & libris ac ſermonibus ad pietatem ſollicitè erudiebat. Hic igitur Imperiali juſſione, pariter ac Epiſcoporum qvorundam ſuffragiis Nectario defuncto ſurrogatus, provinciam illam arduam, Eccleſiæ nimirum Conſtantinopolitanæ ἐπισκοπὴν invitus planè ſuſcepit. *Agebat in rebus* (ita porrò Pallad.) *Eutropius Spado, præfectus cubiculi Regii, Johannem Præſulem fieri cupiens, cujus illi virtus erat notiſſima, cujusqve tunc periculum fecerat, cum in cauſa Regia interiora penetraſſet Orientis, ſvadet Imperatori, ſcribat ut ad Antiochiæ Comitem, mandans, ut absqve ſtrepitu ullo & perturbatione Antiochenæ civitatis mitteret Johannem. Acceptis literis Comes mandatum ita exeqvitur: Rogat Johannem ut ſecum extra Urbem pergat ad martyria, propè portam qua Romana appellatur,*

ur, impoſitumqve rhedæ publicæ, miſſo Eu-bo una & magiſtro militum tradit; addu-s hoc modo Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ or-natur Epiſcopus. At enim verò, vultu torvo minaci eum excepêre Lividi illi Symmy-æ, qvi ambitioni ſuæ & avaritiæ magis qvã ivinæ gloriæ & Eccleſiæ ſaluti litare, perver-ſqve viis epiſcopalem ſedem ipſi occupare ogitaverant. Et cum divinæ Johannis ele-tioni acriter cũprimis ſeſe oppoſuiſſet The-ophilus Alexandrinus, [qvem haud abs e clariſſimũ *Symyſtæ invidi* exemplar nun-cupaverimus] mirum adeò non eſt, qvod ille iſtum toto vitæ epiſcopalis decurſu virulen-tiſimũ hoſtẽ habuerit, acerrimumq; expertus ſit æmulũ, qvinimò præcipuũ calamitatis ſibi coaflatæ authorem & architectum. Solen-ne illi (referente Palladio) erat, *bonos ac ſen-ſatos Viros non ordinare, ſed duntaxat qvi DE-FECTU ALIQUO INSIGNES eſſent, ut o-mnes veluti inſipientes obtineret, maluit enim ſuperare ſtolidos, qvam ſapientibus accommo-dare iurem, à ſalutari tamen providentia vel-let nolet eſt ſuperatus.*

II. Neqve verò ſolus ille Pontifex Ale-xandrin⁹ magnum Chryſoſtomum infeſtavit, verumalii etiam atqve alii Symmystæ Livi-di telis odiorum injuriarumqve acutiſſimis duxêre impetendum; ægrè ſcil. ferentes, qvod uno omnium ore celebraretur, & inter-

 dicen-

dicendum honorificis acclamationibus plauſibuſqve ab audiente populo eſſet exceptus. Ac licet Vir ſanctiſſimus, (ut erat ingenio auſteriore fortiter laudem omnem ſpreverit, idqve unicè egerit, ut plauſus & acclamationes iſtas theatricas de ſacris concionibus tolleret, nihilominus tamen ſonoris vocibus ei ab auditoribus acclamatum fuiſſe, Palladius eſt conteſtatus; *Mirabantur eum ob ſapientiam ipſi a Deo datam -- quare ipſi plaudebant, alii quidem ſurſum chlamides ſuas attollentes, alii fimbrias, alii verò manualia, alii denique faſciolas ſeu oraria &c.* Et ipſe alicubi Chryſoſtomus; *Credite mihi* (ſcribit) *vera dicam; dum mihi applauditur dicenti, per ipſum quidem tempus humanum aliquid patior, (cur enim non verum fatear?) & geſtio & exulto. Poſtquam domum ingreſſus, plauſores nihil adjutos eſſe cogitavero: & ſi quid profeciſſe debebant, per plauſum & laudes amiſiſſe, doleo, gemo & lugeo: & tanquam omnia temere dixerim, ſic afficior, & mihimet ipſi dico; quæ mihi ſudorum utilitas, cum auditores ex ſermonibus noſtris lucrari nihil velint? Et frequenter legem ponere cogitavi, quæ plauſus prohiberet, & cum ſilentio congruaqve tranquillitate nos audire perſvaderet. Sed tolerate quæſo, & obedite mihi: & ſi videtur, hanc ſanciamus legem, jam audientium nemini licere cuiquam inter dicendum applaudere: ſed ſi velit admirari,*

Homil. XXX. in Acta Apoſt.

cum

cum ſilencio miretur, prohibet nemo. Et rurſus: *Laudaſtis* (inqvit) *dicta, ſed plauſibus mihi non eſt opus, neqve laudantium vocibus & tumultu. Unum duntaxat volo, ut cum qvie- te & intelligentia audientes qvæ dicuntur faciatis. Hoc mihi pro plauſu, hoc mihi pro laudatione.* At verò, longè aliũ cæteris ævi ejusce Clericis animum inſediſſe, illosq; nil niſi inanes populi acclamationes, plauſusqve incompoſitos qvæſiviſſe, ipſe cit. loco fuit conqveſtus: *Multa multi faciunt, ut in medio conſtituti, longam extendant orationem: & ſi plauſus a multitudine conſeqvantur, hoc eis regno ſimile factum eſt: ſi verò cum ſilentio ſermonem finierint, ſilentii triſtitia fit illis gehenna moleſtior. Hoc Eccleſias ſubvertit, qvoniam neqve vos ſermonem audire qværitis compunctivum, ſed qui delectare ſono valeat, & verborum compoſitione tanqvam citharœdos & citharistas audientes.* Et aliqvanto poſt: *Hæc & nos patimur, verborum fucos conqvirentes, & compoſitiones & elegantem juncturam, ut delectemus, non proſimus, conſideramus qvomodo ſiamus admirabiles; non qvomodo mores componamus.* Dubium proinde nullum eſt, qvin pudenda illa vanæ gloriæ è Clero mancipia, inſignes populi plauſus atqve acclamationes Johanne concionante factas, ſibi autem denegatas, ægerrimè tulerint, ac tanto vehementiori fervore exturbationem ejus tandem procurarint.

Idem homil. XVII. in Matth.

III. Sed

III. Sed longè graviorem zelus domus Dei qvam amabat, apud pſeudo-Clericos concitabat INVIDIAM integerrimo Præſuli, qvi dum officii ſui, monitiqve prophetici memor, liberâ lingvâ deſtruere & ædificare, plantare & diſſipare conſtituit, Aulicorum pariter ac Eccleſiaſticorum hominum odium incurrit infenſiſſimum. Horum autem maximè, poſtqvam id ſummo ſtudio agere cœpiſſet, ut ſacerdotes juxta receptas viverent conſtitutiones, ni facerent, ab Eccleſiis arcerentur, indignum eſſe prædicans, eos Apoſtolorum uſurpare dignitatem, qvi vitam illorum nollent imitari. *Mox igitur in ipſo initio* [Socratis verba ſunt] *qvum Clericis aſper videretur, erat plurimis exoſus: & veluti furioſum univerſi declinabant. Compellebat enim eum, ut velut omnes offenderet Serapio Diaconus ejus, qvi aliqvando præſentibus Clericis hunc protulit magna voce ſermonem: Nunqvam poteris ô Epiſcope hos corrigere, niſi uno baculo percuſſeris univerſos; qvo dicto, majora contra eum odia ſunt concitata.* Et qvemadmodum non una Clerum invaſerat corruptio, ita cum variis etiam vitiorum monſtris Epiſcopo fortiſſimo fuit dimicandum: Atro cumprimis carbone notandam duxerat turpem & ſcandaloſam Clericorum & mulierum (qvas adoptivas ſorores dicebant) extra legitimum conjugium cohabitationem, ſpecioſo qvo-

dam religioſæ neceſſitudinis prætextu
iatam; atqve hoc ipſo in malo eradican-
Johannes tantò diligentiorem collocave-
operam, qvanto minus eum fugiebat, peſ-
am iſtam conſvetudinem, in magnis ali-
ot Conciliis, præſertim Nicæno Can. III.
e meritoqve damnatam, ab Epiphanio in
igeniſtarum perſona notatam, & Hiero-
mo poſtea variis ſcriptis in Occidentem
iſſis oppugnatam fuiſſe. Et ſicuti Chry-
ſtomus, cum Antiochenæ Eccleſiæ Presby-
rum ageret, publicis ad populum ſermoni-
us morem iſtum ætate ſua in Oriente uni-
erſo freqventatum, graviſſimè reprehende-
at; ita *Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſco-*
pus factus, magno fervore ſermonem exa-
cuit (qvæ Palladii verba ſunt) *adverſus*
fictam, non fraternam uti appellant, ſed pla-
nè fœdam atq́; inhoneſtam vitam eorum ſa-
cerdotum, qvi mulieres, qvas ſubintrodu-
ctas vocant, ſecum habere voluerunt, aſſe-
rens, comparatione mali tolerabiliores eſſe
lenones: Illi enim longè à medicinæ taber-
nâ ſeparati ſeorſim habent, qvi ſua ſponte
infirmi eſſe delegerunt; hi autem intra
ſalutis officinam habitantes, ſanos ad mor-
bum evocant. Huc apprimè pertinent duæ
inſignes homiliæ; altera *qvod Regulares fe-*
mi-

Confer Homil. *XVII.* in *Matth.* ad illud *Chriſti:* Qvi aſpicit feminam &c. *Extant* *Tom. V.* *oper.* *Chryſ.* *edit. Baſil.*

minæ Viris cohabitent; altera *adverſus eos qui apud ſe fovent ſorores adoptivas qvas συνεισάκτους & ſubintroductas vocant*, in qvâ moris illius fœditatem pluribus oſtendit, ac eâ labe contaminatum Clericum inter cætera ita eſt „ allocutus: An neſcis, fulgidam Chriſtiani „ vitam uſqveqvaqve lucere debere, & eum „ qvi ſuam gloriam fœdat, ubiqve poſtea in„ utilem, & nihil magnum lucrari poſſe, et„ iamſi fortunatus ſit? Nam ſi ſal infatuatum „ fuerit, dicit, ad qvid valebit ultra? Sal e„ nim nos eſſe vult, & lumen & fermentum „ Deus, ut & alii à nobis utilitatem accipi„ ant. Qvod ſi homines irreprehenſibiliter „ viventes, vix convertere valent negligen„ tes: qvomodo ſi illis damno ſimus, non „ undeqvaqve rei erimus. - - - Etiam ad„ mirabile qviddam dicendum, ſi graviter „ qvis peccet, atqve clam hoc faciat, & ne„ minem ſcandalizet, minorem dabit pœ„ nam, qvam qvi leviter peccavit, idqve im„ pudenter & cum multorum ſcandalo. Et „ paulo poſt: *Omnia igitur faciamus, ut nulla* „ *ſit occaſio ſcandali, etiamſi injuſtè reprehen*„ *dant: perſvaſionibus diluamus crimina, &* „ *imitemur ſanctos, qvibus tantum fuit ſtudi*„ *um & gloriæ Dei, & ſuæ propter Deum.* Verum ſalutaria hæc monita, egregiaqve magni Doctoris effata corruptiſſimi Symmyſtæ ſummâ cum indignatione excipiebant, id qvod diſer-

ertè teſtatur Palladius his verbis: *Hinc jam*
s impia Cleri eo preſſa morbo, eaqve febre
repta, ægrè ferebat; idqve cum facilè præ-
diſſet Doctor ille fervidus, in laudata ho-
ilia; *Confundor* (inqvit) *& erubeſco, cum*
ec evertere attento, qvibus contradicere illi
on erubeſcunt: ferenda tamen omninò eru-
eſcentia, propter eos qvi erubeſcere neſciunt.
Etenim abſurdum fuerit, redarguentem eos,
qvi fratres qvos ſcandalizant contemnunt, ſe-
qve ipſos confundunt, propter pudorem illorum
curam abÿcere. Ita (proh dolor!) erga opti-
mum Epiſcopum erant affecti illi, qvi moni-
tis ejus caſtiſſimis patulas aures præbere, o-
mniqve ſcandalo obicem ponere ipſimet de-
buiſſent.

IV. Sed & pernicioſiſſimam malorum o-
mnium radicem, AVARITIAM ſcil. ex ani-
mis hominum Deo-ſacratorum extirpare al-
ter ille Elias pro virili ſua laboraverat, eosq;
graviſſimè duxerat objurgandos Clericos, qvi
ex bonis Eccleſię diteſcere, Deoqve dicata be-
neficia ſibi applicare neutiqvam dubitarunt.
Hos apud ſe nec tolerabat, nec qvicqvam ab
iis boni proficiſci poſſe præclarè exiſtimabat.
Si hæc idololatria (en verba ej⁹!) omnib⁹ chri-
ſtianis tá ſeverè prohibita, annon multo exe-
crabilior in iis, qvi ſacro & divino fungun-
tur officio, videbitur? Qvorſum & aliæ plu-
rimæ Doctoris magnanimi homiliæ perti-
nent,

nent, qvibus inſignem ſuum in Clericos & Laicos avaros zelum ad lectorum ſtuporem uſqve prodidit. In qvâdam verba notatu digniſſima legas ſeqventia: *Vide igitur qvanta ſit rerum perturbatio. Qvi rectè vivendo, rectamq; aliqvo modo fiduciam obtinendo montium cacumina occuparunt, è medio ſublati, & velut ab hoſtili alienoq; & minimè domeſtico corpore avulſi ſunt. Corrupti verò, qviq; innumeris malis ſcatent, in Eccleſias irruperunt, VENALES factæ ſunt Dignitates. Mille hinc mala naſcuntur, & tamen nemo eſt qvi corrigat, nemo qvi reprehendat, ſed viam qvandam atq; ſeqvelam hæc nacta eſt merces, adverſus eos qvi ſorores apud ſe fovent.*

Chryſ. hom. VI. in epiſt. ad Eph.

Alibi verò Clericos avaritiæ morbo laborantes ita compellavit: *Non poteritis de paupertate diſſerere vel perſvadere, ut facultates contemnantur, qvi omnia facitis ne qvid ex veſtris facultatibus vobis decedat, ut opibus opes accreſcant, propter vos, & iterum etiam propter illas inſtitores facti. Neq; enim ingenua & jucunda ſunt veſtra officia. Qvi juſſi eſtis portare crucem, & ſeqvi Chriſtum, abjeciſtis crucem,*

Idem Homil. XVII. in Matth.

qva-

vaſi effœminati milites, &c. Sed ex hoc
ars⁹ offenditur pars observantium sac-
ilos, inqvit Palladius; & ægerrimè eum ve-
tatis ſplendorem lippientes ſacerdotum
alè ſibi conſciorũ oculi pertulerunt, illorum
c. qvi de vindicta potius exercenda, foveâq;
ratri innocentiſſimo parandâ, qvam emen-
latione provehenda cogitaverant. Præſertim
ubi ferventiſſimus ille Præco LUXUM etiam
Cleri ſui intolerabilem, vitamqve voluptua-
riam freqventer notaſſet eorum, qvi in ſa-
crum ordinem aſſumpti, *aulica convivia* ac-
ceſſerunt, Magnatumq; menſis apprimè ſunt
delectati, cæterum nulli non contemptui,
profanorumqve hominum ludibrio ſe & ſa-
crum (qvod gerebant) officium ſpontè ex-
ponentes, & magis magiſqve ſcandala infir-
mioribus ſubminiſtrantes. Tanto acrius au-
tem Clericos voluptuarios Vir ſanctiſſim⁹ eſt
inſectatus, qvanto diligentius ipſe Chriſtia-
nam amavit ſobrietatem, & à cunctis promi-
ſcuè Mundi delitiis abhorruit. Et ſicuti in
eum egregiè qvadrabant verba Salvatoris
Matth. XI. 18. *Venit JOHANNES* [Chry-
ſoſtomus,] *nec edens nec bibens*; ita magno
etiam ardore victum caſtigavit [ut verbis „
Palladii utar] Cleri ſplendidum, orans & „
exhortans, ut contenti ſtipendiis ſuis, nito- „
rès divitum non ſeqverentur, nec fumum „
hujuſmodi captantes, libidinis flammæ tra- „
deren-

„ derentur, aſſentatorum ac paraſitorum in„ ſtituto viventes. Tantum verò abeſt, ut ciborũ omnem meliorẽ uſum interdixerit Viris Eccleſiaſticis, ut potius affatim Doctoribus ſubminiſtrari voluerit vitæ neceſſaria ne deficiant, neqve ſolvantur, aut minimis occupati, magnis ſe ipſos atqve alios priventi ut ſpiritualia operentur, nullam ſecularium habentes rationem. Nam lex inqvit; *Non infrenabis os bovi trituranti.* Sed notanter & egregiè addit Chryſoſtomus: *Vides qvomodo vult* LABORARE Doctorem? *Non eſt ſine labor alius illi conferendus; addidit* [Paulus] *& Chriſti teſtimonium: Dignus eſt enim mercenarius mercede ſua: Non ergo ſolum intueamur mercedem, verum & modo* PRÆCEPTUM *audiamus: Dignus inqvit eſt mercenarius mercede ſua. Itaqve ſi qvis delicatus aut remiſſus fuerit, dignus profectò non eſt, niſi qvis fuerit bos triturans.* Et paulo poſt ad verba Pauli de duplici honore Presbyteris exhibendo; *Hos omnium maximè jubet honorari, cauſamqve addidit, multum enim laborem ſuſtinent Qvam verò id juſtè: Cum enim alius* [Clericus ſcil. voluptati deditus] *non vigilet, neqve curis maceretur, ſed paſſim ſecurus & qvietus in qvotidianis fabulis & conſeſſibus ſit, hic autem concidatur ſolicitudine, & meditationi perpetuò inſiſtat, qvis non videat quanto ſit cæteris in honore præferendus? Interdum ſacer-*

Confer Homil. XV. in Epiſt. I. ad Tim.

cerdotes luxuriæ deditos comparavit mortuis. Sed verè ad tales loqvebatur optimus Præſul, ſurdisqve narrabat fabulam, verba ex ſanctiſſimo ore profuſa, ad Cleri voluptuarii palatum erant minimè, nec ſobriæ adeò dapes illi multum arridebant. Qvid, qvod oleum camino addiderint, magisqve concitarint malignantium iram atqve indignationem, qvi inſtar phreneticorum, ſaluberrima tanti Medici conſilia penitus duxêre eludenda: *Hinc Lurcones* (diſertè inqvit Dialogi author.) *plurimi pulſati atqve irritati, authoribus calumniæ ſe conjungunt*, illius nimirum, cujus Socrates diſertam fecit mentionem, & noſtro parum favens [utpote Novatianus,] vero haud abſimilem exiſtimavit; *qvod ſc.* Majori Fastu *qvam debuerat ſit uſus, Clericorum ſuorum corrigere vitam volens, in confabulatione verò arrogans fuerit*; additq; *Clericos freqventiorib9 ſuis apud populũ derogationibus maximam fidem ex eo feciſſe, qvod nec ullum ſecum comedere pateretur, nec ipſe ad alium invitatus accederet.* Qvemadmodum Severianus qvoqve pro publica concione Johanni eam ob cauſam ſuperbiæ crimen impingere non dubitavit: *Etſi in nullo* (dicebat ille) *alio vituperandus Johannes eſt, ejus tamen ſuperbia crimen eſt ad damnationem ſufficiens. Omnia namqve peccata remittuntur hominibus, ſuperbis autem DEus reſiſtit, ſicuti ſancta do-*

cent Scripturæ. At enim verò, non niſi livore urgente iſtud telum in Johannem (verum humilitatis chriſtianæ ſectatorem) evibravit Severianus; ſiqvidem Sozomeno teſte ægre admodum tulerit, qvod Chryſoſtomus freqventiori in Eccleſia ſermone fuerit celebratus. Dolendum omninò eſt, propudioſam iſtam DE FASTU Johannis calumniam, cancri inſtar latiſſimè ſerpſiſſe, multorumqve non omninò peſſimorum pectora decepiſſe, eò qvod Chryſoſtomus ab omni ferè mortalium commercio abhorrere ſit viſus, ſolusq; ſemper comedere, & invitatus ad convivia neutiqvam comparere conſveverit. Aſt graviſſimas ejus rei ipſum rationes habuiſſe, Palladius notavit, qvas etiam hunc in modũ duxit „ recenſendas: Primo qvidem ob calorem „ capitis abſtemius erat . . . Secundò qvo„ niam infirmitatis cujuſdam gratia ſtoma„ chus ejus ordinem deſiderabat, adeò ut ſæ„ pius qvæ fuerant parata, ingrata viderentur, „ tur, & qvæ non aderant inqviri oporteret. „ Deinde plerunqve cibi oblitus, ad veſperam „ usqve jejunabat, partim occupatus Eccleſi„ aſticis curis, partim ſpiritualibus meditati„ onibus abſtractus. Contendebat enim, ut „ nihil eum Sacrarum literarum præteriret. „ Solet autem hujuſmodi cogitatio aut ine„ diam, aut levem omninò refectionem ope„ rari. Eſt præterea conſvetudo convivis,

niſi

iſi ſecum qvis & ſudet & vomat, & fœdo „
ſu cachinnet, ſummis digitis tepidum ca- „
cem ferens, humanitatem ſuſceptionis, at- „
ve communitatem in maledicta converte- „
e. Ut autem totum qvod reor eqvidem „
rerius explicem, frugi erat nimium, delicia- „
umqve omninò adverſarius, ſacrilegium „
exiſtimans, ſi qvid in hujuſmodi impende- „
retur. Simul ut diſpenſatoribus qvoqve „
furti occaſiones amputaret, ne obſonio- „
rum pretia in brevibus ſuis multiplicantes, „
qvæ erant in uſus pauperum deputata ſibi i- „
pſis vindicarent. Præterea civitatis inge- „
nia cogitans, conſiderabat oportere ſe ut „
Chriſti diſpenſatorem aut dignitates omnes „
ex æqvo honorare, aut ſe ſubjicere nemini. „
Inſpiciens autem diligenter & menſæ tu- „
multus, & impenſarum magnitudinem, ex- „
horruit rem, & valedicens maledictis hujuſ- „
modi, illud ex Actibus Apoſtolorum ſibi i- „
pſi ſuccinebat: Viri fratres, non licet no- „
bis miniſtrare menſis, ſed conſtituamus Vi- „
ros religioſos ad hunc uſum, nos autem va- „
cemus verbo & orationi. Act. VI. Verum „
ratinones hæ (utut ſatis prægnantes) efficere non poterant, qvo minus calumnia de ejus faſtu & elatione fidem apud plurimos invenerit, & accreſcente Cleri odio invidiâqve, ipſam tandem ejus ejectionem ſive deturbationem funeſtiſſimam procurarit.

V. Cæterum, magnanimus ille Præco ob inſignem *aurei* ſui *oris* libertatem & imperterritam officii Epiſcopalis adminiſtrationem, non Cleri tantum, ſed Aulæ etiam Byzantinæ, & ipſius tandem Imperatoris Arcadii, ejuſqve Conjugis Eudoxiæ odium acerbiſſimum incurrit, ſanctæqve Paſtoris optimi exhortationes peſſimè qvoqve exceptæ fuere à SECULARIBUS. Et qvemadmodum initio officii ſui coram Imperatore eſt proteſtatus, ſe ſine ullius perſonæ acceptione liberè annunciaturum, qvod ſuo muneri eſſet *congruum*; *& ſi qvidem* [addebat] *verbis meis obaudieritis, inde mihi accreſcet gaudium, vobisqve emolumentum, ſin aliter accidat, vobis certè detrimentum, mihi autem dolor ſuperveniet;* ita deinceps re ipſa præſtitit id qvod proteſtatus fuerat, ſatiſqve oſtendit, zelum atqve magnanimitatem ſuam dignitate epiſcopali auctam eſſe potius qvam diminutam. Et licet Imperatoriam Majeſtatem honore debito ſit proſecutus; perſonæ tamen Aulæqve vitia haudqvaqvam diſſimulavit. Longè profectò felicior Arcadius, tantoqve genitore (Magno ſc. Teodoſio) dignior fuiſſet filius, ſi monitis Epiſcopi ſanctiſſimis locum lubentius dediſſet, nec frivolis maleferiatæ uxoris delationibꝰ patulas adeò præbuiſſet aures. Ut enim Dæmoni (qvi dicente Pall. non tulit eos per Johañis doctrinam eripi ſibi, qvos dudum

tenu-

nuerat captivos,) admodum infeſtæ erant hryſoſtomi conciones, ita aptiſſimum etiam roris ſui organum (qvale olim ad ſupplanandum hominem primævum adhibuit) *mu-ierem* ſcil. Eudoxiam Imperatricem in ipſum ommovit. Qvippè qvæ communicato cum ividis qvibuſdam Epiſcopis conſilio, omni irium niſu in Johannis magnanimi exturationem incubuit. * Jamqve Orbis & Orcus communicatis ſtudiis conſpirantes, athletæ fortiſſimi exitium decrevêre, cum nullus tanti ſceleris prætextus inveniretur. *Mittunt*
„ *itaqve* (Palladio ſcribente) *primum An-*
„ *tiochiam, adoleſcentiæ illius crimina ſtudiosè*
„ *inqvirentes, ubi verò defecerunt ſcrutantes*
„ *ſcrutationes, nihilqve invenerunt, qvo illius*
„ *fucarent gloriam, Alexandriam mittunt ad*
„ *THEOPHILUM, cujus noverant verſatile*
„ *ingenium ad hujuſmodi ſapienter* (callidè

* *Conſtat magnanimo illi Præconi vitæ inſidias etiam multo ante dejectionem & exturbationem tempore ſtructas fuiſſe per ſubornatos ſicarios: Sozomeno enim (lib. VIII. c. 21.) memorante, immittebatur hoſtium fraude vir qvidam dæmoniis agitatus, armatuſqve pugione, mox etiam Elpidii Presbyteri ſervus curſu concitato ædes epiſcopales petiit, Chryſoſtomum ſublaturus è medio, cumqve alium ejus loco interfeciſſet, extremo ſupplicio fuit affectus.*

„ & nefariè rectius dixiſſet) *viciſſim machinanda.* Etenim cum is magno niſu Johannis vocationi ſeſe oppoſuiſſet, & invidiæ œſtro percitus, viros doctrinâ & pietate illuſtres neqviſſet tolerare, hunc ſibi præ reliqvis *Ducem* elegêre, cujus verſutiâ Johannes ſolio dejectus in exilium mitteretur. Si veritati collactea ſunt [uti videntur qvidem] qvæ de vitâ Theophili deteſtabili, avaritia pudendâ, ſævitia militari Socrates; de impiâ item ejus verſutia, vindictæ ſtudio, techniſqve multivariis Palladius in dialogo tradiderunt; noſtrorum temporum Epiſcopi (Eraſmo judice) præ illo ſanctiſſimi ſunt reputandi. *Is poſtqvam literas* (pergit Pallad.) *juxta cor ſuum legit, oblatam ſibi malignandi materiam amplexus perlibenter, horrido ſilentio ſcrutabatur, inqvirens occaſionem vel levem contra Johannem, repertamqve fronte qvod aiunt capillata arripuit.*

VI. Et cum callidus admodũ magiſter artiũ (ſed illiberaliũ) Theophil⁹ eſſet, rê aſtu agere cœpit, primoq; qvid agitaret animo diſſimulans, ad ſingularum civitatum Præſules epiſtolas ſcripſit de damnandis libris Origenis, (cujus ſectatorem Chryſoſtomum eſſe falsò crediderat) hâc arte ſibi etiam concilians infenſum alias Epiphanium Cypri Epiſcopum, eumqve hortatus eſt ad Synodum celebrandam, cujus authoritate libri Origenis damna-

damnarentur. Epiphani⁹ pro ſimplicitate ſua non ſentiens Theophili dolũ, nec ab Epiſcopo tantũ expectãs verſutiæ, coacta Synodo libros Origenis legi vetuit. Datæ etiam ad alios Eccleſiarum Præfectos, ipſumqve adeò Johannem Chryſoſtomum literæ, ut idem faceret Conſtantinopoli, & ad Theophili exemplum Clero convocato, ſcripta Origenis atro itidem carbone notaret. Aſt cum ne Chryſoſtomo qvidem oboluiſſet, qvid vafer ille Senex hiſce procœmiis moliretur, ſolennem librorum Origenianorum condemnationem aliqvandiu diſtulit, licet in doctrinæ orthodoxæ profeſſione conſtantiſſimè perſeveraret. *

* Imprudentiæ cujuſdam Magnum Chryſoſtomum qvidam ducunt incuſandum, qvod ſtructas ſibi à vaferrimo Theophilo inſidias omninò neglexerit, atqve incautior in illas inciderit, non ſine maximo Eccleſiæ ſuæ malo, & bonorum offendiculo; *Parum* (inqvit Socrates lib. VI. c. 9.) *curabat ea, qva ipſi ab Epiphanio & Theophilo ſignificata erant, ſed tantùm intentus erat cura docendarum Eccleſiarum, qvâ ſumma cum laude defunctus eſt; interim inſidiarum, qva adverſus ipſum ſtruebantur, nullam planè rationem habuit.* At enim verò tantum abeſt, ut Chryſoſtomo eapropter negligen-

gentiæ aut imprudentiæ nota ſit impingenda, ut potius magis magiſqve celebranda veniat Viri ſanctiſſimi virtus, eò qvod paſtorali ſuæ curæ intentiſſimus, de propriá incolumitate parum adeò fuerit ſollicitus, atqve commiſſi gregis potiorem qvam ſui ipſius rationem habuerit. Neqvaqvam in vitio, ſed in laude ponenda eſt ſimplicitas columbina, etiamſi illa ob annexam pietatis ſinceræ profeſſionem, graviſſimarum tempeſtatum procellis ſit exercenda. Epiphanii potius imprudentia noxam graviorem habet finitimam, cui veterator ille Theophilus Alex. nefariè impoſuit, cum perſvadendum duceret, ut ſe ipſi ad Chryſoſtomum opprimendū ſociaret. *Epiphanius ſiquidem* (dicente laud. Socrate) *qvod ob ſummum ſtudium pietatis SIMPLICIOR eſſet, facilè literis Theophili fuit circumventus.*

Moram illam qvantocyus in remiſſiam vertit Pontifex, inqve Johannis optimi coſſit calumniam, qvid in animo haberet haud amplius diſſimulans, id cum Clericis etiam, Aulæqve Cæſareæ Proceribus, Chryſoſtomo ob veritatis præconium adverſantibus innotuiſſet, Theophilo velut ſignifero ſe adjunxerunt, id agentes ſollicitè, ut adverſus Johannem Synodus coiret. Comparuêre igitur

iſcopi à Theophilo evocati, & in his præ-
puè Præſules, qvos ob manifeſta crimina
hannes ab officiis ſuis ſemoverat, imò qvot-
ot antea magnam *Oris aurei* libertatem fer-
neqviverant, Chalcedone ad Qvercum
onvenêre. Jamq; Cyrinus loci Epiſcop⁹, ef-
ſis in abſentem Chryſoſtomum, calumniis,
auſpicatum fecerat conciliabuli initium,
am pro concione intrepidus Johannes, ab
lo [1. Reg. XVIII.] loco dicendi exordium
umeret: *Congregate ad me ſacerdotes dede-
oris, qvi comedunt menſam Jezabel*, ut dicam
is ſicut dixit Elias: *Qvonſqve claudicatis u-
risqve poplitibus: Si Baal eſt Deus, ambula-
e poſt ipſum, ſi autem Jezabelis qvoqve men-
ſa eſt Deus, comedentes evomite.* Mox Eu-
doxiam accedebant pſeud-epiſcopi, qvi ejus
ſumptibus in urbe alebantur, læſæ Majeſtatis
crimen Eliæ impingentes, neqve ex urbe ſo-
lum ejiciendum, ſed capite etiam plectendum
dum eſſe blaterantes; idqve judicium cum-
primis Theophilum tuliſſe Palladius teſtatur,
Novum (inqvit) *odium veteri copulans, ut E-
piſcopum non modo Eccleſia pelleret, ſed vita i-
pſa quoqve privaret.* Nec minus Auguſta
Eudoxia apud Imperatorem de injuria ſibi à
Johanne illatâ vehementiſſimè conqvereba-
tur, oleumqve camino affundere non deſti-
tit, ogganiens, contumeliam uxori illatam,
magis in ipſum recidere. Altum ſic in pſeu-

do-Synodo de libris & dogmatibus Origenis, ejuſqve ſolemni condemnatione erat ſilentium, ſed de accuſationibus potius & criminibus agebatur, qvibus Johannem opprimerent.

VII. Itaqve falſos teſtes hoſtilis ſubornabat furor, Presbyteros ſcil. pridem à Johanne ob nefanda crimina [alterius homicidium erat, alterius adulterium] de ſedibus ſuis pulſos: His inqvam ſuggerebat ſcelerata cohors, ut aculeatos Synodo libellos adverſus Johannem porrigerent, factâ proximæ reſtitutionis ſpe, ſtatim ac deſideriis ſuis fuiſſent velificati. Lubentes admodum nefarii illi, tam execrabili officio fungebantur; datisqve libellis mendaciſſimis, atro admodum carbone Johannem candidiſſimum notaverant. Et qvæ ei in libellis crimina objecta fuerint, partim ex Palladio, partim Socrate & Sozomeno, partim ex Chryſoſtomi ipſius epiſtolis colligimus. Unum erat qvod *Origeniſtis communicaſſet*; id verò nunqvam factum, ſed damnationis ſententiam ad tempus duntaxat dilatam fuiſſe, authores modo citati monuerunt. Alterum, *qvod poſt epulas ad S. Synaxin qvoſdam admiſiſſet*: Hanc calumniam ipſe Epiſt. CXXV. [in Tom. IV. edit. Gr. lat. Front. Ducæi extante] graviſſima obteſtatione retudit: *Ajunt* [ſcribit ibid.] *me poſt epulas qvibuſdam communionem impertiiſſe*;
hoc

Digitized by Google

hoc ſi feci de Epiſcoporum libro nomen meum expungatur, nec in orthodoxæ fidei volumine ſcribatur, qvoniam ecce, ſi qvicqvam ejuſmodi perpetravi, Chriſtus è Regno ſuo me abjiciat. Tertium, *qvod non eſſet purus à conſortio mulierum:* Qvin me [in eâdem ſcribit epiſtola] qvoqve cum muliere concubuiſſe criminantur; *Exuite corpus meum, & membrorum meorum mortificationem reperietis.* Qvartum, qvod *ſedecim in Aſia Epiſcopos præter jus depoſuiſſet;* Id cum poſtea Theophilus ipſe in mendaciſſimo ſuo adverſus Johannem opere * valdè exaggeraret, factumqve illud immenſæ dominandi libidini adſcriberet, Palladius (Dialog. cap. XIII.) rei totius ſeriem prolixè & egregiè expoſuit, iſtamqve non ſedecim, ſed ſex tantummodo Epiſcoporum (utpote Simoniacorum) depoſitionem juſtiſſimam fuiſſe pluribus oſtendit. Verum haud

* Qvam immani Theophilus in Johannem flagrarit odio, toto eo opere clariſſimè dedit demonſtratum. Inter alia inibi (teſte Famiano Hermianenſi Lib. VIII. ad Juſtinian.) legebantur ſeqventia: *Non ſolum non eſt Chriſtianus Johañes, ſed pejor eſt Rege Babylonio, multo ſceleratior qvam Balthazar, Idololatris & Ethnicis ſceleratior eſt Johannes. Tibi jam præſens ignominia, æterna in futuris ſeculis pœna reddetur.*

haud intra qvatuor iſtarum calumniarum propudioſarum limites pſeudo-teſtium & pſeudo-Synodicorum Clericorum furor ſe continuit, qvin potius impudentiori longè ſeſe exeruit auſu. Teſte ſiqvidem PHOTIO *Johannes qvidam B. Johannis Epiſcopi Diaconus, eum I. accuſabat illata ſibi injuriæ, quod ſe ob domeſticum puerum Eulalium pulſatum ejeciſſet. II. Qvod Johannes qvidam monachus, jubente Chryſoſtomo verberatus eſſet, ut ait, ac raptatus, ferreaqve catenâ dæmoniacorum more adſtrictus. III. Qvod pretioſarum rerum magnam vim divendidiſſet. IV. Qvod marmora S. Anaſtaſiæ, qvæ Nectarius illi Eccleſiæ marmoribus ornandæ reliqverat, ipſe vendidiſſet. V. Qvod per contumeliam appellet Clericos viles, corruptos, ſuis uſibus ſponte paratos, triobolaresqve. VI. Qvod S. Epiphanium delirum & parvulum dæmonium appellarit. VII. Qvod Severiano calumniam ſtruxiſſet, incitatus contra eum Decanis. IIX. Qvod ſycophantiis plenum librum in Clerum conſcripſerit. IX. Qvod totius Cleri habito conventu, tres Diaconos citarit, Acacium, Edaphium & Johannem, & qvaſi humerale ipſius furati eſſent, accuſarit; qværens utrum & ad alium illud uſum cœpiſſent? X. Qvod Antonium ſepulchrorum violatorem convictum, Epiſcopum ordinarit. XI. Qvod Johannem Comitem in tumultu militari ipſe prodiderit. XII. Qvod*

Phot. in Biblioth. cod. LIX.

neqve

neque incedens ad templum, neque egrediens DEum precatus ſit. XIII. Quod ſine altari Diaconorum & Presbyterorum ordinationes fecerit. XIV. Quod una ordinatione quatuor ſimul Epiſcopos crearit. XV. Quod mulieres ſuſcipiat, ſolus cum ſolis, aliis omnibus foras emiſſis. XVI. Quod hæreditatem à Thecla relictam per Theodulum vendiderit. XVII. Quod Eccleſiæ reditus nemo noverit quo abeant. XIIX. Quod Sarapionem accuſatum, cauſamq; etiamtum dicentem Presbyterum ordinarit. XIX. Quod communicantes cum Orbe univerſo (h. e. Catholicæ communionis monachos, Origeniſtarum accuſatores) ipſius voluntate incluſos, & in cuſtodia mortuos contempſerit, ut ne corpora quidem ipſorum ſepulturæ mandanda curarit. XX. Quod injuria ſanctiſſimum Acacium affecerit, & ne ad colloquium quidem ipſum admiſerit. XXI. Quod Porphyrium Presbyterum Eutropio ut in exilium pelleret, tradiderit. XXII. Quod item Venereum ſacerdotem contumeliis multis male acceperit. XXIII. Quod illi ſoli balneum ſuccendatur, & ubi laverit Sarapion claudat labrum, ita ut alius nemo lavet. XXIV. Quod ſine teſtibus multos ordinarit. XXV. Quod ſolus edat intemperanter, Cyclopum vitam degens. XXVI. Quod idem ipſe accuſet, idemque teſtis ſit ac judex. Planum id eſſe ex illis, quæ cum Martyrio Archidiacono, & cum Prœreſio Lyciæ Epiſcopo geſta referun-

feruntur. XXVII. Qvod pugno contuderit Memnonem in Apoſtolorum ſacra Æde, & ſangvine ex ore ipſius manante, nihilominus Euchariſtiæ obtulerit myſteria. XXIIX. Qvod in throno exuitur & induitur, & paſtillum (nempe poſt S. Cœnæ perceptionem) edit. XXIX. Qvod Epiſcopis à ſe ordinatis pecunias largiatur, ut per illos Clerum opprimat.

VIII. Hæc accuſationis in ſanctum Virum ſunt capita, à Johanne Diacono pſeudo-Patribus Chalcedonenſibus, ſeu fratribus potius Cainiticis libello qvodam famoſo propoſita, qvæ omnia falſa fuiſſe ait in dial. Palladius, excepto penultimo, nempe qvod inſtituerat, ut qvi acceſſiſſent ad menſam Dominicam, mox aut aquam aut paſtillos ſumerent, ne qvid ſacramentorum exſcrearent; Cæterum, accuratiori etiam ſtudio in caput primum, ſecundum nonum & vigeſimum ſeptimum inqviſitum fuiſſe Photius ex libro Actorum iſtius conciliabuli memoravit. Eodem Photio teſte, etiam Iſaacius qvidam Epiſcopus, livore incitante contra Chryſoſtomum libellum exhibuit, ſeqventes continentem impoſturas: *Primam*, de Johañe iſto Monacho jam nominato, qvod propter Origeniſtas vapulaſſet & ferro vinctus fuiſſet. *Secundã*, qvod B. Epiphani⁹ propter hos Origeniſtas Am̃oniũ, Euthymiũ, Euſebiũ, Heraclidẽ & Palladium com̃unicare cum illo noluiſſet.

Ter-

Tertiam, qvod hoſpitalitatem, ſolus qvotidiè cibum capiens, deſereret. *Qvartam*, qvod in Eccleſia dicat menſam eſſe furiarum plenam. *Qvintam*, qvod in Eccleſia ſe ita jactet, *Depereo, inſanio*. *Sextam*, oportuiſſe illum interpretari, qvænam illæ furiæ eſſent, & qvid ſit depereo, inſanio, has enim Eccleſia voces ignorat. *Septimam*, qvod licentiam peccantibus præbeat, ſic docens: *Si iterum peccaſti, pœniteat iterum; Et qvoties peccaveris, veni ad me ego te ſanabo*. *Octavam*, qvod in Eccleſia docens blaſphemet, Chriſtum orantem ideò non eſſe exauditum, qvod non ut oportet oraſſet. *Nonam*, qvod ad ſeditionem populum concitaret, etiam adverſus Synodum. *Decimam*, qvod ex gentibus qvoſdam, qvi Chriſtianos valdè afflixiſſent, ſuſcepiſſet, & in Eccleſia haberet atq; defenderet. *Undecimam*, qvod aliorũ invadat provincias, ordinetq; ibidem Epiſcopos. *Duodecimam*, qvod Epiſcopos injuria afficiat. *Decimam tertiam*, qvod Clericos inuſitatis injuriis (ſcil. enormia eorum flagitia reprehendendo) contumeliiſq; affecerit. *Decimam qvartam*, qvod aliorum depoſita vi rapuerit. *Decimam qvintam*, qvod ſine conventu, prærerqve Cleri mentem ordinet. *Decimam ſextam*, qvod Origeniſtas receperit, communicantes verò cum Eccleſia Monachos, etſi commendatitias literas adferrent, in carcerem conjectos non dimiſerit;

qvin

qvin & in eo morientes ne inviſerit qvidem. *Decimam ſeptimam*, qvod aliena mancipia nondum manumiſſa, imò & accuſata, Epiſcopos ordinarit. *Decimam octavam*, qvod ipſum hunc Iſaacium malè ſæpe multarit. Propoſitis itaqve octodecim hiſce accuſationum novarum articulis, ſecundum & ſeptimum paulò ſtudioſius examinatum fuiſſe ſæpè laud. perhibuit Photius. Mox tertium qvoqve prioris accuſationis à Johanne Diacono factæ, ſcil. qvod pretioſarum rerum magnam vim divendidiſſet; inqve eo capite juratos Chryſoſtomi hoſtes, Arſacium & Atticum Presbyterum adhibitos, adverſus illum teſtimonium dixiſſe.

IX. Appoſitiſſimè autem ad nænias haſce ipſe ſanctiſſimus reus in CXXV. epiſtola, Ἀλλὰ (reſpondit) ταῦτα πάντα διὰ τὸν φθόνον ἐποίησαν. VERUM AD HÆC OMNIA FACIENDA [dicenda, ſcribenda] LIVORE ADDUCTI SUNT. Non eqvidem Symmyſtæ lividi qvievêre, donec feralis lata eſſet ſententia, atqve Johannis è throno dejectio decerneretur. Ne verò omnem humanitatem exuiſſe, & civiles pariter ac divinas leges conculcaſſe viderentur, congregati ad Qvercum Epiſcopi, per literas citarunt Johannem, petieruntqve, ut ad crimina objecta reſponderet: Eramus cum Johanne „ XL. Epiſcopi [ita unus ex illis tradit ipſe ſc. „

Pal-

„ Pallad.] tunc in Epiſcopatus triclinio ſe-
„ dentes - - - - cum nunciatum aſtare pro
„ foribus, qvos Theophilus miſerat. Jubet
„ eos ingredi (Johannes) protinus; Ingreſ-
„ ſis cujuſnam eſſent gradus interrogat? Epi-
„ ſcopos eſſe ubi didicit, orat ut ſedentes,
„ qvam ob cauſam advenerint, dicant; Illi
„ autem, Breve tantum habemus, inqviunt,
„ jubere illud legi; qvod ille ubi annuit,
„ mandant Theophili puero ut legeret, & le-
„ git, erat autem hic textus: *Sancta Synodus*
„ *ad Qvercum congregata, Johanni*; (neqve
„ addentes id qvod profectò erat *Epiſcopo*,
„ ſolet enim fermè obcœcatus animus, non
„ ritè aſpicere, ſed ea volvere ac conſpicari,
„ qvæ paſſio dictat;) *Libellos contra te accepi-*
„ *mus mala continentes innumera. Occurre i-*
gitur Serapionem & Tigrim Presbyteros aſſu-
mens tecum, eſt enim illis opus. At verò vi-
dens Chryſoſtomus, ab hoſtibus ſuis infenſiſ-
ſimis citationem eam profectam eſſe, probe-
qve perſpiciens, qvorſum res ſi accederet eſſet
evaſura, prudentiſſimè ad generalem Syno-
dum appellavit, congregatis verò ad Qver-
cum Epiſcopis in hunc ſenſum duxit reſpon-
dendum: *Ego an aliqvis dicere contra me*
qvippiam poſſit, hactenus neſcio: porro ſi qvis
propoſuit contra me, vultisqve ut veniam, ma-
nifeſtos inimicos meos, quos mihi negligentia
ſua fecit infeſtos, conventu veſtro primum ab-

jicite, neq; jam de loco contendam, ubi me oporteat judicari, etſi id maximè in civitate oportuit. Sunt autem, qvos ut ſuſpectos renuo Theophilus, qvem & in Alexandria & Lycia dixiſſe certum eſt; In comitatum proficiſcor, ut Johannem deponam, id ex eo verum probatur, qvod adveniens neqve congreſſus eſt mihi, neq; communicavit. Qvi ergò ante audientiam inimicus comprobatus eſt, qvid poſt judicium facturus putatur? Acacium itidem abjici poſtulo, qvi (Conſtantinopolin ſcilicet adveniens, honeſtoqve ut dicebat, hoſpitio deſtitutus) *dixit:* Ego ipſi ollam condio: *qvid autem de Severiano & Antiocho dicam? qvorum ſcelera ſeculi qvoqve theatra canunt. Itaqve ſi me revera venire vultis, hos qvatuor, ſiqvidem Judices ſunt, conſilio pellite, ſin autem accuſatores, eos ad judicium ſiſtite, ut ſciam qvo mihi ordine certandum ſit: Utrum qvaſi contra adverſarios, an adverſus judices ſtandum, omninoqve non ſolum ad charitatem veſtram, verum & ad univerſalem Synodum venire paratus ſum. Scitote igitur, qvod ſi millies miſeritis ad me, nullum aliud reſponſum à me reportabitis.* Æqviſſima verò hæc citati Johannis poſtulata, iniqviſſimè ſunt excepta ab iis, qvi pridem infamem illius deturbationem decreverant, imò [notante authore Dialogi] ferrum jamjam collo injici-

endum

endum præparaverant, quo in navim pertrahendus ad loca ignota mitteretur. Aſt cum tentatum ſcelus ex voto minimè ſucceſſiſſet, ter repetitâ, terqve [uti putabant] ſpreta contemptaqve citatione, in abſentem æqve ac innocentem, impiam dejectionis ſententiam pronunciarunt, jam non aliud crimen intendentes, niſi qvod citatus non comparuiſſet. Et licet per Epiſcopos qvoſdam ſubdelegatos Johannes Antagoniſtis ſuis proceſsûs ejuſce iniqvitatem clariſſimè poſuerit ob oculos, illi tamen habiti ſunt indigniſſimè; alterum quippe cæciderunt furibundi, alteri ferrum collo adaptarunt, qvod ſancto Viro præparaverant, dæmone eos ad extremam ferociam incitante. Neqve verò im̄enſo illo furore multum turbabatur Vir ſanctiſſimus, qvin potius illuſtre admodum animi inter adverſa conſtantiſſimi dedit documentum, eo qvidem ſermone, qvem *anteqvam iret in exilium*, ad populum habuit; *Multi qvidem* (dicebat) *fluctus & unda immanes, ſed ſubmergi non vereor, qvia ſupra petram ſto; inſaniat licet mare, petram non poteſt commovere; inſurgant qvantumlibet fluctus, navis JESU obrui non poteſt. Sed qvid putant? Ne mortem vertar, cui vivere Chriſtus eſt. Ne exilium pertimeſcam, qvi noverim Domini eſſe terram & plenitudinem ejus. Sed bonorum proſcriptionem metuam? qvi ſciam qvod nihil intu-* *Extat Tom. V. oper. Chryſ. fol. 942. ed. Baſ.*

lerim in hunc mundum, ſed neque auferre qvid poſſim. Qvicqvid terroris habet mundus, contemno: qvicqvid delectabile habet rideo. Divitias non cupio, paupertatem non horreſco, mortem non timeo. Vita enim mihi ad veſtrum profectum tantummodo ducitur; ſed charitatem veſtram precor, ut æqvo animo ſitis &c. Par eſſet integram adſcribere homiliam, ne uno qvidem prætermiſſo apice, ut qvæ omnibus perſecutionem propter juſtitiam patientibus paratum antidotum exhibeat; Jungendaq; illi foret inſignis Chryſ. Oratio qvam ante latam feralem ſententiam ad Epiſcopos ſuæ communionis habuit: *Orate* [ajebat inter alia os aureum] *fratres, ac ſiquidem diligitis Chriſtum, mei gratia ſuam nullus Eccleſiam deſerat. Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat, juxta ſententiam Pauli 2. Tim. 4. Multas ut video preſſuras primum patiar, atqve ita demum excedam è vita. Scio enim verſutiam ſatanæ, qvod jam non ferat ſe meis qvotidiè ſermonibus laceſſiti, atqve ita demum mihi præſtate miſerationis affectum, ut in orationibus veſtris mei memineritis.* Cæterum, damnationis ſententia in Johannem magnanimum, à malignantium grege nefariè lata [Palladio teſte] ita ſonabat: *Qvoniam accuſatus Johannes qvorundam criminum, conſciuſqve ad ea diluenda occurrere noluit, hujuſmodi verò deponunt*

leges,

Digitized by Google

s, id qvod & paſſus eſt : continent autem li-
i & læſæ Majeſtatis crimen, jubeat hunc
as veſtra expelli vel invitum, daturum tan-
riminis pœnas, nobis enim iſta non licet in-
irere. Nimirum, in partes ſuas trahere ma-
nas conati ſunt ipſum Imperatorem, dum
ſæ Majeſtatis Epiſcopum accuſarunt. Nec
orâ, executioni data fuit ſancita expulſio;
mq; Principis qvidẽ juſſio urgebat, populi
men conſtans oppoſitio non ſinebat, verum
ſpreta, Arcadius Chryſoſtomum [Pilatus
hriſtum] malignantium permiſit furori, da-
oqve comite ſub veſperam, navi juſſit impo-
i, ac tertio à damnatione die in exilium ad
ſtium Ponti, qvod vocatur Hieron depor-
ari.

X. Aſt peſſimè ceſſerat ea tyrannis, po-
pulo Johannis depoſitionem indigniſſimè
ferente; & deſiderio Præſulis in Imperatorem
& Epiſcopòrum cœtum inſurgente, qvamvis
ne tale qvid tentaretur, omni curâ exul ſan-
ctiſſimus prohibuerit. Ad necem cumprimis
indignabunda plebs poſtulabat tragœdiæ
authorem, & vaferrimum inſidiarum, Johanni
ſtructarum architectum, Theophilum ſcilicet
Alexandrinum (cujus infenſiſſimum in Chry-
ſoſtomum odium, omnium ore erat divulga-
tum) hunc extremo afficere ſupplicio, &
(Pallad. teſte) *marinis undis immergere* co-
nabantur. Eo autem elapſo, & cum pſeud-

Epiſcoporum Ægyptiorum colluvie in fugam conjecto, populi tumultus tantoperè incruduit, ut ipſam etiam Regiam petere, clamores incompoſitos concitare, & extrema qvæqve minari cœperit, nî ocyus Paſtor deturbatus in locum ſuum reſtitueretur. Qvapropter Imperator malorum ſibi, urbiqve imminentium formidine, pariter ut terræ motu vehementiori territus, per legatos Epiſcopum ut reverteretur ſollicitavit, utqve ſermonibus ſuis præſentem tempeſtatem depelleret. Qvid, qvod ipſa Jezabel Byzantina, Eudoxia ſc. anguſtiis preſſa, in Paſtoris exturbati reſtitutionē adprimè incubuerit: Rediit itaq; immemor omninò illatarum ſibi injuriarum, atqve populo in occurſum ejus venienti, inſignem hanc pacis orationem impendit: *Qvid dicam? qvid loqvar? Benedictus DEUS, hunc egrediens dixi ſermonem: hunc iteravi revertens, & illic conſtitutus, hunc in ore volvebam. Puto vos meminiſſe, cum ante hoc beatum Job adduxiſſem in medio dicentem: Sit nomen Domini benedictum, hanc vobis hiſtoriam dereliqvi, has gratiarum actiones iterabo regreſſus: Sit nomen Domini benedictum in ſecula. Diverſæ rerum cauſæ, ſed una glorificatio: & cum expellebar benedicebam, & reverſus iterum bene-*

Chryſ. l. c. p. 945. ſeqq.

benedico - - - Benedictus DEUS qvi conceſſit exire; benedictus DEUS qvi redire præcepit. Benedictus DEUS, qvi permiſit hyemem; benedictus DEUS qvi diſſolvit hyemem & fecit tranqvillitatem. - - - Nec tranqvillitas reſolvit, nec tempeſtas hyemis demergit. Benedictus DEUS, & cum à vobis ſum ſegregatus, & cum iterum recepi vos, in utroq; DEI providentia eſt, ſeparatus à vobis corpore, ſed anima non ſum à vobis diviſus, & ex veſtro affectu meum metimini animum. Et qvid dicam? Non ſum ſeparatus à vobis, ſed magis accenſus ſum deſiderio veſtri, qvod etiam de vobis confido: Nihil nobis nocuêre inſidiæ, NIHIL LÆSIT INVIDIA, ſed magis augmentum præſtitit charitati, & multiplicavit diſcipulorum numerum. Ante hoc enim diligebar à meis, nunc verò honorificabor à Judæis. Sperabant me à meis filiis ſeparare, ſed magis mihi extraneos adjunxerunt. Non illis agam gratias, ſed DEI miſericordiæ gloriam referam, qvi conatus illorum malos in melius commutavit. Extat Tomo V. Opp. Chryſoſtomi ſermo integer, certè non ſine multa admiratione atqve curâ legen-

Confer Tom. V. opera Chryſ. edit. Baſil. pag. 945. ſeqq.

legendus, cui Heros incomparabilis hunc (planè egregium) impoſuit colophonem:
„ *Qvid faciam? laborandi locum non ha-*
„ *beo. Gaudendi habeo tempus - - - - - - -*
„ *tantæ oves, & nuſqvam LUPUS:*
„ *tot ſpicæ, & nuſqvam lolium: tan-*
„ *tæ vineæ, & nuſqvam vulpes. Ubi nunc*
„ *latent lupi? qvo abierunt vulpes, qvæ e-*
„ *as perſecutæ ſunt? O rem inauditam!*
„ *Paſtor qvieſcit, & oves luporum rabiem*
„ *abegerunt, inſidias vulpium oppreſſe-*
„ *runt. O ovium ſapientia, ô filiorum affe-*
„ *ctus, ô diſcipulorum charitas. O pulchri-*
„ *tudo ſponſæ, abſente Viro abegit adulte-*
„ *ros, oſtenſæ ſunt ejus divitiæ, apparuit*
„ *pulchritudo. Latrones confuſi ierunt &*
„ *aufugerunt. Dicito mihi, qvomodo per-*
„ *ſecuta es lupos? qvomodo pepuliſti latro-*
„ *nes? Freqventi inqvit oratione ad DE-*
„ *UM; qvomodo deſpexiſti adulteros? con-*
„ *tinuis inqvit lachrymis ex deſiderio Viri.*
„ *Non accepi arma, non ſumpſi lanceas, non*
„ *arripui ſcutum: ſolummodo oſtendi eis*
„ *pulchritudinem meam, qvâ perſpecta*
„ *vulnerati fugerunt. Ubi nunc illi? pro-*
„ *cul dubio in confuſione. Ubi nos? in læti-*
tia.

tia. Ubi nunc illi? conſcientiæ ſuæ ma- „ lo tabeſcunt. Ubi verò nos? in magna ex- „ ultatione DEUM glorificamus.

XI. Serena tandem aliqvando Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, Epiſcopo in ſedem ſuam reſtituto, lupisqve fugatis affulſiſſe videbatur felicitas, & tantum non aureum rediiſſe ſeculum, cum turbo infernalis qvietisqve Eccleſiaſticæ infenſiſſimus hoſtis, Cleri furentis INVIDIA abuſus, novam eamqve vehementiorem multò concitaret tempeſtatem: Etenim cum revocatus ab exilio Chryſoſtomus, nihilo mitior erga malignos factus eſſet, atqve juſtiſſimo pro SS. Numinis gloria zelo accenſus, in recens erectam argenteam Eudoxiæ ſtatuam, & ludos ſacrorum tempore habitos graviter detonuiſſet, *conſvetaqve fiducia* (dicente Socrate) *rurſus ſuam armaſſet lingvam*; factum, ut novam inde Epiſcopi lividi arripuerint calumniandi occaſionem, & apud Auguſtam Chryſoſtomum veluti læſæ Majeſtatis iteratò reum detulerint. Hinc iræ furiis agitata mulier, necem (ad Herodiadis exemplum) Johanni intentabat, caput Viri apprimè appetens, cujus lingva gravius qvam lancea feriretur. Et cum totis nervis id perficere contendiſſet, eâdem qvâ ſemper uſus fuerat conſtantiâ, Chryſoſtomus ad populum attonitum decantatiſſimam illam habuit concionem, cujus tale initium: *Rurſum*

ſum Herodias furit, rurſum caput Johannis ab Herode petit abſcindi; rurſum Jezabel Nabuthi vineam eripere pertentat, ac ſanctum Eliam ad montes perſeqvendo convellere &c. Qvo ſermone vehementius irritata Eudoxia, poſtliminiò ad vota etiam ſua pertraxit Imperatorem, atqve convocatis pſeud-Epiſcopis iniqviſſimum depoſitionis judicium renovavit. *Attamen* [qvæ Palladii verba ſunt] *initium probabile minimè invenientes, Alexandriam ad hujuſmodi rerum peritiſſimum ſophiſtam* [Theophilum ſcil.] *mittunt, ita ſuggerentes: Aut iterum veni, Dux noſter adverſus Johannem futurus, aut ſi hoc populi cauſa vereris, modum nobis aliqvem ſuggere, ex qvo ſumamus initium.* Accepta epiſtola Theophilus accedere, qvippe periculi nuper ſuperati memor renuit, ſed tres Conſtantinopolin ablegavit Epiſcopos alios, Paulũ, Pœmenẽ & tertium anonymũ, cum canonibus qvibuſdã antehac ab Arianis in B. Athanaſii exitiũ fabricatis, qvibus & Johanni ſtruerent inſidias, eò qvod ab officio ſuo remotus, absq; ſynodali decreto id denuo capeſſere auſus fuiſſet. Qvamprimum autem infamis illa Cac-angelorum triga Conſtantinopolin deveniſſet, & à furente, livoriſqve facibus tantum non penitus conſumto Clero multa cum voluptate eſſet exceptâ, id præcipuè coactâ Synodo, in qva aderant Leontius Ancyræ Galatiæ,

latiæ, Ammonius Laodiceæ, Breſon Thraciæ Philippenſis, Acacius Beroæ Syriæ Epiſcopi aliiqve nonnulli] agere nitebatur, ut nullus omninò Johanni ſeſe purgandi, & ad objecta crimina reſpondendi locus ſupereſſet, canonis nimirum à Theophilo ſubmiſſi, & à qvadraginta Arii complicibus qvondam firmati vigore: *Si qvis Epiſcopus aut Presbyter injuſte ſive juſte depoſitus, ex ſe ipſo absqve Synodo in Eccleſiam redierit, hic jam excuſationis non habeat locum, ſed omninò expellatur.* Et qvamvis nefaria hæc regula, à nefariis præſcripta, in Sardicenſi Concilio ab Orientalibus & Occidentalibus Epiſcopis, Græcis, Italis, Illyricis & Macedonibus omninò ſit eliminata, & Athanaſius cum Marcello Galata (ad qvos potiſſimum ea lex attinebat) poſtliminiò ad communionem admiſſi fuerint; hoſtes tamen Johannis implacabiles, Ammonius ac Leontius communicatis prius cum Acacio, Antiocho, Cyrino Chalcedonenſi ac Severiano conſiliis, in id ſtrenuè incumbebant, ut ab epiſcopali munere Johannes abdicatus, triſtiſſimũ ſubire exilium cogeretur. A qvâ dejectionis & proſcriptionis ſententiâ cum minimè alienus eſſet ipſe Imperator, attamen qvid ageret omnino hæreret dubius, novamqve in populo ſeditionem (ſi vi cum Johanne ageretur) metueret, Acacium ad ſe vocavit cum Antiocho; *Qvid faciemus?* (aje-

(ajebat,) *probè perpendite, utrum rectè conſuleritis?* tum ſonora illi voce clamarunt: *Super caput noſtrum ô Imperator ſit Johannis depoſitio. Et rurſus, noli eſſe Presbyteris mitior, & Epiſcopis ſanctior; Rex tu à Deo nobis es datus, nemini ſubditus, omnibus dominans, licet tibi qvodcunq; vis facere. Præſentibus omnibus diximus*: SUPER CAPUT NOSTRUM SIT JOHANNIS DEPOSITIO; *noli igitur uni homini parcere in perniciem noſtrorum omnium.* Sacerdotum itaqve pluſqvam Iudaicorum clamoribus victus alter ille Pilatus, Johannem innocentiſſimum ipſamq; adeò ſanctitatem (ne ſanctior ſc. Epiſcopis eſſe videretur) duci juſſit in exilium, eiq;, miſſo Notario Patricio hæc indicari præcepit: *Acacius, Antiochus, Severianus atqve Cyrinus, damnationem tuam ſuper caput ſuum poſuerunt, te ipſum ergò commendans Deo, Eccleſiâ egredere.* Paruit extemplo juſſioni Cæſareæ Johañes, magisq; de miſerabili Eccleſiæ ſuæ à lupis devaſtandæ ſtatu, qvam de horrido (qvod inſtabat) exilio ſollicitus, ad orationem ardentiſſimè fundendam ſe totum compoſuit. Mox Baptiſterium ingreſſus, Olympiadem egregię pietatis feminam, ejuſqve aſſeclas hiſce verbis compellavit: *Venite huc filiæ, audite me; qvæ de me ſunt ut video finem habent, curſum meum conſummavi, neq; ultra forte videbitis faciem meam, hoc unum rogo, hoc deprecor,*

cor, ne aliqva ex vobis ſolitam erga Eccleſiam deſerat benevolentiam, & qvicunq; non ſponte fuerit ordinatus, neqve id ullo qvæſierit ambitu, ſed de conſenſu omnium, ei caput veſtrum inclinate, ut Johanni per omnia. Non enim eſſe Eccleſia ſine Epiſcopo poteſt, atq; ita miſeremini mei, ut in orationibus veſtris ſemper mei memineritis. Qvo ſermone finito, militum præfecto ducente, urbem Regiam verſus Orientalem partem [nihil enim apud ipſum Occidentale erat ait Pallad.) egreſſus, à multitudinis hinc inde circumfuſæ conſpectu ſeſe ſubduxit, inqve Bithyniam abiit.

XII. Ea autem, qvâ emigrabat die Chryſoſtomus, IGNIS Eccleſiam, in qvâ docuerat cœleſti prodigio, an intempeſtivo qvorundam fervore incertum, corripuit, ventoqve delatum incendium, cum Baſilicâ ipſam attigit Curiam è regione ſitam. Id qvoqve ſingularem meretur obſervationem, qvod ex ipſa cathedrâ in qvâ Johannes ſedere conſvevit, flamma proruperit, ac ſpeciem arboris præ ſe ferens, ad tectum uſqve ſerpſerit, ſoliqve pepercerit ædiculæ, in qvâ vaſa ſacra erant repoſita, ne ſcil. obtrectatoribus ullus mendacii locus ſupereſſet, ac ſi diſcedens Johannes, pretioſæ ſupellectilis aliqvid aſportaſſet. *Ita* [notanter addit Dial. author] *ignis impetu in anteriora cohibito, retro ire incœpit, EORUM FERME INVIDIAM*

INQVIRENS, qvi ſcelus illud admiſerant, ad inſaniam Theophili perpetuo dedecore notandam. Templo autem igne conſumto, magis magisqve horridæ INVIDIÆ flamma deſæviit, igniqve illi affuſum oleum omninò effecit, ut durius atq; longinqvius exilium Chryſoſtomus ſortiretur, in puſillum ſcil. ac deſertum Armeniæ locum, nomine CUCUSON deportatus. Tantum vero abeſt, ut indies accreſcens graviſſimæ afflictionis calor, animum Exulis imperterritum ſit depaſtus, ut illuſtriorem multò reddiderit atqve eminentiorem Herois maximi virtutem. *Qvod enim AURO* [ita appoſitè ipſe ſcripſit Chryſoſt.] *cum IGNE ſæpe exploratur, accidit, hoc etiam aureis animis à tentationibus evenire ſolet; Ut enim flamma natura materiam illam, cum qvãdiu artis lex permittit, cum ea verſatur, longè ſplendidiorem ac puriorem reddit; eodem modo freqventium tentationum fornax, homines eos, qvi mente ad auri ſimilitudinem accedunt, auro qvovis præſtantiores ac longè ſplendidiores efficit.* Idq; adprimè in noſtro adimpletum fuiſſe eventus docuit; en verba ejus aurea ad Theodoram: *Confecti atqve conſumpti ſum⁹:*

Chryſ. ep. CVII. qvæ extat Tom. IV. opp. edit. Pariſ. Fr. Ducæi.

„ *Sexcenta mortis genera oppetiimus - - - con-*
„ *tinuis nimirum febribus dejecti & conſterna-*
„ *ti, qvibus cum tenerer, dies noctesqve iter fa-*
„ *cere cogebar, ſic videlicet ut & æſtu opprime-*
„ *rer, & vigiliis conficerer, & rerum neceſſari-*

Idem Epiſt. CXX.

arum

arum penuria, eorumqve qvi mei curam ge- ,, *rere poſſent inopiâ perditè conflictarer, ſiqvi-* ,, *dem iis qvi ad metalla damnati ſunt, & in* ,, *vinculis tenentur, graviora & atrociora per-* ,, *tulimus, atq; etiamnum perferimus.* Qva- ,, lem verò inde ſplendorem ſit conſecutus, ,, ipſe qvoqve indicavit in epiſtola ad Olym- ,, piadem: *Fortaſſe hâc de causâ DEUS lon-* ,, *giora curſuum ſpatia nobis proponi voluit, ut* ,, *SPLENDIDIORES CORONAS conſe-* ,, *qvamur. Qvid igitur ob ea in dolore verſaris?* pauloqve poſt prolixè commemorans eas, qvas in tranſitu Cæſareenſi, accepit injurias; *Hæ mihi* (inqvit) *ſunt qvæſtus occaſiones, hæ meæ opes, hæc ſcelerum meorum conſumptio, dum per hujuſmodi tentationes ſine ulla intermiſſione gradior, in easqve ab iis inducor, à qvibus minimè expectabam.*

Idem Epiſt. XIV ad Olympiad.

XIII. Juvat deniqve ex ipſiusmet Chryſoſtomi indicio cognoſcere, qvâ ratione Cucuſum ſit delatus, qvæ item rerum ejus ibidem facies fuerit: Tandem aliqvando ,, [ait] reſpiravimus, unde etiã has literas ſcri- ,, bimus; Tandem aliqvando à fumo & va- ,, riis eorum malorum qvæ nos in via invaſe- ,, runt, nebulis lucem cõſpeximus --- Tri- ,, ginta enim propemodum dies, aut etiam ,, amplius, cum acerbiſſimis febribus colluctari ,, non deſtiti, atqve ita longum hoc & mo-

„ leſtũ iter agebã;aliiſq; item graviſſimis ſto-
„machi morbis obſeſſ⁹ -- at nunc omnia hæc
„ evanuerunt. Ut enim Cucuſum venimus,
„ tum morbum omnem,unà cum reliqviis ab-
„ jecimus, integerrimaqve valetudine frui-
„ mur,qvia rerum qvoq; neceſſariarum copia
„ nobis undiqve affluit (omnibus nimirum
„ ſumma cum benevolentia nos excipienti-
„ bus,) etiamſi alioqvi deſertiſſimus hic lo-
„ cus ſit. At caſu qvodam Dominus meus
„ Dioſcorus hic erat, qvi etiam famulum de-
„ ditâ opera Cæſaream miſit rogatum atqve
„ obſecratum, ne domui ſuæ alteram antefer-
„ rem. Aliiqve item plures idem fecerunt,
„ verum hanc aliis præferendam neceſſario
„ mihi exiſtimavi, itaqve apud eum diverti-
„ mus. Atqve ipſe nobis qvidvis eſt, ita ut ob
„ ingentem ipſi⁹ liberalitatem & largitatem,
„ qvâ erga nos uti cupit,perpetuò cum eo ex-
„ poſtulemus. Qvippe noſtrâ cauſa etiam
„ ex ædibus ſuis in villam migravit, ut nos
„ omni officij genere complecteretur. Atqve
„ inſuper domum nobis ad tolerandam hye-
„ mem idoneam extruit, pro eaqve re nihil
„ non agit ac molitur,deniqve nullum omni-
„ no officii erga nos genus ab eo prætermiſ-
„ ſum eſt. Ad hæc,pleriqve alii procurato-
„ res & rerum adminiſtratores, Dominis id
„ ipſis per literas imperantibus, ſubinde huc
„ accedunt,parati qvâvis ratione nos reficere
ac

Digitized by Google

„ ac recreare. Hæc autem idcircò comme-
„ moravi; atqve alia, h. e. priora deflevi, alia
„ autem, hoc eſt læta & jucunda tibi expoſui,
„ ut ne qvis temerè hinc nos emoveat. Nam
„ ſi ii qvi nos beneficio afficere cupiunt, ar-
„ bitrii hoc noſtri faciant, ut qvo loco veli-
„ mus nobis eſſe liceat, nec rurſum nobis al-
„ terum locum arbitratu libitoqve ſuo aſſig-
„ naturi ſint, hoc beneficium accipe. Sin
„ autem nos hinc amotos in alterum locum
„ ablegaturi ſunt, nobis rurſum iter ſubire, ac
„ peregrinari neceſſe eſt, mihi ſane hoc longè
„ gravi⁹ acerbiusq; fuerit. Primum enim illud
„ metuendum eſt, ne nos in longinqviorem
„ aut in aſperiorem locũ ducant. Deinde iti-
„ neris moleſtiam ſexcentis exiliis graviorem
„ eſſe duco, ſiqvidem peregrinationis hujus
„ difficultas, ad ipſas mortis portas nos detu-
„ lit, nuncqve Cucuſi degentes, perpetua ſeſ-
„ ſione ac qviete noſmet recreamus, at-
„ qve coortæ nobis in tam diuturno tempo-
„ re ærumnæ, confractiſqve noſtris oſſibus &
„ fatigatæ carni, qvietis ope ac ſubſidio me-
„ demur. Hactenus ipſe ad Olympiad. ſan-
ctiſſimus exul, qvi de eâdem, qvæ ſibi Cucuſi obtigit felicitate epiſt. CLXXIII *Ego enim* [ſcribit] *via omni tranqvillè ac tutò decurſa Cucuſi dego, loci qvietem atqve otium pro delitiis habens, atqve ingentem omnium obſervantiam & benevolentiam obtinens.* Idemqve

 epiſt.

epiſt. CXIV. ad Elpidium, & CXXXIV. ad Diog. de Cucuſi ſui jucunditate commemoravit. QVo ex loco etiam incomparabilem ad Cyriacum Epiſcopum, ad exulem exul epiſtolam exaravit, ubi qvis animus ſibi Conſtantinopoli diſcedenti fuerit, non ſine legentium ſtupore prodidit: *Nam nec ego* (ſcribit ibid.) *cum civitate pellerer, qvicqvam horum curabam, verum mecum ipſe ita loqvebar: Siqvidem vult Regina me exulem, agat in exilium, Domini eſt terra & plenitudo ejus. Et ſi vult ſecare, ſecet, idem paſſus eſt Eſaias, ſi vult in pelagus mittere, Jonæ recordabor: ſi vult in fornacem conjicere, tres pueros habeo, qvi eodem ſupplicio ſunt affecti: Si feris objicere, Danielis in lacum Leonibus objecti recordabor. Si me lapidare vult, lapidet me; Stephanum habeo primum Martyrem ſocium: Si & caput tollere vult, tollat, habeo ſocium Johannem Baptiſtam. Si & ſubſtantiam aufferre, auferat. Nudus exivi de utero matris meæ, nudus etiam abibo. &c.* Tandem in eâdem epiſtola egregiè ſibi accommodavit verba Sapientis c. V. ita ſcribentis: *Tunc ſtabit Juſtus in magna fiducia adverſus eos, qvi ſe anguſtiaverunt. - -* Tunc qvilibet Martyr tyrannum ſuum agnoſcet, atqve item qvilibet tyrannus martyrem eum, qvem cruciatu affecit. Tota apprimè legi meretur ad exulem Cyriacum epiſtola, è cujus ferè ſingulis apicibus mira elucet patien-

Extat ea Tom. V. opp. edit. Baſ. pag. 964.

tientia, ſtupendaqve Chryſoſtomi erga hoſtes ſuos charitas, nec non gregis, Paſtore orbati intenſiſſimus amor, cujus illuſtre etiam documentum dedit in ep. CCXXI. ad Conſtant. Presbyterum: *Scribe igitur nobis, quot anno qvolibet ædificatæ ſint Eccleſiæ, qvi Viri ſancti in Phœniciam commigrarint, & ſi qua majora acceſſerint incrementa.* „ Qvid, qvod in Cucuſo ſuo deſertiſſimo, ampliſſimam condiderit Eccleſiam, alios atqve alios doctrina ſua ad evangelicam philoſophiam pertrahendo, Armeniæqve pauperes non tam frumento, qvam verbo ſalvifico ſuſtentando. Nec enim aliud poterat lucerna Spiritus Sancti igne accenſa, qvam ardere & lucere. Hinc verò acrius (proh ſcelus!) exarſit INVIDIÆ flamma, ſcil. cum Viri gloriam ipſis afflictionibus augeri æmuli vidiſſent, ac propemodum Antiochenam Eccleſiam in Armeniam demigraſſe, nec minus rerum in Armeniâ præclarè à Chryſoſtomo geſtarum, gloriam Antiochiæ prædicari accepiſſent.

XIV. Lividorum itaqve Symmyſtarum malignitate effectum eſt, ut Cucuſo Arabiſſum ille ſit deportatus, id ſingulari ſtudio (qvi eum transferebant) agentibus, ut tenuioris valetudinis homo, itineris moleſtiis extingveretur. Verum ibi qvoqve illuſtria comparuêre virtutis Johanneæ indicia; excitati

tati velut ex profundo ignorantiæ & neqvitia ſomno, in tota regione circumjacente barbari, & divini ſermonis radiis haud illibenter ſunt colluſtrati. Qvo ſe denuò verterent Clerici invidiâ æſtuantes? *Gravis enim* (verba adſcribo notatu digniſſima Palladii,) *eis erat, non modo in his, qvæ putantur felicitates, verum multò magis in calamitatibus ipſis. Erant enim ignaviter affecti erga tentationum naturam, divini ad Apoſtolum oraculi immemores, cum in preſſuris eſſet, ſufficit tibi gratia mea, virtus enim mea in infirmitate perficitur.* - - - *Jam vita illos* (invidos ſcil. Clericos) *tædebat, hujuſmodi rumoribus non ſecus qvam flagris cruciatos; EST ENIM EA* [NB.] *INVIDIÆ NATURA, UT EOS QVOS INVASERIT, SEMPER EXAGITET*; qvapropter miraculo perculſi qvidam adverſæ factionis Epiſcopi: *Videte* (ajebant) *mortuum terribilem, vivos victoresq; pavefacientem! non ſecus ac parvulos larvæ deterrent; Papæ! Seculares poteſtates, Eccleſiaſticasqve opes amicti, cum ipſa poteſtate ſua & Principatu ſacerdotem ſolum, civitate privatum, infirmum carne, exulem trepidantes, metum pallore teſtantur.* Ut proin meritiſſimo jure invictus Heros epiſt. XIV. ad Olymp. ſcribere potuerit: καὶ τὸν ΦΘΟΝΟΝ, τὸν ἐλάσαντα ἡμᾶς ἀπὸ Κωνϛαντινουπόλεως, ὐδὲ ἐνταῦθα ἡμῶν ἀποϛῆναι. *NEC EA QVÆ NOS CONSTAN-*

STANTINOPOLI PEPULIT INVIDIA, HIC QVOQVE à NOBIS ABSCESSIT. Extremum autem ſerpentini Livoris morſum accepit Chryſoſtomus, cum reſcripto Cæſareo (Clero apprimè efflagitante) moniti milites, eum in anguſtiſſimum locum abduxiſſent, unde non liceret prodire, PITYUNTEM vocant, ubi fines ſunt Ponti Imperiiq; Romani, regionem ſc. crudeliſſimis barbaris finitimam. Noviſſimam hanc calamitatem animo (æqve ut cæteras) intrepido Johannes pertulit, atq; moleſtiſſimo itineri [in qvo maximis ipſorum monachorum & Clericorum injuriis patuit *] haud invitus ſeſe accinxit. Jamq;

* Repente [ita ad Olympiad. epiſt. XIV, ſcribit Chryſ.] ſub auroram cohors monachorum ad domum in qva eramus acceſſerunt, eam incenſuros, nobisqve extrema qvæqve mala illaturos minitantes, niſi abſcederemus. Ac nec Iſaurorum metus, nec morbus tam vehementer nos premens, nec aliud qvicqvam humaniores eos ac moderatiores effecit :; Verum inſtabant atqve urgebant, tantum furorem ſpirantes, ut etiam ipſi prætores metu afficerentur. Nam ipſis plagas denunciabant: eoqve nomine gloriabantur, qvod multos prætores fœde verberaſſēt. His verbis auditis prætores ad nos confugerunt, meqve rogarunt, atq; obſecrarunt, ut etiamſi in Iſaurorum manus nobis veniendum eſſet, tamen eos his belluis liberarem. Qvod cum ad urbis præfectum allatum eſſet, ipſe qvoqve domum ut nobis opitularetur accurit. Verum ne ipſius qvoqve precibus monachi permoti ſunt, ſed ipſe qvoqve clan-

elanguit. Cum igitur nullum rei exitum perſpiceret, nec nobis ad perſpicuam cædem exeundi author eſſet, nec rurſus ob tantum illorũ furorem intra urbem ut maneremus ſvadere auderet, ad Pharetrium miſit, precibus ab eo contendens, ut tum ob morbum qvo conflictabar, tum ob impendens periculum, paucos aliqvot dies nobis concederet, nec tamẽ hinc qvicqvam profectum eſt. Imò acriori etiam poſtridie impetu affuerunt; nec Presbyterorum ullus opem atqve auxilium nobis ferre audebat.: verum pudore ſuffuſi ac rubore affecti [nam hæc de Pharetrii voluntate & ſententia fieri dicebant] ſeſe abdebant & occultabant, nec cum à nobis accerſerentur obtemperabant. Qvid longa oratione opus eſt? qvamvis tot terrores imminerent, morsqve penè certa & ante oculos poſita eſſet, febrisqve me conficeret, (nec dum enim hic malis liberatus ſum) hora ipſa meridiana in lecticam me conjiciens, illinc exceſſi, univerſa plebe lamentante, ejulante, harũ rerũ authorem execrante, ac diris devovente, omnibusqve plorantibus ac lugentibus. Poſteaqvam autem ex urbe exceſſi; qvidam etiam Clerici venientes lento greſſu, ac mœſto & lugenti animo nos proſeqvebantur. Cumq; nonnulli dicerent: qvonam eum ad perſpicuam mortem abducitis? alter ex iis qvi nos plurimum amabant, ad me dicebat: Abi obſecro, in Iſauros etiam incide, modo nobis defungaris, nam qvocunq; incideris tutò incides, DUMMODO MANUS NOSTRAS [monachorum ſcilicet] EFFUGIAS. Hæc audiens ac perſpiciens egregia matrona Seleucia Domini mei Ruffini uxor [nam ea perqvam ſtudiosè atqve officiosè nos coluit] precibus mecum egit, ut in ipſius ſuburbanam villam, qvæ qvinq; paſſuũ millibus urbe diſtabat, hoſpitii cauſa me conferrem, certoſqve homines nobiſcum miſit, cum qvibus illuc profecti ſumus.

At

Googl

At ne illic qvidem hæ adverſum nos comparatæ inſidiæ finem habituræ erant. Ut enim Pharetrius hoc reſcivit, multas ipſi ut dicebat minas intentavit ---- poſtea media nocte, me nihil horum ſciente (acriter enim inſtabat Pharetrius, graves in eam, ut ait minas jactans, eamqve cogens atqve impellens, ut me etiam è villa ejiceret,) hominis importunitatem non ferens mulier, inſciente me barbaros adeſſe ſignificavit, qvod ſcilicet vim eam, qvam pateretur, dicere præ pudore minimè ſuſtineret. Atqve intempeſta nocte ingreſſus Evethius Presbyter, meqve è ſomno excitans, magno cum clamore hæc dicebat, ſurge obſecro, adventant barbari, nec longè abſunt. Hic tecum repures velim, qvonam animo eram cum hæc audirem ---- Nox illunis erat, nox media, caliginoſa, tetra, id qvod etiã nos in ſummam conſilii inopiam conijciebat. Metu tamen compulſus, ac jamjam mortem expectans, ærumnis confectus ſurrexi, lucernas accendi juſſi. Verum has qvoqve Presbyter extingvi juſſit, hac videlicet de cauſa, ut ipſe inqviebat, ne barbari lucis ſplendore exciti in nos impetum facerent. Extinctis itaqve lucernis, mulus qvi lecticam noſtram geſtabat [aſpera enim admodum & ardua ac petroſa via erat] in genu lapſus, me, qvi lectica incluſus eram, humi proſtravit, parumq; abfuit qvin interirem. Deinde exurgens tractim ambulabam, Evethio Presbytero, qvi etiam ipſe eqvo deſilierat, manibus me tenente. Atqve ita manuductus, vel ut rectius loqvar pertractus reptabam, neqve enim in tanta loci difficultate periculoſiſqve montibus, media nocte incedere poteram. Cogita qvæſo, qvid hic mihi animi eſſet, cum tantis malis conſtrictus tenerer, ac febris urgeret, nec eorum qvæ in me ſtructa fuerant qvicqvam noſſem, verum barbaros horrerem ac pertimeſcerẽ --- Harum autem

ıdem Comanæ appropinqvantes, in tem-
qvinqve aut ſex millibus paſſuum inde
ante conqvieverant. Ibi nocte Martyr
ſiliſcus, qvi Comanæ civitatis Epiſcopus,
m Luciano Antiochiæ Presbytero ſub Ma-
niano paſſus fuerat, Johanni apparuit, e-
nqve hunc in modum compellavit: *Confide
ater Johannes, cras enim ſimul erimus.* Qvin-
iò ejuſdem Eccleſiæ Presbytero Martyrem
pparuiſſe ferunt, atqve dixiſſe ſeqventia:
*rapara Johanni fratri locum, venturus eſt e-
im*: Qvo nuntio mirificè recreatus Chryſo-
omus, nihilqve de oraculo dubitans, poſtri-
diè rogavit milites, ut illic usqve ad horam
qvintam commorarentur, qvi tamen metu-
entes, ne refocillatus vires reciperet, ad iter
perurgebant. Verum cum jam ſtadia fermè
triginta peregiſſent, Johannem febribus con-
cuti conſpicientes, ad Templum unde diſceſ-
ſerant redierunt. Protinus ibi candida ve-
ſtimenta expetiit, ac velut Epiſcopum actu-
rus, iis ſeſe usqve ad pedes induit, inqve hæc
paulo ante obitum erupit verba: GLORIA
SIT DEO; qvo dicto beatiſſimum emiſit ſpi-
ritum, & pretioſâ in conſpectu Domini mor-
te vitam finiit. Corpuſculum honorificè
juxta Baſiliſcum in eâdem Eccleſia eſt condi-
tum, & Martyri junctus eſt Martyr. Aſt cum
eo defuncto, horribilis grando Conſtantino-
poli cecidiſſet, & qvatriduo poſt Byzantina
Jeza-

Jezabel, Eudoxia Auguſta, ad Tribunal divinum per triſtem mortis nuntium citaretur; Theodoſius Jun. Arcadii F. diademate Cæſareo redimitus, corpus Johannis inſigni pompa Conſtantinopolin deportandum, & honorificè curavit ſepeliendum, ubi ab univerſo populo, magno cum luctu Martyris exuviæ exceptæ, atqve commiſſorum erratorum venia publicè à DEO efflagitata. Neqve miretur qviſpiam, Johannem Chryſoſtomum bis à nobis vocatum fuiſſe Martyrem; ſiqvidem ipſe in epiſtolâ ad Epiſcopos & Presb. carcere ob pietatem incluſos, *martyrium eſſe ſcripſerit, non ſolum capite privari, ſed etiam atrociſſimas pati moleſtias*; cur illum appellare Martyrem verear, qvi tot injuriis, tot contumeliis, tot afflictionibus, nec ad impatientiam propelli, nec à propaganda chriſtiana pietate, ac intrepida voluntatis divinæ annunciatione, mundo licet & diabolo fremente, depelli unqvam potuit. Hinc etiam eruditiſſimus vit. ſcriptor Gallicus, D. MENARDUS, Iconi Johannis hoc elogium apponi curavit: SANCTUS JOHANNES CHRYSOSTOMUS, SPIRITU ELIAS, CHARITATIS AUDACIA JOHANNES ALTER, POST APOSTOLORUM TEMPORA VIR APOSTOLICUS, ET IN ECCLESIÆ PACE CONFESSOR ET MARTYR. Nonne verò luctuoſum, qvod id

Digitized by Google

præmii, pro tam præclaris in Eccleſiam meris, In Pace Ecclesiæ, per Epiſcopos orthodoxos, & ſub Imperat. Chriſtiano retulerit? nonne autem glorioſum, qvod Dominus famulum ſuum inter barbaros diutius vivere non ſit paſſus, ſed citò illum ad cœleſte bravium vocaverit, nec min⁹ qvod honorificam adeò reqviem ſit indeptus: Tanta enim [Pall. teſte] multitudo virginum, tantumqve monachorum & honeſtioris vitæ teſtimonio inſignium ex Syria Cilicia Ponto & Armenia agmen accurrit, ut putarent aliqvi ex condicto eos adveniſſe. Qvi verò in vivis cum tantopere exagitaverat Livor, poſt fata penitus conqvievit, ejuſqve loco meritus honos, per omnes gentes ac ſecula ſanctiſſimum Virum circumcinxit, ipſa lividorum turba poſt beatiſſimum obitum in laudes Viri Maximi conſurgente. Fruſtra viventis effaſcinabatur gloria, cujus defuncti ſplendeſcebat multiplicata, MALIGNA EVANUIT ÆMULATIO, ET IN EJUS LOCUM LAUS ÆTERNUM MANSURA SUCCESSIT.

COM-

COMMONEFACTIO XXII.

LIVOR PRÆCONUM MAGNANIMORUM CARNIFEX,

SIVE

HIERONYMI SAVONAROLÆ PRÆDICATORIS FERVENTISSIMI,

[ANNO cIↄ CCCCXCVIII. INVIDIA URGENTE, IN URBIS FLORENTINÆ FORO SUSPENSI ET COMBUSTI]

JUSTISSIMA DEFENSIO.

Ad Commentat. IV. num. V.

I.

QVanta utplurimum mala eos inſeqvantur, qvos ſociorum malevorum LIVOR ſupplantare laborat, poſt excuſſum [in qvartâ de Literatorum hominum INVIDIA Commentatione,] Viperæ illius ſeminarium, etiam HIERONYMI

SAVO-

VONAROLÆ caſu funeſto & tragico patu-
e notavimus [illegible]; ſiqvidé ferventiſſim'
e Præco, non modo acutiſſimis lingvarum
calamorum ſpiculis impetitus, verum li-
ore magis magisqve ſæviente, tormentis et-
m ſubjectus, deniqve ſuſpenſus, & in Urbis
LORENTISSIMÆ foro poſt necem fuerit com-
uſtus*. Qvantumvis verò de triſti hoc igne
ultivariæ ſcriptorum opiniones ac cenſuræ
eperiantur, [qvibuſdam ſcil. aſſerentibus,
on niſi inſignem HIERONYMI in dicendo fa-
cultatem ** obfirmatæ parrheſiæ ſociatam,
atro-

* De his qvæ geſta ſunt ipſo tempore mortis Hieronymi, deqve ſupplicii genere videnda cumprimis *Vitæ hiſtor.* à Joh. Fr. Pico Mirand. conſcripta, & ante ſexennium primum Pariſ. edita cap. 19. p. 89. nec non Thom. Peruſin. cap. 49. vit. Hieron. ubi legas ſeqventia : *Mox ut præceps à cruce dejectus, injecta reſti fuit Hieronymus, vivum adhuc ſpirantemqve flammis eum addicere parabat carnifex, & numellam in id ejus collo inijcere, ſed hæc ejus excidit manibus, atqve in ſubjectas eſt immiſſa paleas, & ſtupas igni paratas, qvam dum repetit & aptat, ſuffocatus & ſtrangulatus interim Hieronymus animam exhalavit.*

** *Tanta etenim* [teſte Nardo lib. 2. Hiſtor. Florent.] *dicendi facultate & felicitate Savonarola erat conſpicuus, ut è longinqvis urbibus illuſtriſſimi & freqventiſſimi ad eum audiendum convolarent, opus ut fuerit tunc, in ampliſſima qvantumvis Baſilica gradus circumcirca parietes in formam amphitheatri altiſſimos erigere, ad excipiendos auditores - - Extirpata inde publica, publicis edictis flagitia, exercitia pietatis varia introducta, freqventia Sacramentorum innovata, & ferè in ſanctitatis formam Florentia, ab illius concionibus & ſtudiis ferventiſſimis mutata.* Qvid, qvod cum plurimis aliis ipſe Marſilius Ficinus ad meliorem vitæ frugem à Savonarola ſit converſus: Ita enim ex MS. qvodam cod. diſertè Abr. Bzovius ad Ann. 1497. num. 7. *Sanè Marſilius Ficinus, audito Savonarola dixit, ſe hactenus neminem tam profunda doctrina vidiſſe, aut audiviſſe. Qvamobrem ab ejus ſermonibus converſus, reliqvum vitæ ſanctitati dedicavit, & pro Savonarola Apologeticum doctiſſimum ſcripſit &c.*

atroci flammæ fomitem ſubminiſtraſſe; aliis verò contendentibus, Savonarolam juſtiſſimas arrogantiæ, polypragmoſynes, & affectatæ ſanctitatis pœnas dediſſe; qvibuſdam deniqve ſtatuentibus, utrinqve peccatum fuiſ-

ſe, & Savonarolam æqve ac antagoniſtas
s gravioris culpæ notam incurriſſe; non
ter rem fuerit, ſollicitam in cauſæ illius
ita facere inqviſitionem, atqve docu-
ntis evidentioribus dare demonſtratum,
nniſi Livorem atratum Savonarolæ ma-
animi Carnificem extitiſſe, nec niſi
eudo- fratrum invidiâ urgente, decus illud
comparabile mundo ſurreptum & infami a-
ò ſupplicio extinctum fuiſſe. Et cum il-
ſtris adeò fuerit actus ille Florentino-Tra-
icus, ut pauci ætatis illius hiſtorici reperi-
ntur, qvi nullam omninò ejus fecerint men-
ionem, hinc ſollicitè admodum erit diſpici-
ndum, qvinam præ cæteris ad legitimam
cauſæ iſtius cognitionẽ teſtes ſint accerſendi.

II. Non eqvidem JOH. POGGIUM FLORENTINUM ad ferendum de HIER. SAVONAROLA calculum admittere poſſumus, cum infenſiſſimus Viri optimi adverſarius fuerit, iisdemq; qvorum vitia Savonarola reprehenderat addictiſſimus, cumprimis Alexandro VI. Pontifici, qvi acriores fervidi iſtius præconis conciones non ſolum tulit ægerrimè, verum dirum etiam excommunicationis fulmẽ in eundem duxit evibrandum. *Impedit qvippe* (dicente Origene) *affectus ira rectum judicium, qvando nihil ordinatum habet odium.* Alexandri autem in Savon. indignatio, cum plurimorum ſcriptorum calamis

lamis ſit divulgata, ejuſdemqve ingenium, & ſolitum erga oblocutores affectum ne ipſe qvidem Onuphrius Panvinius diſſimularit, dicendo; *Breviſſimum maledictum tunc pœnâ mortis expiandum fuiſſe*; nemo eqvidem prudentiorum, clientem humilimum & devotiſſimum Alexandri, tantumq; non intimum ej⁹ conſiliarium, JOHANNEM nimirum POGGIUM FLORENTINUM ad calculum de Hieronymo ferendum admittet, aut latæ ab infenſiſſimo hoſte ſententiæ ſubſcribet. Diſertis eqvidem verbis Poggius ille, libelli adverſus *Fr. Hieronymum* (ut inſcriptio ſonat) *Hæreſiarcham* editi initio fatetur, ſe Apoſtolicæ ſedi devotiſſimum, h. e. Alexandri VI. qvi Savonarolam damnaverat, ſubjectiſſimum clientem fuiſſe; Pontificis ſcil. qvi in peculari ad Franc. Appulum epiſtola * Hieronymum ſummæ impietatis accuſare non dubitavit. Qvi

* Alexan. VI. Papa in epiſt. ad Fr. Franciſcum Appulum Ord. Minor. qvi prædicabat contra Hieron. Savonarolam: Intelleximus qvanto fervore & juſtitia pro veritate, proqve noſtro & hujus S. ſedis honore nuper prædicaveris verbum in civitate iſta Florentia adverſus falſum & pernicioſum dogma iniqvitatis filii Fr. Hier. Savonarolæ, qvi pridem ſuis demeritis excommunicatus, auſu ſacrilego qvamplurima ſcandaloſa & hære-
ſim

ſim ſapientia tam diu diſſeminare publicè non expavit, feciſti profectò opus meritorium, & maxima laude dignum, ac qvale religioſum ac Catholicum virum decebat, qvod nobis ac toti ſacrorum & venerabilium fratrum noſtrorũ, Sanctæ R. Eccleſiæ Cardinalium collegio mirificè placuit, de qvo devotionem tuam in Domino plurimum commendamus.

Qvi obſecro potuiſſet ſalvo honore & commodo temporali cliens iſte ſuo deeſſet patrono, aut evibratæ in Virum innocentiſſimum cenſuræ vel tantillum reluctari? Cæterum horrenda utiqve & acerbiſſima ea ſunt, qvæ Johannes ille Poggius, in memorati libelli [contra Hieronymum anno 1498. editi] ſecundo capite ad denigrandum Savonarolam, deterrimi livoris & maledicentię infrunitæ œſtro percitus eructavit: *Superioribus* (ait) *annis cum Florentiam neſcio qvo malo illius omine applicuiſſes, in divi Marci conventum divertiſti, ibiqve tuo aſtu, tuaqve hypocriſi multorum tibi benevolentiam prius concilians, eorum interceſſione effeciſti, ut conventus nonnulli à congregatione Lombardia disjungerentur, ad ar-*

ctioremqve diſciplinam ducerentur. Et ejusdem libri cap. 10. *Qvid aliud qvam hæreticus es cenſendus, Chriſtiq; hoſtis acerrimus, videris ergo contra charitatem peccaſſe; charitas enim juxta Apoſtolum, non agit perperam &c.* Nec minus cap. 12. idem Poggius; *Eregia ſanè laus* ſcribit, *ac digna qvæ poſterorum memoriæ demandetur, factum te ex propugnatore fidei, hæreſiarcham & diſſidiorum ſatorem. Noli obſecro in tantum ſuperbire, ut cæteris te ſapientiorem ſanctioremq; exiſtimes, neq; tibi tantum tribuas; ſæpe enim angelus ſatana in angelum lucis ſe transformat, variasqve ac multiplices inſidias tendit, diverſaqve mortalibus decipula ſtruit, evaſu perdifficilia. Qvid prodeſt tibi jejunium, qvid oratio, qvid caſtitas, ſi obedientiæ humilitatisqve vinculum contemnatur, ſine qva ut ait Ambroſius alicubi veniam ſperare non licet?* Ultimo deniqve ejusd. lib. cap. Savonarolam Poggius *infidelem, infamemqve Apoſtatam ac ſchiſmaticum appellare non dubitavit.*

III. Abſit igitur, ut ad ferendum de Savonarola calculum, ſcriptorem admittamus in-

infrunitum adeò & maledicum : Non eſt profectò hominis ingenui tam fœdis rem agere impoſturis, & graviſſimorum criminum accuſare Virum nullâ non virtutis & probitatis laude conſpicuum. Monſtrum peperit infelix ille alaſtor, poſtqvam cum ignorantia recti, invidiâ, & ſuſpicione malæ mentis ſororibus ſeſe commiſcuiſſet. Si ullus unqvam à pernicioſiſſimâ ambitionis peſte abhorruit, Hieronymus profectò eandem toto pectore fuit deteſtatus, tantum abeſt, ut pro arbitrio ſuo omnia diſponere, inqve cunctos dominatũ qvendam exercere ſategerit. Triſtis ævi illius experientia providũ Præconem abundè docuit, qvanta mala infrunitum Religioſorum hominum ambitum excipere ſoleant, qvantæq; miſeriæ aleam Clerici ſuperciliosi ſubire cogantur. Hinc modicis contentus, ac modeſtè & inter inferiora verſari maluit, qvam ut Aqvila arduo volatu nubes verberare, & inter eas vaneſcere. Obmuteſcat igitur Poggius mendaciſſimus, nec qvicqvam in cauſa Hieronymi nobis deinceps negotii faceſſat. Veritati magis conſentanea ſcripsêre Triumviri ætatis ejuſce celebratiſſimi; PHILIPPUS COMINÆUS, (a) FRANCISCUS GVICCIARDINUS, (b) & PAULUS JOVIUS (c): † Non ex Sammarthani (d) adeò

(a) *Phil. Com. lib. III. & V. de Bello Neapolitano.*
b) *Gvicciard. Hiſtoriar. lib. III.*
(c) *Paulus Jovius lib. I. de vit. Leon. X.*
(d) *Sammarth. in Gall. illuſtr. elog.*

† *Præter hos ſcriptores, etiam Sabellicus Ennead.*

ad. X. l. 9. Ferronus lib. II. Rerum Francicarum, Matthæus Toſcanus in illuſtribus Viris Italiæ, aliiqve hiſtorici apertè cauſam Savonarolæ defenderunt. Nec minus Marcus Antonius Flaminius elegans ipſi epitaphium ſcripſit, in qvâ religionem ſic introducit loqventem:

- - - Crudeles parcite flammæ,
Parcite iſto viſcera noſtra rogo. &c.

deò commendatione, qvam univerſi Orbis eruditi conſenſu conſtat, Cominæum *hiſtoriam ſuam magna qvidem ſtyli ſimplicitate, ſed nec minori puritate, & qvod in rerum ſcriptore ſummum eſt, ſingulari apud omnes fidei & veritatis opinione conſcripſiſſe*; Sed & Gvicciardinum cum Jovio conſimilis gloriæ ornamentis donandos eſſe fatebitur, qviſqvis eorũ monumenta [poſteritati tranſmiſſa] penitius introſpexit, & doctorum Virorum de iiſdem calculos honorificos habet exploratos. Qvid, qvod *in æterno Literatorum conſilio ſancitum eſſe* ſcripſerit Joh. Imperialis, *ut ſicuti Jovius in hiſtorica factorum narratione præſtat, & Gvicciardinus in detegendis conſiliorum omnium actionumqve cauſis; ita (COMINÆUS in dirigendis ad civilem prudentiam animis ſingulari qvodam ingenii bono præcellat.* Dubium itaqve nullum eſt, qvin lectiſſima illa hiſtoricorum triga, veritati omninò conſentanea ſcripſerit, dum magna qvæqve & egregia

Johan. Imper. Muſ. hiſtor. fol. 30.

gia Savonarolæ duxit tribuenda, nimirum gnem vitæ integritatem, parrheſiam ra-, celebrem deniqve concionandi faculta-, ſanctitati morum exaſciatæ copulatam. autē PHILIPPUS COMINÆ⁹ lib. 3. Belli apolit. *Erat* ſcribit, *in ea Urbe* (*Florenti-*) *Dominicanus qvidam Hieronymus, Vir in-errimæ vitæ, ut pleriqve omnes prædicabant. multò ante prædixerat, Galliæ Regem eſſe nturum cum exercitu, & excitatum à DEO, Italiæ tyrannos mulctaret, ideoqve fieri non ſſe ut ei reſiſteretur.* Et rurſus: *Supra dixi de Hieronymo, qvi Florentinis inter alia multa ronunciaverat, etiam de Regis adventu, qvem xcitatum eſſe dicebat à DEO, ut per vim & rma ſtatum Eccleſiæ emendaret, ac ſimul Ita-iæ tyrannos mulctaret, & qvoniam divinitus a ſibi demonſtrata eſſe dicebat, in plurimorum ncurrit reprehenſionem. Pontifex etiam Romanus, & Florentiæ complures, cœperunt eum graviter ódiſſe. Moribus erat inculpatis, qvantum qvidem perſpici poterat, & docendo multos ad ſanitatem vitaqve emendationem perduxit. Fore etiam dixerat, ut Rex in Italiam reverteretur, & negotium ſibi commiſſum à DEO perficeret: niſi faciat, impendere illi graviſſimas pœnas. Hæ illius conciones typis excuſæ proſtant, & Regem etiam ſcriptis literis de eo commonuit. Sed qvo tempore è vita Rex deceſſit, Florentini graviter inter ſe diſſidebant,*

Comin. lib. III. Bell. Neapol.

Idem lib. V. Bell. Neapol.

in Pontificem, inq́; corruptos Rom. Eccleſiæ *ores, præcipuè ex* occaſione *Cardin. Va-* *ntini, qvi flagitiorum vitiorumqve omnium* *inceps habebatur, eſſet invectus, ejus juſſu* *um duobus ſociis, in foro ejus urbis publicè fuit* *mbuſtus.* Conf. Marianam lib. XXVII. c. 2. & Ferronium in Lud. XII. Nec minus egre-gia *Paulus Jovius* de Hieronymo tradidit; ſcil. eum excellenti doctrinâ, ac vitæ conti-nentiâ, & honeſtate facundiâqve incredibili conſpicuum fuiſſe, nec non ſingularis ſancti-mōiæ, virtutisq; nomine animis Florentino-rum imperitaſſe; ſed commutatione populi ex diſſidiis factâ, ſubito concurſu multitudi-nis, ſenatuſqve decreto, omnibus contume-liis & cruciatibus affectū, ac tandem damna-tū, & in area curiæ fœdiſſimo ſupplicio con-crematum, miſerabile & fortaſſe indignum tanta virtute, incerto, leviqve populo ſpecta-culum præbuiſſe; *Oppugnarat enim liberiore cenſura è ſuggeſtu Alex. Pont. actiones, qvum ante etiam ejus diras in ſe prolatas, non omninò metuendas eſſe pronunciaſſet.* Et qvamvis non ab omni prorſus humanâ labe Hieronymum laudati hiſtorici abſolverint, nec cauſas diſ-ſimularint, propter qvas Vir optimus eam in-curreret tempeſtatem, ex eorum tamen indi-cio abundè ſatis conſtat, præcipuos Tragœ-diæ illius architectos, pſeudo-fratres lividos, Clericosqve pudendæ indignationis œſtro percitos extitiſſe,

IV. Nec

IV. Nec minus id ipſum clariſſimè demonſtratum dedit inſignis ævi ejuſce ſcriptor, JOHANNES FRANCISCUS PICUS MIRANDULA, poſtqvam cuncta cauſæ iſtius merita & demerita ad veritatis amuſſim examinaſſet, & extra omnem ſpem metumqve poſitus, nudæ litare ſtatuiſſet & ſinceriſſimæ veritati; eo qvidem opere, qvod PRO HIERONYMI SAVONAROLÆ Viri (ut inſcriptio habet) PROPHETÆ INNOCENTIA evulgavit, qvove præclarè admodum oſtendit, Prædicatorem illum ingenuum ab omni impactâ labe alieniſſimum vixiſſe, nec niſi malevolorum livore excommunicatum, ſuſpenſum, deniqve poſt necem in cineres atqve favillas redactum fuiſſe. *Duos* [ait ipſe in operis prooemio] *libros inſtitui. Primò generalia qvedam explicabuntur, qvorum ope multifariè qvam facile muniti, ſecundo de hinc ſimus declaraturi, eum neqve culpa, neqve crimini confinem &c.* En tibi Anagnoſta candide ex opere illo, cæterisqve Pici lucubrationibus evidentiora qvædam teſtimonia veritatis, & innocentiæ Savonarolianæ exaſciata documenta, qvibus evidentiſſimè appareat, qvam indignæ necis aleam Vir pio zelo ferventiſſimus ſubierit, qvamqve perverſa de illo opprimendo conſilia pſeudo-Clerici Florentini agitarint.

JOHAN.

…HAN. FR. PICUS MIRANDULA in Prooemio Librr. de Morte CHRISTI, ad Hieron. Savonarolam ſcripto:

AD Te ventum eſt Pater optime; uti ad eum qvo adhuc (faceſſat adulatio & ſit invidia verbo) & doctiorem ſimul & …udentiorem & moribus ſanctiorem co…novi neminem. Qvibus ſi propheticum …ddidero ſpiritum, qvo præditus calamita…es futuras, qvæ jam impendunt, jam im…minent; divino juſſu auribus Italiæ, atqve …tinam non ſurdis inſonuiſti, extra omnem …uerit controverſiam, ſi qvid tuis precibus diffidam me magnopere aberrare, librum igitur hunc noſtrum eo animo qvo nos ſoles ſuſcipe, &c. Idem in Defenſione Hier. Savonar. ſive de injuſta ejus excommonicatione ad Hercul. Æſtenſem Lib. II. cap. ult. *Nihil profecto in ejus (Hieron. Savon.) vita qvod à probata illa qvam profeſſus eſt vivendi norma deliret: nihil in doctrina præter veritatem fidei, puritatem chriſtiani ritus, rerum futurarum prænotiones; qvæ adeò conſtanter tenet,*

prædicat & aſſeverat, ut ipſa Roma Italiaq́; penè univerſa ab incœpto illum revocare procurans, neqvicqvam laboraverit; eundemq́; ſæpenumero aggreſſa, modo cæſim truncare, modo punctim confodere viribus caſſæ fuerint. Unde cerni niſi exoculatis, datum eſt, hunc DEI miniſtrũ eſſe, rerum futurarum præconem, chriſtianæ fidei & promulgatorem & propagatorem, eorumqve omnium qvi ad ſupernam Hieruſalem ſuſpirant peritiſſimum Ducem. Idem in Defenſione Savonarolæ adverſus Samuelem Caſſinenſem ſub init. *Exardet Hieronymus magnopere Chriſti amore, cupiens abuſus, qvibus magna Chriſtianorum pars hallucinatur eliminari: & hanc unam ex cauſis eſſe crediderim, cur DEUS ad prædicendum imminens Italiæ flagellum eundem elegerit.* Idem contra ejusdem Capitulum XI. & ult. *Porrò homines honeſtè viventes ipſius doctrinam ſeqvuntur, qvæ vetus eſt, non nova, nec ab ipſo (niſi ſicuti à divino inſtrumento) manifeſtata: Evangelium eſt illius doctrina; & qvanqvam prædictiones & prophetiæ novæ, veteribus tamen*

en miro modo conformes. Sed jam plura vam inſtitueramus mi Hieronyme, neqve nim tam longè evagari conſilium fuerat, um me ad hoc officii compulerunt, & veriatis compertæ amor, & in VIRUM PROBUM conflatæ calumniæ, cum papicolis videretur ſeditionem movere, rebus civilibus ſeſe immiſcere, dignitatem Pontificiam ſusqve deqve habere, Concilium generale meditari, qvidqvid de rebus futuris pronuntiaſſet, à Senatoribus amicis ſuis accipere; concitato tumultu eum comprehenſum & tormentis ſubjectum, ſuſpenſumqve combuſſerunt, cum paulò ante ſocius ejus Dominicus, doctrinam ſuam innocuo per ignem tranſitu probare præſumſiſſet, & ad idem faciendum alium monachum provocaſſet. Lege Phil. Cominæum Lib. III. & V. de Bello Neapol. qvi eum moribus inculpatis fuiſſe, & docendo multos ad ſanitatem vitæq; emendationem perduxiſſe dicit. Nec tamen metu illorum, ſub qvibus omnia Mundi Regna erant, ſumere ſibi partes, illum aut accuſandi aut purgandi auſus eſt, nec judicare voluit, rectè an perperam ſit damnatus. Hoc

unum

unum tamen inqvit affirmare poſſum, multa illum verè prædixiſſe, de qvibus nemo mortalium potuiſſet eum admonere. Nam & Regi prædixit, fore, ut extincto filio ipſe qvoqve non diu ſupereſſet.

V. Et qvem obliqvâ hactenus facie Picus obtutui noſtro expoſuit HIERONYMUM, eundē integrâ tandem fronte repræſentavit, nec veris ſolum nativiſqve lineis atqve luminibus ſplendidum, ſed fuſcis etiam INVIDIÆ malignantis coloribus atq; pigmentis obumbratū oſtendit in libro, qvē de *vitâ Savonarolæ* curâ inſigni conſcripſit, qvemq; poſt tot añorum decurſa tempora eruditus qvidam Gallus ante qvinqvennium primum lucis uſurâ donavit * unâ cum *actis & inſtrumentis variis, epiſtolis item, diplomatibus, apologiis, ſcriptorumqve aliorum monumentis.* Surrexit eqvidem (evulgato inſigni illo opere) dudum preſſa veritas, priſtinoqve nitori ſuo reſtituta fuit Hieronymi innocentia, *qvam LIVOR & odium* (ut ſcite editor fuit præfatus) *tot fœdis convitiis aſperſit & inqvinavit; tot men-*

Confer Præfat. vit. Savonar.

* *Prodiit vita Savonar. authore Joh. Fr. Pico Mirand. Com. notis accurata, variiſqve Principū & Dynaſtarū ſtem̄atibus, additionibus inſuper, actis, diplomatibus, epiſtolis, ſcriptorumqve monumentis aucta & illuſtrata Pariſ. 1674. in 12. conf. Ephemerides erudit. d. 20. Jan. 1676.*

ndaciorum fucis illinivit adulteravitqve. ,inimò ſole meridiano clarius inde eluceſ-, qvam iniqvè, qvam atrociter, & indignè m Savonarolâ actũ ſit ab adverſariis, imò ſis judicibus corruptiſſimis, qvi licet acto-s fuerint, ſententiam tamen ferre minimè rubuêre, nec tortorũ in eum ſævitiam & im-nanitatem implere horruerunt. Cauſam am indignæ necis ſi exqviras, non aliam um ex laudati Mirandulæ hiſtoria, tum adne-o eidem inſigni apparatu documentorum licias, niſi odium perverſorum, furenti no-cendi voluntati, & pudendæ vindictæ pruri-gini ſociatum. Egebat apprimè tunc tem-poris Florentina civitas purgatorio iſto ſale, qvando nullus hominum ſtatus, nullus ordo, ſexus nullus non ſordeſceret ſceleribus con-taminatus; *Neqve pauci* [Bzovio ſcribente] *erant, qvi de immortalitate animorum nihil planè credentes, Epicuri vitam ducebant.* Qvid, qvod tanta infamia urbs illa tunc laborarit, ut ejus temporis ſcriptores diſertè ſint conte-ſtati, NEQVITIAM OMNEM, ET VITÆ TURPITUDINEM Laurentio Mediceo rem-publicam gerente inibi hæſiſſe: Ita ad ver-bum Joh. Mich. Brutus hiſtoriæ Florentinæ haud obſcurus ſcriptor; *Reſtinctam* (addit idem) *bellici incendii flammam repente obliti Florentini, ut fit in rebus ſecundis, qvanto de-functi eſſent periculo, ex nimio otio, atqve ani-*

Abrah. Bzovius ad A. C. 1492. Annal. To. XVIII fol. 362.

Johan. Mich. Brutus, Hiſtor. Floren. lib. V.

mi

mi ſecuritate, ad inertiam & deſidiam converſis animis, ut nunqvam antea majorum memoria, ad OMNIA VITIA, qvæ turpia magis & deteſtabilia ſunt in hominum vita, intoleranda, atqve infinita licentiâ aditum ſibi aperuerunt - - Qverebantur, grandes natu homines, temporum vitio commutata facie rerum, in qvâ civitate ſumma cum laude majorum, parſimonia victus, & moderatio viguiſſet, in ea ipſa qvas res privatorum ambitio, & mollitia animi oſtentaret, luxum, illecebras, mollitiem, corruptelas, neqvitiam omnem, & vitæ turpitudinem hæſiſſe. Itaqve qvorum majores multis laboribus ferendis, virtute, abſtinentia, probitate excolendâ civitatem florentiſſimam feciſſent, eos, tanqvam pudore amiſſo, jam, qvod deperderent, nihil reliqvi haberent: fœdiſſimis voluptatibus diffluentes, vino, alea, luxuria perditos, turpiſſimis amoribus, atqve intempeſtivis convitiis addictos, nullis non flagitiis coopertos & ſceleribus conſpici. In legum & judiciorum contemptione poſitam ſummam impunitatem; in audacia, & temeritate fortitudinis laudem; facilitatis in animi remiſſione, atqve indulgentiâ; in maledicentia & dicacitate, commoditatis & elegantiæ; omnia langvidè, diſſolute & molliter agi, ac per ſummam ignaviam & inertiam &c.

VI. Hactenus Brutus de Florentinorum moribus; qvos cum Savonarola zelo pio fer-

ven-

ntiſſimus, prout par erat duxiſſet caſtigan-
s, atqve in putoribus iſtis extergendis mul-
m collocaſſet operæ, ſeriem præterea divi-
providentiæ expendiſſet, qvæ ab ipſo re-
m primordio, & conditi Orbis incunabilis,
rditatem ſemper gravitate ſuppliciorum
mpenſavit; freqventi & valido ſermone
orentinos commonuit, ut vitiis relictis vir-
ites amplectantur, neqve ultionis divinæ
nmemores, toti in ſceleribus ſordeſcerent,
ut pravorum facinorum exempla fierent po-
teritati. Cæterum, renovandam dicebat, ſive
eformandam Eccleſiam Chriſtianam, atqve
gravissimo cædendam flagello: Et qvanqvam
d ipſum ex Apoſtolico textu excerpere vide-
retur, impedire tamen non potuit, qvin IN-
VIDORUM lingvæ acuerentur; qvas qvi-
dem atrociſſimas in ſe tum qvidem fuerat ex-
pertus, cum publicè vitia Prælatorum repre-
hendiſſet, eâqve dicendi facultate eſſet in-
ſtructus, ut uno omnium popularium ore de-
prædicaretur. Idqve cum malè præ cæteris
habuiſſet Marianum Eremitam Auguſtinia-
num, omne ſtudium in exagitando Hierony-
mo duxit collocandum, inſolentem eam con-
cionandi rationem eſſe enuncians, qvam Sa-
vonarola introduxiſſet; nec minus Pontifi-
cem & Purpuratorum Senatum in illum in-
flammans, procaciterqve detonans, enixèqve
èfflagitans, ut ignibus addicat Prædicato-
rem

Vid. de hoc Mariano Jac. Bergomenſis in ſupplem. Chronicor. Angel. Polit. lib. IV. ep. 6. & Bzovius l. c. fol. 364.

rem ferventiſſimum, *inſtrumentum* [uti ſcelerat è vocabat] *diaboli, offendiculum Eccleſiæ, turbatorem populorum, falſidicumqve prophetam.* Hoc nimirum præmii tulit magnanimus Doctor, qvod vitia tantoperè eſſet peroſus, inqve iis objurgandis plurimùm poluiſſet operæ, probatos corporum Medicos imitatus, qvi vulneribus acerrima etiam medicamenta (ignemqve ipſum, ſi fomenta non proſint) ſolent admovere. Cæterum, cùm auditores ſuos crebro monuiſſet, à Principum hominum, qvi omninò chriſtianè non viverent, commerciis ſollicitè cavendum eſſe, ratus eis animis, qvi ſe Chriſti cruci affixiſſent, divitum Principumqve Virorum amicitias venenum fore; factum, ut *Procerum* etiam *Florentinorum* odium graviſſimum incurrerit, atqve iram omninò implacabilem provocarit. Hinc ſcitè admodum Abrahamus Bzovius; *Non defuit inter hæc* (ſcribit) *ſuo officio dæmon, totius boni ſpiritualis oſor, qvin perſecutionem in Savonarolam & ejus ſeqvaces concitaret. Dolebat illi jactura, qvam faciebat animarum, qvas è faucibus illius, & ex profundo vitiorum Savonarola eripiebat. - - Dolebat inqvam ſatana, jactura animarum qvam faciebat à concionib⁹ Savonarolæ. Enimverò is, ab illa, qvali qvali perſecutione, à malevolis, ne Florentiæ hoc anno ad populum verba faceret, concitata, magis animoſior in flagitioſos fa-*

Bzovius ad ann. 1495. num. 31. & 32.

…ns, cum videret hanc eſſe technam dæmonis, …rantis, ne canes latrarent, ne ſagittæ potentis …utæ, neve carbones deſolatorii jacerentur. …memor prædicatoribus dictam, ut ſint ſal terræ, non mel; canes, ſed non muti; carbones, ſed …rentes & purgantes, mallei, ſed ferrei, ferreas …bduratorum conſvetudines ac conſcientias …angentes contereni eſqve - - - in hoc ſerio o…mne x operam adhibuit, ut omnes intelligerent, …ſe non palponem, ſed verum prædicatorem Evangelicum eſſe, nulliusqve perſonam aſpicientem. Et in eundem ferè ſenſum, Actorum ante laudatorum editor Pariſinus: *Una hæc perditionis cauſa Hieronymo, diſplicuiſſe neqviſſimis, placuiſſe ſanctiſſimis. Hoc maximè reus, gratꝰ quod ille bonis; ingratus, inviſus, exoſus, quod ille malis. Hoc grande ſcelꝰ, coluiſſe pios, odiſſe impios & arguiſſe. Hoc illius, hoc inqvam exitiale crimen, nec ſævo ſatis expiandum igne. Alia tibi obtendant hoſtes ſcelera, vel ſua convicia, una hæc certiſſima cædis Hieronymi cauſa: ab hac una veriſſima, frivola omnes in ſpeciem, ludendiſqve populis data, ludicra, leves, mimicæ, mentitæ, fictitia, nulla.* Cumprimis id ipſum patet ex memorabili Senatûs Florentini ad Papam Alexandrum VI. epiſtolâ, in qvâ inclytæ iſtius Reip. Proceres luculentos admodum ſinceritatis & innocentiæ Hieronymianæ teſtes & vindices egêre, magnanimoqve illi Præconi honorificum hocce teſtimoni-

 moni-

monium perhibuêre. *Nos teſtari poſſumus hunc optimum in vineâ Domini foſſorem, eos fructus ex eâ colligere, qvos nulli hactenus noſtrâ ætate collegerunt, - - Nunqvam ceſſavit ad meliorem religionis cultum nos emendare, facilèqve docendo, ſcribendo, prædicandoqve effecit, ut deleto omni malo habitu, ſi qvis erat in nobis, ad ſanctiorem vitam proficeremus, idqve continuò peragens zelo domus Dei, facilè MULTORUM INIMICITIAS IN SE CONTRAXIT, qvi magis oderunt lucem qvam tenebras, qvorum falſis calumniarum ſuggeſtionibus permota S. V. noxium hunc Chriſtianæ Religionis credidit, cujus tamen in ea fructus hi ſunt: Docere omnes juſtitiam, hortari cives noſtros æqvali qvodam jure & populari uti; inſidias omnium in Remp. noſtram detegere, nec pati contra jus civitatis noſtræ dominatũ aliqvem ſibi occupare: docere parentes optimam filiorum educationem & eruditionem, ut digni Chriſtiano nomine evadant; perſvadere mulieribus, depoſito omni ornatu ſeqvi Chriſtum; pueros nihil magis ñoſſe, qvam geſta Chriſti & ſanctorum, & om-*

Digitized by Google

nes indignos chriſtiano nomine è ſocie-te & cætu noſtro expellere, pro qvibus fa-lè multorum civium & alienorum OF-ENSIONEM SUBIENS, accuſatus eſt de-oliri muros Ieruſalem, tam ut nos perea-us de viâ juſta, amiſſo religionis duce, vam ut civilium diſcordiarum hanc cau-m habeant, qvæ unica illis relicta eſt via d ambitionem ſuam & nocendum nobis. &c.

VII. Atqve hinc meridiano Sole clarius luceſcit, qvam iniqvè & malitiosè illi ege-int, qvi Virum omninò optimum & pientiſ-imum, graviſſimorum criminum accuſarunt, atqve pudendis convitiis calumniisqve etiam poſt fata ſua (non tam conſcientiâ & veri-tatis amore urgente, qvam privato trahente affectu vel aliorum malitia incitante) duxêre conſpurcandum. Tantum eqvidem abeſt, ut illo è medio ſublato livor & æmulatio con-qvieverit, ut potius novos ſubindè in eum ſæviendi ſumpſerit animos, & atrociſſimis dicteriis Hieronymum innocuum exagitarit. Globatim ecce involat & irruit [ita laudatus Actorum editor] in luridum & exangve cadaver corvorum milvorumqve inſana co-hors, ungvibus & roſtris impiè diſcerpens atqve dilanians. Vix putes qvot demum à

ſcriptoribus in eum ex occaſione vel propoſito congeſta conſictaqve crimina: qvot in nomen ejus convolarint authores invidi, lividi, ſtupei, ſtupidi, malevoli & maleferiati, ut nec à morte tut⁹, nec ab invidiæ livoriſq; morſibus & aculeis Hieronymus fuerit. Candorem qvidem [pergit ille] ſcriptorum aliqvi præ ſe ferre videntur, illius cauſam agere ſimulantes, ſua qvi callidè venena propinant & eructant, aut aliena: qviq; ut ab inani liberent, certa viro infigunt affinguntqve vulnera. Qvem ipſum in cenſum cumprimis referendus eſt Gabriel Naudæus, Vir utiqve præclarus & ſolers, ſed judicio præceps, minuſqve in Hieronymum æqvus, qvi ut ridendam ab illo Magiæ abſtergat labem, (cujus niſi rudentibus inſaniſqve, ne ſuſpectus ille unqvam) turpiſſimis eum afficere onerareqve criminibus non dubitavit. * Aſt longe majori animorum intemperie pus ſuum hactenus

* Gabriel Naudæus in lib. Gall. cui tit. Apologia Magnorum Virorum qvi accuſati ſunt falsò magiæ, impreſſo Pariſ. anno 1669. in 12. *Mirum ſcribit Gisb. Voet* [Tom. II. Diſpp. ſelect. p. 1070.] *tale qvid a ſcriptore Gallo profectum, niſi forte ex diuturnâ in aëre Romano commoratione complexio ejus ex Gallicâ, ſeu ſtatûs, in Curialem ſenſim ſit mutata.*

ten⁹ in Hieronymũ evomuere blaterones illi
mpudentiſſimi, qvi livorem religione men-
ientes, ſtylo prædicatorem fervidum pun-
gentiſſimo ſunt inſectati, qvorum ſi calculos
dmiſerimus, Hieronymus hominum fuerit
neqviſſimus, perditiſſimus nebulo, religionis
oſor, ſacrilegus, ambitioſus, auræ auriqve cu-
pidus, ventris mancipium, ſpurcus, obſcœ-
nus, verreſqve ſubans, immanis, ſeditioſus,
ſycophanta, veterator, hæreticus, & qvid non?
Et qvamvis inutile & ſupervacaneum videri
qveat, atrocis adeò odij cauſas longius inve-
ſtigare, aut arcanam eorum inqvirere men-
tem, qvi tot plauſtra convitiorum in eum
operosè congeſſerunt; non præter rem tamẽ
fuerit, aliqvas ſaltem commemoraſſe ſimul &
profligaſſe inculpationes, & tela obloqvio-
rum paulò acutiora (è perverſorum judi-
cum & cenſorum animis, veluti pharatris, li-
vidiſqve eorundem actibus velut arcubus
evibrata) protuliſſe, idq; non alio fine, niſi ut
æternum obtundantur atqve comminuantur.

IIX. Impingitur *principiò* innocentiſſimo
SAVONAROLÆ IMPERTINENS RERUM TRA-
CTATIO POLITICARUM; qvaſi turbato Reip.
Florentinæ ſtatu, ejectiſqve Mediceis, ple-
bem in partes trahere, inqve civitate motus
& diſſenſiones acriores concitare non dubi-
taſſet, qvinimò *ambitioſius* qvam ſacratum
Virum deceret, Reip. affectaſſet adminiſtrati-

 onem.

onem. Eqvidem ſi noſter pudendo illo glaucomate fuiſſet faſcinatꝰ, probro caruiſſet minimè, graviqve admodum cauſa ejus præjudicio laboraſſet; ſiqvidem nullo non tempore Eccleſiaſticis hominibus peſſimè ceſſerit tractatio negotiorum ad ſe nihil attinentium, noxiæqve curioſitatis culpam haud abs re illi huc uſqve incurrerint Clerici, qvi ſacra ſimul & profana tractare, infulati æqve ac galeati videri, pedumqve componere gladio vo-
II. Tim. luerunt. Præcepti vim habet ſignificantiſ-
II. ỹ. 4. ſima illa gnome apoſtolica; *ὀυδεὶς ςρατευόμενος ἐμπλέκεται ταῖς τοῦ βίου πραγματείαις.*
Cypr. l. I. Audiatur ſanctiſſimus martyr Cyprianus:
epiſt. 9. *Scriptum eſt* [ait ille] *nemo militans DEO implicat ſe moleſtiis ſecularibus, ut poſſit placere ei, cui ſe probavit. Qvod cum de omnibus dictum ſit, qvanto magis moleſtiis & laqveis ſecularibus obligari non debent, qvi divinis rectè & ſpiritualibus occupati ab Eccleſia recedere, &*
Ambr. *ad terrenos & ſeculares actus vacare non poſ-*
lib. I. *ſunt.* Audiatur Ambroſius; *Is* [ſcribit] *qvi*
Offic. *Imperatori militat, a ſuſceptionibus litium, a-*
Syneſius *ctu negotiorum forenſium, venditione mercium*
epiſt. 57. *prohibetur humanis legibus.* Audiatur Syne-
adverſꝰ ſius; *Reipublicæ adminiſtrandæ vim cum ſa-*
Andro- *cerdotio conjungere, perinde eſt, atqve ea nere,*
nicum, *qvæ nendo connecti neqveunt.* Priſca [pergit
ex inter- idem] *tempora eoſdem Sacerdotes & Judices*
pretat. *tulêre, qvid tu igitur antiqvum illud revocas,*
Dion. *qvid*
Petavii.

Digitized by Google

id ea conjungere vis, qvæ DEUS ſejunxit,
i nos non adminiſtrare, ſed adminiſtrando
pravare poſtulas, qvo qvid infelici⁹ eſſe poteſt?
Tan-

Non malè Eraſmus in Chiliad. Cent. *III.* fol. 544. *Qvo pacto* [ſcribit] *duxerit ad Regnum cælorum (ſic enim Chriſtus ſuam vocat Eccleſiam) qvi totus eſt in REGNO Mundi. Sed impendiò pius es, ornare vis Eccleſiam harum etiam opum acceſſione? Probarem, niſi cum paululo commodi tantum ſecum ea res traheret malorum. Cum imperium dediſti, ſimul dediſti congerendæ pecuniæ curam, dediſti tyrannicum ſatellitium, ferratas copias, exploratores, eqvos, mulos, tubas, bellum, ſtrages, triumphos, tumultus, fœdera, pugnas; breviter, omnia ſine qvibus imperium adminiſtrari non poteſt. Ut animus adſit, qvando futurum eſt otium Apoſtolico fungendi munere, qvem tot curarum millia diverſum trahunt?* ita præclarè Eraſmus, qvi benè notavit, ſuſceptam ab Eccleſiaſticis Viris rerum Politicarum tractationem mala ſecū trahere iñumera, qvæ plurimorū hiſtoricorum monumentis ſunt cõſignata. Sic cum Phariſæi apud Judæos populari gratia maximè valerent, qvos ſibi Alexandra Regis Alexandri uxor poſt mariti mortē devinxerat, eorūq; conſiliis Regnum adminiſtraverat, ita ut nomen Re-

gni penes Alexandram eſſet, penes Phariſæos verò adminiſtratio, hinc referente Joſepho factum eſt, ut eorum inſtinctu optimates ipſos Regina ſuſtulerit, qvod ii Alexandro Regi in populum ſæviendi auctores fuiſſent, & ſic Reſpublica præſidibus orbata; multis calamitatibus poſt Reginæ mortem ſubjecta fuerit. Ex ſeculi ſuperioris hiſtoria notiſſimus eſt tragicus Johan. Funccii Chronologi celeberrimi exit⁹, qvi cum concionibus in aula Alberti Boruſſiæ Principis habendis præfectus, rebus ſeſe immiſcuiſſet politicis, & munere ſibi mandato præpoſtera ambitione relicto, ad civilia munia obeunda ſe contuliſſet, imò ſeni Principi auctor ſtolidi juxta & pernicioſi conſilii fuiſſet, ut qvando neminem in Boruſſia fidum ſubditum haberet, ad gentiles ſuos in Germaniam ſe reciperet; primò carceri incluſus, & ex vinculis cauſam dicere juſſus eſt; mox tanqvam publicæ pacis turbator, & rerum novarum anthor in Regii montis foro capite eſt truncatus, poſtqvam pervulgatum diſtichon pronunciaſſet;

Joſeph. lib. XIII. Antiqv. cap. 24.

Diſce me exemplo mandato munere fungi,
Et fuge ceu peſtem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Non abs re Romanorum olim ſapientiſſimi

ac prudentiſſimi Provinciarum adminiſtrationem Flaminibus Dialibus minimè concedendam eſſe cenſuerunt, cum ſcil. Tiberio imperante, Servius Maluginenſis Flamen Dialis poſtulaſſet, ut Aſiam ſorte obtineret, ſuiqve inpoſterum qvoqve ratio haberetur, & Lentulus Augur multa in contrarium diſſeruiſſet, *ipſe tandem Cæſar Tiberius* (teſte Tacito) *decretum recitavit Pontificum, qvo continebatur, ne Flamen Dialis plusqvam binoctium abeſſet, & qvo judicatum eſt, annuam abſentiam provinciarumqve adminiſtrationem Dialibus nunqvam eſſe permittendam.* Ad qvem Taciti locum appoſitè P. Acrodius; *Qvid nunc* (ſcribit) *dicemus de Epiſcopis ac Curionibus noſtris? procul dubio non poſſunt vel biduum à ſacris recedere, qvia ad ea ſemel acceſſiſſe nemo eſt qvi accuſet.* Dici profectò neqvit, qvanta mala ex hoc fonte in univerſum Chriſtianum Orbem ſint derivata, qvanta hinc ſcandala orta, qvantæ clades patratæ, cum Bellicæ etiam rei curam, DEO ſacrati homines ſuſcipere non dubitarũt, qvinimò mot⁹ concitarunt & diſſenſiones, magnisq; cædibus & funeſtiſſimis præliis occaſionem dederunt. Nonne ingens civile Bellum in noſtra exortum eſt Germania, poſtqvam [teſte Aventino & Ottone Friſing.] Adelbert⁹ Moguntinenſis Archiepiſcop⁹, Henricum

Tacit. Annal. lib. III.

Avent. Annal. Boic. lib. 5. Friſing. lib. VII.

ricum filium contra Henr. IV.Imp. Patrem concitavit, nec non Calixto II. ut Imperatorem excommunicaret author fuit, imò Saxonibus uti rebellarent Imperatori perſvaſit. Sic cum in ſocietatem belli contra Gerardum Hildesheimenſem Antiſtitem Theodoricus Magdeburgenſis & Albertus Halberſtadienſis Epiſcopi coiviſſent, conſertoqve prælio Albertus Halberſt. captus eſſet, maximum haud abs re Eccleſiaſtici Politicis ſive ſecularibus Viris ludibriũ debuêre; cumq; vict⁹ Epiſcopus, acutiſſim⁹ eſſet Logicus, victor autem ſtrenuam Rhethoricæ dediſſet operam, anſam jocoſo dedêre proverbio, *Logicam Rhetoricæ ſuccubuiſſe*, teſte Cranzio lib. IX. Metrop. c. ult. Tantum verò abeſt ut Savonarola in Clericorum tam perditè ambitioſorum cenſum venire poſſit, ut potius chriſtiani hominis, ſorteq; ſua contenti, & Clerici à ſecularium rerum tractatione alieniſſimi elogio ſit exornandus. Utrum lite Florentina fervente, à potiori parte in conſilium vocatus ſit, dicere haud conabor, id verò liqvidò conſtat, eum negotiis illis turbulentis neutiqvam temerè ſeſe immiſcuiſſe. Siqve id egiſſet vel maximè, nihil pro eorum temporum ſtatu & more [apud monachos æq; & concionatores, ac apud Epiſcopos & Canonicos receptiſſimo] inſoliti, nihil novi aut abſurdi commiſiſſet, præſertim
ubi

…i illi, penes qvos rerum ſummá,ab eo tan-
…am ſubdito conſilium petiiſſent. Cæterum,
…emo eſt qvi ignoret, qvam miſerabili ſæpè
…aſu in mutationum & factionum politica-
…um turbis [partium præſertim ſtudio accreſ-
…ente] præſtantiſſimi etiam Viri, tanqvam
…nter contrarios fluctus ſint oppreſſi, qvi ta-
…nen toto vitæ decurſu, inſignem candoris, fi-
…dei & pietatis zelum, omniqve exceptione
majorem integritatem præ ſe tulêre. Optimè
& ſignificantiſſimè ad vindicandam hâc in
parte Hieronymi noſtri innocentiam author
præfationis vitæ ej⁹ præfixæ; *Leviora qvadã* *Confer*
contra illum afferuntur & effutiuntur, qvæ tum *præfat.*
ipſe coram, ac alii deinceps alias luculenter ex- *vitæ Sa-*
cuſſerunt, ac propulſarunt. - - - DOMI- *vonar.*
NANDI ſcil. CUPIDO, nimia ſecularium *præmiſſ.*
*anxietas & ſollicitudo, FACTIONUM COL-
LIGATIONES, concitati tumultus, ſeditioſæ
conciones, hiſqve ſimilia, qvæ cum non alia,
qvam ADVERSARIORUM ODII ſint o-
rigine nata, & SUBLESTA ſcriptorum im-
peritorum aut æmulorum authoritate fulta, fi-
dem aliqvam apud imperitos aut incautos eti-
am eruditos aliqvando facilem invenerunt, ob-
repente ſcil. aut affectu aut incuria : qvod* Pe-
tavio *fortè contigit, ac* Naudæo, *paucíſqve a-
liis primi ſubſellii viris, ac etiam infimi, malè
qvi Hieronymum ſic habuerunt imperitè; nu-
per ut qvidam habuit onochronologus alter, li-*

xis

xis atqve cerdonibus oraculum, immani voluminum pondere gravis & inani, depilatus compilator, quiſqviliarũq; ſuperb⁹ aliena colluvie: auſus & ipſe contra Hieronymum argutos inter ſtrepere olores. *Quos pruriginoſos omnes furfureosqve ſcriptores deſpicere ſatius & opportunius qvam refellere, ne vel tanti ſibi videantur.* Neqve odii ullius aut livoris in Mediceos reus fuit Vir integerrimus, qvicqvid illi ipſi ſubleſtæ fidei ſcriptores deplaterent, non tumultûs author aut conſcius, ejectiqve Petri vel immutati regiminis Florentini; qvin potius non leviter inſudavit, ut pro eâ qvâ apud omnes plurimum valebat authoritate, turbulentiores compeſceret, ejectoqve Petro, & tumultuante populo, fluctuantes & incertas Florentinorum res componeret, & ad meliorem tranqvilliorem q; ſtatum publicam rem univerſam revocaret. Qvid, qvod ipſius Magiſtratûs Florentini (ut Nardus † lib. 1 teſtatur) rogatu, rebus vacillantibus, ac populo tumultuante publicè verba fecerit, omnesq; ad pacem & concordiam reſtabiliendam efficaciſſimè ſit cohortatus: cujus conſeqvendæ gratia *qvatuor hæc* [ut idem ſcribit] *apprimè illis commendabat: Primum ut DEI timo-*

† *Scripſit ille Etruſca ſeu vernacula lingvâ hiſtoriam Patriæ ſuæ Florentinã ab añ. 1494. ad 1531. teſtis rerum oculatus & ſincer⁹; editam in 4. Lugd. 1582.*

*morem habentes, ſe & alios ad morum con-
erſionem vitamqve chriſtianam componerent,
à ſibi facile gratiam DEI affuturam pollice-
entur: deinde privatis commodis, Reipublicæ
udium & utilitatem anteferrent; tertio præ-
eritas invicem omnium ſimultates & inju-
rias novo pacis fœdere ſancito donarent, æter-
næqve oblivionis lege premerent, ut & qvi
hactenus etiam addicti præterito Mediceorum
regimini, anteactorum omnium ad ejus uſ-
qve mutationem eſſent abſoluti & eximij, ſal-
vo duntaxat ærarij, publicæqve pecuniæ re-
ſtituendæ, ſive repetundarum jure &c. Ul-
timo deniqve, ut cogitarent inſtituerent-
qve Reipublicæ regiminis formam ita tempera-
tam, qvæ nullum excluderet aptum regimini ci-
vium ordinem, nec ullus impoſterum, ut ante
hac, familiarum diſſenſionibus & ſtudiis ambi-
re primatum, & coæqvalibus prævalere poſſet;
qvalis & apud Venetos pridem inſtituta ſit,
proſpereqve regnet etiamnum ea regiminis nor-
ma.* Atqve hanc ſermonum Hieronymi ad
populum habitorum ſumam fuiſſe, non Nar-
dus ſolum aſſeruit, verum ipſæ conciones in
lucem publicam emiſſæ diſertè teſtantur.
Qvibus qvid tam abſurdum, tam iniqvum &
ab officio & inſtituto ſuo alienum ille protu-
lerit, ut tanqvam impertinens rerum politi-
carum & ad ſe nihil attinentium tractator,
Reipublicæ florentiſſimæ turbator, novator-
qve

qve temerarius debeat traduci, eqvidem minimè intelligo. Hæccine tam horrenda Hieronymi paroramata, tam enormia nec ſangvine ſed igne delenda fuêre flagitia? Nonne rigidi nimis, an LIVIDI potius cenſoris probrum ille incurret, qvi Hieronymum ob ſalutaria adeò documenta civibus ſubminiſtrata duxerit reprehendendum? præſertim cum is neutiqvam ultrò ſeſe rebus immiſcuerit politicis, ſed invitus, & à populo ipſoqve magiſtratu rogatus & obteſtatus, nec ad defectionem unqvam tumultumqve cives concitarit aut ſeditionem, ſed potius ad concordiam & tranqvillitatem conciliandam validiſſimos addiderit ſtimulos. Et cum è probatiorum hiſtoricorum indicio liqvidiſſimè conſtet, ſtatûs & regiminis Florentini immutationem Hieronymo nec authore nec conſcio contigiſſe, dubium non eſt, cum temeratæ fidei, ſacriqve officii cum politico confuſi, ſtigmate nonniſi LIVORE urgente notatum fuiſſe. Etiamſi aliqvam motuum Florentinis imminentium, pro concione mentionem feciſſet, atqve in appropinqvantem hoſtem extraneum verbis paulò acrioribus cives armaſſet Florentinos, prævium ipſum habuiſſet Bernardum, authorem qvippe expeditionis Hieroſolymitanæ præcipuũ; *Qvamvis nec tacendum* [ita vitæ ſcriptor Guilelmus notanter ait] *qvod ex prædicatione itineris*

illius

*ius Hieroſol. grave contra eum qvorundam
minum vel ſimplicitas vel malignitas ſcan-
lum ſumpſit, cum triſtior ſeqveretur effectus*;
ariter ut Savonarola plurimorum exinde o-
ium & indignationem incurrit, qvod fer-
entius qvam ſacratum virum deceret, in
Civitatis ſuæ defenſionem incubuiſſet. *

IX. Al-

* *Cum ſeculo ſuperiori Georgii Martinuſii monachi, poſtea Cardinalis prudentia politico-militaris omnium ore celebraretur, illeqve ab Hungarici Regis partibus, adverſus Ferdinandum Regem ſtetiſſet, is dicere non rarò ſolebat; nihil ſe invidere Johanni, niſi unum CUCULLATUM, qvi galeatis decē millib⁹ regno tuendo potior haberetur, monachū illum Georgium intelligens, qvod ordinis eſſet Paulino-Eremitici: Tanta ſiqvidem ei inerat auctoritas, cum ſumma in omnes caſus urgentium rerum induſtria, ut cum concionanti ſimilis prodiret, qvo vellet, vel corruptos alienatoſqve civium animos impelleret; donec ex inſidiis tandem miſerè fuit interemptus. Qvidſi & Hieronymum Florentinis ii INVIDISSENT, qvi toto virium niſu in ejuſce Reip. everſionem & ſubjugationem incubuêre? Qvidſi cucullatum iſtum Dominicanum limis adeò oculis propterea aſpexiſſent, qvod verba ejus*

ejus conſultaqve omnia, oraculi loco à plebe universâ eſſent habita?

IX. Alterum, ac priori confine crimen, cujus viperea illa progenies Savonarolam duxerat incuſandum, faſtûs DEMAGOGICI nomine venit, & perditè captati FAVORIS POPULARIS; nimirum, ſcabiem qvâ æmuli ipſi laborabant, affricuere ſinceriſſimo pectori, atqve adamatæ nimis vanitatis glorioſæ eum accuſavere, qvem ob zelum ſuum pluſqvam vatiniano odio proſeqvebantur. Hinc illæ Joh. Poggii Florentini lachrymæ & qverelæ, qvod Hieronymus *ſanctimoniæ cujuſdam umbraculis, qvo vellet vulgus perduxerit; inſigniqve* [ut Cominæus refert] *facundia præditus, POPULUM in ſe converterit, tantamqve apud vulgum acqviſierit authoritatem, ut nemo qvicqvam adverſus eum moliretur.* Hinc etiam ad obtrectatorum mentem Juſtus Lipſius de Hieronymo noſtro cap. 3. libri primi Monitor. & exemplorum; *Regnabat* ſcribit, *non in concionibus tantum & ſacris ædibus, ſed in curia, ſed in comitiis, & raro publicè, imò privatim majus aliqvid ſine ejus arbitrio geſtum. Dicam? non animis modo, ſed & arcis, ſed & armis civium imperabat. hoc regnum totos annos qvatuor exercuit, inqve partes plebem* [Gvicciardino ſcribente] *traxit univerſam.* Eqvidem vix ſpecioſiori titulo ſubvertere Hieronymum ma-

nalignantium cohors potuiſſet, qvam qvod affectati imperii civilis reũ peregit, ſiqvidẽ illud crimen omni ætate graviſſimam cladem intulerit ſacrati ordinis hominibus, atq; de proſperitatis omnigenæ ſede ipſos Luciferos fulgentiſſimos nonnunqvam deturbarit. Qvis obſecro hominum Eccleſiaſticorum, perſpectâ peſtis ejuſce noxâ virulentiâqve, non totus cohorreat, & cane pejus ac angve omnem faſtum demagogicũ devitet? *

Tt Ve-

* *Si qvæ alia, hæc cumprimis (ut Bernardus obſervavit) eſt tinea ſanctitatis, peſtis Eccleſiæ, cui ut inſervirent, naufragium tam fidei qvam bonæ conſcientiæ fecêre, qvi doctiſſimi, qvi optimæ alias ſpei fuêre. Nec qvicqvam graviora damna publica & Eccleſiaſticæ rei inferre ſolet, qvam ſi ad popularem auram, veluti palmarium ſcopum dicta factaq; prædicantium omnia referantur. Neq; diſſenſiones ſolum & ſeditiones ex eo freqventer promanaſſe conſtat, ſed totales etiam regnorũ & dominatuum ſubverſiones funeſtam ſuam originem inde traxiſſe accepimus. Qvod ipſum civitatis Heracleæ exemplo Ariſtoteles V. Pol. c. 5. dedit demonſtratum, qvippe qvæ nonniſi* Demagogorum *fraude & malitia extremi propemodum exitii aleam ſubiit. Qvomodo Thomas Münzerus ruſticorum*

rum auram conſimili artificio demagogico captarit, triſtiſſimaqve ſeditionis author extiterit, pluribus legere eſt apud Sleidanum, Gnodalium & alios, ſicut & noſtra ætate malitiæ ejuſce graviſſimas & meritiſſimas pœnas luit in executione Pragenſi Joh. Jeſſenius à Jeſſen, de qvo Brachelius ad an. 1621. Joh. Jeſſenius Medicus, & Collegii Carolini Profeſſor, *prius lingva, dein capite minutus, poſtremò in qvatuor partes ſectus eſt.*

Verum alium planè Savonarolæ animum inſediſſe ſcriptorum & actorum ejus monumēta, qvæ ad nos pervenêre loqvūtur, nimirū de fructu potius in vinea Domini colligendo, qvam dominio plebis conſeqvendo illum ſollicitum fuiſſe, ex apologeticâ Senatûs Florentini ad Alexandrum VI. epiſtolâ evidentiſſimè apparet. *Hunc certè* (repeto epiſt. verba) *ſupra hominem exiſtimare nos oportet, qvi octo jam annis multa prædixit qvæ eventura nobis erant. Interim nunqvam ceſſans ad meliorem religionis cultum nos emendare, facileq́ʒ docendo, ſcribendo, prædicandoqve effecit, ut DELETO omni malo HABITU, ſi qvis erat in nobis, ad SANCTIOREM VITAM proficeremus &c.* Hoc ne obſecro Demagogum agere ſignificat, ſuis duntaxat litantem adfectibus? Qvodſi ſolidis, piis, ac pſychagogicis concionibus, ſi privatis inſtitutioni-

bus

bus, ſi maſculis adhortationibus, ſi vivo pietatis & Virtutum Chriſtianarum exemplo populi favorem ſit conſecutus, DEO potius omnium bonorum & donorum excellentiorum largitori debitas perſolvere grates debuiſſent Hieronymomaſtiges, neqve hiero-tyrannidis cujuſdam incuſare hominem pientiſſimo zelo ferventem, atqve de plebis emolumento unicè ſollicitum. Qvidſi verò (dicat aliqvis) confitentem haberemus reum, h.e. Savonarolam impacti criminis Demagogici ſemetipſum incuſantem? Ita ſanè Confeſſionis in carcere Florentino editæ & in tabulas publicas relatæ ſonant verba: *Totum qvod feci, deſignavi ut eſſem ſemper FAMOSUS, in præſenti & in futuro, ad habendum tale creditum* [ita barbara res vocibus barbaris fuit exprimenda] *in civitate Florentià, & qvod omnes res magnæ non fierent ſine meà voluntate - - & maximè habebam intentionem ſuſcitandi Principes Chriſtianos, & principaliter illos extra Italiam ad ſubjugandum infideles poſt Concilium verum. Ad faciendum me Cardinalem vel Papam non multum cogitabam, nam qvando conduxiſſem iſtam operam, etiam ſine Papatu fuiſſem auctoritate & reverentia primus homo mundi. Sed qvando fuiſſem electus Papa, non recuſaſſem, qvanqvam mihi videretur majus eſſe, fieri caput de tanto opere, qvam eſſe Papam, qvia homo ſine virtute poteſt*

Extat hæc pſeudo-confeſſio Hieron. in Joh. Poggii opere ſupra memorato, editoqve 1498.

eſſe Papa, ſed tale opus reqvirit hominem excellentis virtutis. Et in eadem Confeſſione verba legas ſeqventia: *Vitâ ſtricta qvam faciebam, pro me, & faciebam fieri ab aliis, erat totum, ad REPUTATIONEM & HONOREM mundi* (ſcil. acqvirendum.) Eqvidem ſi recto hæc confeſſio ſtaret talo, nec in magnanimi Doctoris odium à malevolis fuiſſet conficta, omnem ejus everteret cauſam, neq; ullum defenſioni legitimæ locum relinqveret. Indubia autem ſcriptorum fide conſtat, nonniſi malignantium livore & odio, confeſſionem illam fabricatam, Savonarolæqve optimo ſuppoſitam fuiſſe, qvemadmodum etiam cætera qvæſtionis acta penitus adulterata fuiſſe, Jacobo Nardo luculento hiſt. Flor. ſcriptori judicum alter poſtea indicavit, ut ipſe qvidem ſub libri ſecundi finem diſertè fuit conteſtatus. *Cum nil qvicqvam* [ita A. Bzovius ad ann. 1498. num. 19.] *potuiſſent dignum ſententia capitali reperire, etſi in univerſam ejus vitam ab ipſis ferè incunabulis, uſq; ad ſextum & qvadrageſimum ætatis ejus annum, qvem hoc tempore agebat, ſatis curioſè inqviſiviſſent; ergò TABULIS, ſeu PROCESSUI FALSO, à Franciſco Barone conficto, innitendum eſſe decreverunt. Erat is ſcriba Florentinus, ad fingendum fallendumqve nimis ingenioſus. Is poſtqvam aliqvos ex judicibus deſignatis audiviſſet, conqverentes, qvod oleum &*

Vid. Jacob. Nardi Hiſtor. Floren. lib II. fol. 52. confer Bzov. ad ann. 1498. num. 19.

& operam perderent in examine Hieronymi, à qvo nihil mortale, etiam per intolerandos cruciatus elicere potuiſſent: induſtriam ſuam illis obtulit, dicens, ſibi non defuturos modos, qvibus morti illum traderent. Re ad Magiſtratum delata, qvadringentos aureos veteratori promiſerunt, ſi qvid contra Hieronymum excogitaret, & capitale aliqvod crimen illi affingeret. Ingratiſſimus mortalium, qvem Hieronymus in conjuratione Medicea à laqveo eripuerat, vitaqve reddiderat; ingenium pravum, & calamum calumniis intinctum perdendo ſuo ſervatori, malignantibus divendidit: ac trepidantes illos, ne innocentia Hieronymi in vulgus propalaretur, neve ob crudelitatem in innocentem admiſſam lapidarentur à populo, ad ſcelus patrandum, dicens: Cum non hæreret culpa, affingenda, & imponenda eſſet; innocentemqve nocentem vel per nefas faciendum, *animavit. Mox in aula, in qvâ Hieronymus inqvirebatur, alio ſcriba in tabulas, ex vero, ut proferebantur, interrogata Judicum & Hieronymi reſponſa referente; ille in angulo qvodam poſitus, omnia Hieronymi dicta, ſi qva directè & categoricè proferebat falſimoniis inſperſit: qvæ vero ambigua fuerant, ad ſenſum ſuum perverſum intorſit. Dixerat ille: omnia qvæ feciſſet, propter gloriam feciſſet* [ſcil. divinam] *Franciſcus ex ſuo pravo calamo addidit* humanam: *Item interrogatus, qvomodo faceret, dum*

confiteretur; reſpondebat: Qvi perdidit fidem, nihil curat animam ſuam. Franciſcus inverterat: Perdidi fidem, nihil mihi curæ de anima, *& multa alia ſimilia per ſummam perfidiam tabulario ſuo inſcripſerat &c.* Qvid, qvod inqviſitionis etiam, ſeu examinis libellus & commentarius duplex fabricatus ſit; ſincerus unus, alter à Ceccone qvodam Actuario falſatus & legitimo ſuppoſitus, referente Timotheo Peruſino, cap. 49. vit. Hieron. * Qvâ de iniqviſſimâ & ſceleratiſſimâ proceſsûs Savonaroliani adulteratione haud ita pridē pluribus etiam per literas me edocuit, & clariſſima fraudis impoſturæqve [ab hoſtibus Hieronymi cōmiſſæ] indicia fecit Ampliſſim⁹ & famigeratiſſimus Bibliothecarius Florentinus, D. ANTONIUS MAGLIABECIUS, Vir ſive eruditionem exaſcitatam ſpectemus, ſive virtutem & candorem infucatum, cum pauciſſimis ævi hujus luminibus conferendus, perpetuæqve laudis coronâ meritiſſimo jure circumcingendus; ſed & eo cumprimis celebrandus nomine, qvod imperterritum huc uſqve cauſæ

* *Narrat ibid Peruſinus, verum & ſincerum proceſſum Hieronymi, ab eod. Ceccone nequam, Lucretia de Medicis, Leonis Papæ X. ſorori, Jacobi Salviati conjugi fuiſſe poſtea conceſſum, cujus & ipſâ lectione commota mitior exinde & æqvior in Hieronymum fuerit.*

Google

ſæ Hieronymianæ vindicē adverſ⁹ malignos Prædicatoris illi⁹ ferventiſſimi obtrectatores agere non dubitarit. Multū etiam ponderis & momenti, ad rejiciendam ſuppoſititiam Savonarolæ confeſſionem illud habet, qvod ſalvus etiamnum & extra cuſtodiam poſitus, ſæpius (Mirandulano teſte) plebem præmonuerit, *NE etiam SIBI IPSI fidem haberet, his ubi contraria loqveretur, qvæ ſemel de pulpito promulgaſſet*; nec minus qvod in poſterioribus confeſſionum libellis Hieronymus ſit obteſtatus, ſe VI TORMENTORUM multa dixiſſe, & animo cum torqveretur, penitus fuiſſe abalienatum. Qvid itaqve ſubſidii ſperent ex eâ confeſſione Hieronymi hoſtes, ſi vel maximè ex ore ejus profecta fuiſſet, ſiqvidem nonniſi tormentis victus eam emiſerit, & gravem *ipſe præviderit infirmitatem, in qvam* (ut Picus loqvitur) *impingere debebat.* *Jo. Fr. Picus Miran. vit. Sav. c. XVII. p. 84.*

X. Tertia & ultima reſtat diſcutienda livoris & obtrectationis, Hieronymo noſtro conflatæ nebula, illa nimirum, qvâ nitidiſſima Viri optimi innocentia in hunc uſqve diem tantoperè fuit obfuſcata, ut pauciſſimorum patuerit obtutui: * Sectator nimirum Savonarola audit noxiæ & perniciosæ CURIOSITATIS, atqve SPIRITUS munerisqve PROPHETICI arrogator temerarius.

* *Ipſe eqvidem planiſſimè ante hac mihi perſvaſi*

ſvaſi, Hieronymum ea peſte correptum ac corruptum fuiſſe, adeoqve locum ei inter malè-curioſos *duxi aſſignandum Commentat. IX. de Curioſ. Lit. pag. 975. Verum omnis ſiniſtra ſuſpicio exolevit, qvamprimum ſupralaudata Acta, inſtrumenta, & documenta Pariſ. 1674. edita [intaminatamq; Viri innocentiam evincentia,] ad manus meas devenêre.*

Etenim diſertè Cominæus memorat illum plurimorum incurriſſe reprehenſionem, qvoniam DIVINITUS ſibi qvædam demonſtrata eſſe pronunciaſſet; videl. de inſtanti Regis Gallici adventu, Eccleſiæ Romanæ reformatione, atqve Turcarum & cæterorum infidelium ad fidem chriſtianam converſione*. Neqve

* Triſtia profectò exempla docent, qvantum ſæpè damni Eccleſiæ pariter ac Reip. temeraria vaticinia attulerint. Anno ſiqvidem naſcentis Chriſti primo, qvidam Judas de Gamala oriundus, dictus Gaulonites, cum videret capita Judæorum cenſeri ab Auguſto Imp. jugi Romani impatiens, ex malè intellectis prophetiarum vaticiniis, populi Judaici liberationem inſtare putans, ſpe fret⁹ vaniſſima, ſeditionē movit in populo, cuj⁹ exitus qvi fuerit, à Joſepho Antiq. lib. XVIII. cap. I. & Actor. V. deſcribitur, qvod nimirum

mirum ſeditionis hujus author cum univerſis ſuis aſſeclis partim miſerè cæſi, partim diſperſi fuerint. Qvalis fuit & exitus alterius Judæ, qvi Ægyptius vocabatur, de qvo Act. XXI. & Joſephus Antiq. lib. XX. c. 6. Inter qvos & connumerandus Cochab ille Judæus, qvi in ſe completam illam de Stella Jacobi prophetiam dictitans, magnas dedit turbas, condignamqve ſiniſtræ vaticiniorum interpretationis & motæ ſeditionis mercedem reportavit. Moſes item ille Cretenſis dictus, qvi & ipſe Judæis ex falſis prophetiarum interpretationibus liberationem perſvadens, illis miſerandi interitus author fuit, referente Euſebió Hiſt. Eccleſ. lib. IV. c. 6. & lib. VII. c. 38. Sed & proximè nos antegreſſum ſeculum, conſimilia vidit exempla: In motu namqve Ruſticano anno 1526. inventi ſunt pſeudo-prophetæ, qvi vaticinia qvædam Sacræ Scripturæ de Regno Chriſti loqventia corporaliter tantum interpretati, multis Ruſticorum millibus extremum attulerunt exitium. Qvos deinde inſecuti fuerunt Monaſterienſes Anabaptiſtæ, qvi priſtinum errorem reducentes, propheticas inſuper revelationes commenti, ingentes dederunt turbas, ſicuti Sleidani & aliorum

ca

ea de re publicæ teſtâtur hiſtoriæ. Qvinimò noſtro etiam ſeculo non pauci ejuſdem farinæ homines, Eccleſiæ totiuſqve Orbis reformationem & in melius reſtitutionem confingentes, magnaſqve Imperiorum mutationes inſtare clamitantes, chartis ſuis animos hominum in ſublimi ſuſpenſos, nova ſed vana ſpe per aliqvot annorum decurſa ſpatia lactarunt.

Neqve inficias tamen ire Cominæus potuit, Savonarolã multa verè prædixiſſe, de qvibus nemo mortaliũ potuiſſet admonere, *nam & Regi* [inqvit] *fore prædixit, ut extincto filio ipſe quoq; non diu ſupereſſet.* Ad cæteras ejus prædictiones de renovatione Eccleſiæ, infidelumqve converſione qvod attinet, liqvidò conſtat, Hieronymum illas è SACRIS LITERIS, & cumprimis viſionibus Apocalypticis depromſiſſe. Hoc eqvidem vera & intemerata confeſſio, *remotis omnibus calumniis* [Gvicciardino teſte] *continebat: Savonarolam qvæ prædixiſſet, non inſtinctu inflatuq; divino, ſed SACRARUM LITERARUM ſcientia prædixiſſe.* Forſitan nonnullæ prædictiones etiam politicis qvibûſdam conjecturis, nec non ferventiſſimo ſtudio, & fortiſſimæ imaginationi originem debuere; cum indubia ſcriptorum probatiſſimorum fide conſtet, qvid piis & cætera prudentibus hominibus

nibus hoc in caſu nonnunqvam evenerit *. Qvodſi tandem imaginationi fortiori, illuſio aliqva & deceptio ſatanica ſive interna ſive externa acceſſiſſet ; id tamen non magis Hieronymi pietati & cauſæ ob qvam extremum ſupplicium ſubiit, præjudicaret, qvam aliorum hominum (zelo pio ferventiſſimorum) integritati officere poteſt, qvod graviſſimis tentationibus & freqventioribus etiam dæmonis illuſionibus fuerint expoſiti **. Qvid, qvod ipſe Hieronymus ſignificantiſſimis verbis ad Alexandrum VI. de malè intellecta ſua [circa prædictiones ſc. & revelationes] ſententia fuerit conqveſtus, diſerteq; oſtenderit, ſe munus propheticum, ſive miſſionem

* *Prudenter admodum Arſenius revelationes ſibi factas, nunqvam, niſi aliorum poſceret utilitas, enarrabat, & tum narrabat, qvaſi non ſibi ſed alteri accidiſſent, teſte Sim. Metaphr. Libuinam qvandam celebrant, qvod DEum poſt acceptam revelationem hunc in modum ſit allocuta :* Maneat obſecro Domine hoc dignationis ſacramentum inter me & Te : ſufficit enim mihi gratia Tua.

** *De illuſionibus ſatanicis paſſim legendæ vitæ PP. & Acta ſanctorum hominum, nec non Delrio lib. IV. diſq. mag. c. 1. qv. 3. ubi damnato Savonarola, non ſine ſtudio partiũ Puellã Aurel. ex profeſſo defendit.*

nem Dei extraordinariam ſibi nunqvam arrogaſſe: *Dicitur* [inqvit] *dixiſſe ME MISSUM à DEO, hoc qvoqve falſum eſt, ſciunt omnes qvi me audierunt, qvia nunqvam dixi; imò in ſcriptis noſtris, qvæ ab omnibus legi poſſunt, ſcripſi qvia eram miſſus à Prælatis meis, ſicut & fere ALII OMNES PRÆDICATORES, nunqvam dixi A SOLO DEO ME MISSUM, ut teſtes ſunt multa hominum millia. Porrò dicitur: Et me cum DEO loqvi; Hoc etiam nunqvam expreſsè dixi, nec unqvã utor tali modo loqvendi, ut teſtis eſt univerſus populus Florentinus &c.* Qvid eſt igitur, qvod ad conflandam eo majorem invidiæ tempeſtatẽ, arrogantiæ & impoſturæ omnium maximæ reum peragere innocuum Prædicatorem malignantium cohors neutiqvam addubitavit? Taceo alia, qvæ contra eundem athletam fortiſſimum ſplendidè mentita eſt adverſariorum iniqvitas, avideqve hauſta collegit effuditqve ſcriptorum ævi noſtri præceps occupatio, qvorundam deniqve facilis aut imperita ſimplicitas excepit. Qvæ omnia ſi ad primam ſuam ſcaturiginẽ revocaveris, liqvido conſtabit, optimum Virum non niſi INVIDIA & odio infrunitorum hominum urgente, horrendas adeò calumniarum, adflictionum & ſuppliciorum tempeſtates ſubiiſſe, atrocemqve LIVOREM, SAVONAROLÆ* pariter ut Doctorum magnanimorum aliorum, CARNIFICEM truculentiſſimum extitiſſe. *Pra-

Extat hac epiſt. Savon. ad Alex. VI. Pap in additionibus ad vit. ejus à Jo. Fr. Pico cõſcript. & Pariſ. 1674. edit. pag. 138.

* Præter ſupra citat. Scriptores de Hier. Savonarolâ videndus Sixt. Senenſ. *lib. IV. Bibl. S. fol.* 300. Juſt. Lipſ. *in Monit. & Exempl. Pol. lib. I. c.* 3. Joh. Pier. Valer. *lib. II. de Liter. hom. infel. f. m.* 152. Odoricus Raynaldus, *in Contin. Annal. Eccleſ. Baron. ad A. C.* 1496. Petrus Opmeerus, *in opere Chronograph. Orbis Univerſ. ad A.C.* 1498. *fol.* 438. Jacob Verheiden, *in Elogiis præſtantium Theol. fol.* 14. Martinus Delrio, *Diſqviſ. Magic. lib. IV. c.* 1. *quæſt.* 3. *ſect.* 5. *fol.* 582. Flor. Ræmundus, *de ortu & progreſſu hæreſ. lib. I. c.* 5. Anton. Senenſis, *in Bibl. Ord. Prædic. Pariſ.* 1585. *ed. fol.* 109. Ambroſius Gozzeus Rhaguſ. *in Catal. Dominican. illuſtr. Venet.* 1605. Abr. Bzovius, *Tom. XVIII. Contin. Baron.* Joh. Wolfius, *Tom. I. Lect. Memor. Cent.* 15. *fol.* 926. Flac. Illyricus, *in Catal. Teſt. Verit. num.* 396. *fol.* 825. Conr. Geſnerus, *in Bibl. univerſ. fol.* 328. Joh. Henr. Hottingerus, *Hiſt. Eccleſ. Sec. XV. ſeu p. IV. fol.* 62. & Lud. Bail, *in Biblioth. Concionat, p. III. cap.* 73. *f.* 349.

MANTISSA.

CONſimilis ferè calamitatis aleam ſub ejuſdem ſeculi decimi qvinti initium ſubiit, JOHANNES HUSSUS, poſtqvam & ipſe exi-

eximia qvæqve Conſtantiæ & magnanimitatis ſuæ ſpecimina apud Pragenſes edidiſſet, atqve imperterritam planè in corripiendis Clericorum perverſorum moribus præ ſe tuliſſet parrheſiam. Eò ſiqvidem Epiſcoporum flagitioſorum crudelitas evaſerat, ut monitores zelo pio ferventiſſimos, nec tolerare diutius, nec veritatis [ore ipſorum firmatæ] præconium ferre patientius potuerit, qvinſpotius graviſſimis injuriis ac probris innumeris exagitatos, infamique hæreſeos ſtigmate notatos Prædicatores, extremæ dare ſtatuerit internecioni. Qvamprimum Huſſi magnanimi monumenta, ſcriptis ac teſtimoniis multorum, nobilitate, eruditione atqve pietate præſtantium virorum ſociata, meo obveniſſent obtutui, etiam atqve etiam deprehendi, fortiſſimum illum athletam, vix aliam ob cauſam horrendis adeò procellis infeſtatum, & ad ignis ſupplicium tandem condemnatum fuiſſe, qvam qvod inſolitũ planè in caſtigandis Clericorum perverſorum moribus zelum oſtenderet, & veritatis patrocinium (qvò ferè nihil mundo eſt odioſius) ad *gemini* JOHANNIS, Baptiſtæ ſcil. & Chryſoſtomi exemplum, & ipſe in ſe duxiſſet ſuſcipiendum. Tum eqvidem maximè, contrariæ partes in eum armari cœperunt, & contra tertium illũ JOHANNEM copiæ malignãtium inſurrexêre, qvam primum ſummam

Confer Johan. Huſſi & Hieron. Prag. Hiſtor. & Monum. edit. Norimb. 1558.

CAR-

CARNALIUM SACERDOTUM ABOMINATIONEM ore pariter ac calamo eſſet inſectatus; atqve ſumto ex V. Hoſ. capite exordio; *Audite hoc Sacerdotes, qvoniam laqveus facti eſtis ſpeculationi, & ſicut rete expanſum ſuper Thabor, &c.* hinc inqvam ſumto dicendi exordio, extremam Ordinis Eccleſiaſtici corruptionem detexiſſet, & graphicè admodum perverſos Doctores (qvi laqveus populi exiſtunt) depictos dediſſet. Graviſſimè illos incuſaverat, *qvod odio pluſqvam vatiniano proſeqvantur & impediant Prædicatores veritatis, & ſub pietatis ſpecie ſua ſemper quærant, non qvæ J.C. &c. Primum enim* (addebat notanter) *faciunt manifeſtè, & ideò dicit* (Propheta) *ſimpliciter facti eſtis laqveus; ſecundum faciunt palliatè, ſub ſpecie pietatis, ideò dicit; ſicut rete expanſum.* Acriter dehinc invectus eſt in Sacerdotum & Monachorum turpes æmulationes & odia, qvibus Eccleſiam turbare non deſinant, inſolentiamqve & ſuperbiam plerorumqve magno fervore caſtigavit, qvod ſc. ii, qvi rerum in Eccleſia potiuntur, ſemetipſos intrudant, vocent, atqve ſubinde viam præcludant doctis & bonis viris ne promoveantur. *Appello* (ajebat) *Conſcientias veſtras, O Sacerdotes & Clerici in Eccleſia JESU Chriſti, videamus fideliter, ſicut exſpectamus à DEO videri in occurſu mortis noſtræ; Quis nunc graditur ad gradus vel aſcendit ad*

Extat Johan. Huſſi Tract. de Sacerdotum & Monachorũ horrenda abominatione opp. fol. 376. & 380. ſeqq.

cap. 17. fol. 382.

Tem-

Templum Dei per viam JESU Chriſti? Quis, inqvam, nunc in veritate & ſine ſimulatione humilis trahitur ad gradus Eccleſiæ? Vel qvis vocatur invitus, vel qværitur abſconditus? aut qvis venit ex ſola obedientia vocationis? Cui enim nunc poteſt eſſe dubium, qvod ſi qvis ſit vir ſatis humilis & conſcius ſuæ imperfectionis, expectet ſeipſum vocari ad ſacerdotium vel officium aut hujuſmodi, nullam promotionem ſui, nullum ſignum, nullumq; vel modicum amicum procurando ſe velle vocari, qvod modo non eſt, qvi talem exqvirat vel vocet. De pudendo autem Sacerdotum in Eccleſiam ingreſſu porrò conqveſtus eſt hunc in modum: *Intraverunt ad gradus & officia Eccleſiæ, non per viam JESU Chriſti, ſed adſcenderunt aliunde, id eſt, non Charitate Domini JESU & proximorum urgente ſalute, ſed cupiditate inſtigante, non vocati à Chriſto, ſed ſe ipſos ingeſſerunt, ideo etiam jam adepti iſtos gradus, non principaliter curant qværere ea quæ ſunt JESU Crucifixi, aut in talibus delectari, ſed quæ ſua ſunt &c. Multum congrue tales cupidos & molles Sacerdotes per mulierem fornicariam Scriptura deſignavit.* Nec minus in hypocritas Clericos & qvæſtuarios Monachos ex pietate qvæſtum facientes graviter declamavit: *Væ væ illis, qvi faciunt multas promiſſiones in populis, & excogitant atqve adinveniunt multas juſtificationes peccatoribus, in*

Jo. Huß. l. d. Cap. 21. p. 397.

qvi-

qvibus Chriſtiani amici hujus vitæ reqvieſcunt, donec in inferno oculi ipſorum aperientur. Qvapropter væ illis ſupra modum, qvi faciunt tales promiſſiones & juſtitias propter qvæſtum, qvalemcunqve, veluti eſt promiſſio multarum Indulgentiarum in feſtis ſuis vel locis, ut habeant per hoc nomen, & præ aliis accurſum & applauſum populorum. Eâdem parrheſia Huſſus deinceps Clericorum detexit hypocriſin, eamqve haud abs re *nefandam Dæmonum operationem, neqvitiam perfidam, occultam tamen & inſcrutabilem* appellavit, imò *Prælatos Eccleſiarum pejores Judâ proditore, Caipha & Pilato eſſe pronunciavit, ſiqvidem omnia impunè patrent delicta & flagitia, ac mirabilibus fucis ſint tecti & præſtigiis, &c.* *Cap. XXX. f. 406.*

Hinc illæ Clericorum malè ſibi conſciorum lacrymæ! hinc acerbiſſima odiorum & inimicitiarum jacula, & atrocis INVIDIÆ ſpicula in ardentiſſimum Prædicatorem Huſſum ſunt evibrata. *Qvamdiu etenim* [ita in vetuſto operum ejus Codice notanter legitur] *Magiſter Joh. Hus in ſcelera Ordinum ſecularium hominum acriter prædicando invehebatur, omnes dicebant Spiritum ſanctum ex eo loqvi; at cum in Clerum convertit ſermonem & ſtilum, tum ulcus tetigit, & malè audire cœpit.* Factum tandem, ut nonnulli eum ad Johannem XXIII. Papam tanqvam *Hæreticum* detulerint, qvi audita accuſatione diem Huſſo di- *Conf. præfat. Opp. Huſſi præfix. a. 3. 6.*

 xit,

xit, qvâ in Curia Romana ſiſteretur, & qvamvis ante conſtitutum tempus per idoneos & legitimos Procuratores firmiſſimis rationibus ſuam probaverit innocentiam, eaqve fretus exiſtimaverit ſe facilè impetraturum, ne coram adeſſe cogeretur, odio tamen & Invidiâ Clericorum eſt effectum, ut Præco magnanimus [cum Romam ad diem conſtitutum non veniſſet] contumaciæ & hæreſeos ſtigmate notatus, publicèqve fuerit excommunicatus. Mandatum ad hæcProcuratoribus, ut à Huſſi deſiſterent defenſione; ſed eum illi inſtare pergerent, conjecti in carcerem, mulctatiqve ſunt graviſſimè, qvemadmodum ipſe prolixè in qvodam ſcripto de initiis, occaſione, progreſſuqve certaminum ſuorum commemoravit. Tam indignis itaqve modis habitus, ad univerſale Concilium appellavit; Id cum Conſtantiæ tandem anno 1414. eſſet indictum, & Huſſus nomine & mandato Imperatoris literas (qvibus publica fides continebatur) accepiſſet, iter Conſtantiam ad reddendam fidei zeliqve ſuirationem inſtituit. Sed cum eam urbem hoſtis Huſſi implacabilis, Stephanus Palez [in qvem maxima ille beneficia contulerat] acceſſiſſet, & ſociata cum Michaële de Cauſſis operâ, varia in Huſſum crimina confinxiſſet; factum tandem, ut de captivando viro optimo Patres Conſtantienſes primum deliberaverint, deinde

Conf. Opp. & Monument. fol. 86.

inde in qvoddam Dominicanorum Monaſterium translatum arctiſſimè cuſtodiri præceperint, poſtremo decreverint, aut ſe reum fateretur Huſſus eorum criminum, qvorum erat accuſatus, illaque abjuraret ac retractaret, aut igne ſe exuri pateretur, ſed cū in Judicum ſententiâ ille acqvieſcere nollet, neq; ea, qvæ Verbo Dei congrua prædicavit, abjurare, factum, ut primum ſacerdotali dignitate privatus, mox ductus ad ſupplicium, ſummaqve iniqvitate ſit combuſtus. Quâ verò, conſtantia & animi magnitudine necem tulerit ardentiſſimus ille Præco, multivaria Hiſtoriæ Bohemico-Eccleſiaſticæ monumenta clariſſimè loqvuntur, ea præſertim, qvæ anno ſuperioris ævi LVIII. Norimbergæ cum Huſſi operibus ſcriptisq;, & teſtimoniis multorum nobilitate, eruditione atqve pietate præſtantium virorum lucem publicam aſpexerunt.

* * *

COMMONEFACTIO XXIII.

SALAMANDRA LITERARIA, ET DOXOSOPHUS LITIGIOSUS,

SIVE

DE EXTREMA CONTENTIONUM ET VITILITIGATIONUM LITERARIARUM PERNICIE.

Ad Commentat. V. num. III. & ſeq.

I.

QVandoqvidem aut nullus omninò, aut valdè anceps, & dubius medelæ ſit locus, ubi per lõgiores moras multamq; temporum ſeriem mala invaluére;non eſt profectò,ut CORPORIS LITE-

RA-

RARII, ex inveteratâ litigandi libidine, continuisqve Eruditorum hominum concertationibus afflictiſſimi reſtitutionem, ſive mutationem in melius ſperemus prius, qvam noxium illud perniciofumqve CONTENDENDI ſtudium eliminetur penitus atqve emendetur. Teſtatiſſimum ſanè eſt, eum morbum cum ipſis propemodum REIPUBLICÆ Literariæ incunabulis non doctrinæ adeò, qvam docentium qvorundam vitio procacitateqve invaluiſſe, nec litigantibus ſolũ partib⁹, ceu membris, verum corpori ipſi à longo ſeculorum decurſo tempore funeſtiſſimum exitium interminaſſe. Eqvidem PYTHAGORÆ ætate, malum illud admodum regnaſſe, ejusqve ſectatores graviſſimas lites, cum aliarum partium fautoribus agitaſſe, ex Porphyrii indicio cognovimus; Cumprimis verò Cylonem qvendam Crotoniatem pudenda adeò animi in Pythagoram commotioris documenta dediſſe accepimus, *ut amicis* in unum coactis graviſſimè criminari cœperit Virum integerrimum, & ſerram vehementiſſimæ contentionis cum eo reciprocare, aſſeclas verò ejuſdem & familiares in Milonis athletæ ædibus congregatos, [abſente tum, & fugâ ſibi conſulente Pythagorâ] igne immiſſo exuri, qvosdam & lapidibus obrui curarit. Qvadraginta ad eum modum ex inſidiis circumventos, & interemptos fuiſſe

Porphyr. de vit. Pythag. p m. 205 ſeqq.

Pythagoræ diſcipulos & familiares, ipſum vero Magiſtrum ex incendio Cylonis ægrè elapſum, familiaribusqve omnibus deſtitutum, præ animi mœrore ſemet ipſum è vivis ſuſtuliſſe author laudatus memoravit. Tantum verò abeſt, ut ſive Cylonis contentioſi dedecore & probro, ſive Pythagoræ exitio miſerabili, cautiores facti ſint ætatis inſeqventis Philoſophi, ut vehementiori etiam animorum impetu invicem ſint digladiati, Sophiſtæ cumprimis [ut alibi diximus] ex impotenti illâ rixandi ac contendendi libidine, nomen CONTENTIOSORUM tanqvam proprium retulerint. Nec minus conſtat, pleroſq; priſci ævi Philoſophos, eo morbo graviter adeò laboraſſe, ut continuas inierint altercationes, turbinibusqve graviſſimis ita fuiſſe agitatos, ut nunqvam ad optatam illam, & ore non minus qvã calamo ipſorum celebratam animi tranqvillitatem adſpirare potuerint. Et cũ in qvâlibet ſectâ (Pythagoreâ tantum & Epicureâ exceptis) à præceptoribus ſtatim diſſentire cœperint diſcipuli, mirum adeò non eſt, qvod ſplendidiſſimæ Sophorum Gentilium familiæ haudqvaqvam durarint diutius, ſed pernicioſiſſimis diſſidiis deinceps conſumtæ fuerint atqve diſſolutæ. Qvidqvid initio amicabilis docentium diſcentiumqve conjunctio firmavit ac roboravit, id ſæva & ima-

Comment. V. p. 577.

Confer Perer. Phyſ. p. 240. & 241.

manis illa beſtia, altercatio ſcil. literaria mox diſperſit atqve extinxit. Sanè ſi Præceptorum ac magiſtrorum ſuorum dogmatibus olim conſtantius inhæſiſſent diſcipuli, nec ſucceſſores ab anteceſſoribus mortuis (vel etiamnum ſuperſtitibus) temerè diſſentire cœpiſſent, fulminantes adeò miſerias haudqvaqvam adſpexiſſent, nec tot tantosqve ſapientia oſores & roſores maledicos fuiſſet indepta. Si apud omnes veteris ævi Philomuſos decantatiſſimum illud αὐτὸς ἔφα IPSE DIXIT, tantum habuiſſet ponderis, qvantum apud Pythagoreæ ſcholæ alumnos, & qvod ſemel ſolidiſſimarum rationum fundamentis adſtructum fuerat, nullis poſtea ratiuncularum adblandientium illecebris, nullis oppugnationum jaculis & catapultis potuiſſet infirmari, ſi deniqve perpetuam ingenia concitatiora ſibi indixiſſent diſſentiendi taciturnitatem; neutiqvam Philoſophia optima tam miſerè diſciſſa, tamqve atrocibus ignarorum & ignavorum judiciis fuiſſet expoſita; nec minus & ipſi doctrinarum Principes, imperturbatæq; tranqvillitatis præcones, longè felicius atqve facilius ad ſplendidam illam ſummæ felicitatis [toties à ſe decantatæ] ſedem deveniſſent, atqve multo certiori colligendæ ſuo tempore meſſis ſpe, ſapientiæ ſemina projeciſſent. Peſſimè eqvidem cum Academicis æqve ac Dialecticis, Cyrenaicis pari-

Heinſ. l. 1. de Satyr. Horat. p. 80.

ter ac Cynicis (qvos præ reliquis omnibus valdè rixoſos extitiſſe doctiſſimus Heinſius oſtendit) ipſisqve adeò Stoicis actum fuit, qvamprimum in partes varias ſunt diſſciſſi, & toto licet cœlo invicem diſcrepantes, ad unum omnes pallio Socratico velari affectarunt.

II. Sicuti verò cum ipſis philoſophiæ profanæ incunabulis, damnificum illud litigandi ſtudiũ invaluit, ita vetuſtiſſimos etiã pſeudo-Doctores Chriſtianos, Eccleſiarum turbatores, atqve cœleſtis veritatis corruptores, ſatanæ fraude, affectuumq; importunitate tanta contendendi lubido invaſit, ut à rixis & concertationibus gravioribus illi neutiqvam ſibi temperare, nec ſingularia pugnarum ſpectacula ſubterfugere potuerint, qvi Chriſti mitiſſimi diſcipuli, & doctrinarum ſalviſicarum Magiſtri audire voluerunt. Qvid, qvod qvam plurimi nihil non ætatis & ſudoris in eam gladiaturam projicientes, ſacro ſuo & verè chriſtiano officio penitus defuerint, & exitiali furialiqve illo morbo miſerrimè laborantes, omnem medelæ ſalutiferæ præcluſerint locum. Nemo eqvidem, cui pectus atrum non ſit atqve adamantinum, ſine gemitu triſtem intueri poteſt priſcæ Eccleſiæ, ſchiſmatibus & contentionibus turpiter laceratæ ſtatum, in qvem rixoſorum qvorundam do-

xoſo-

xoſophorum culpâ devenit, qvi nunqvam in portu, ſemper in fluctu verſantes, tempeſtates & calamitates graviſſimas duxêre concitandas, donec eas triſte Eccleſiarum & animarum exitium excepiſſet, ipſiqve Doctores turbulenti mutuis ictibus penitus confecti eſſent atqve confoſſi. Qvod ſi illi ſerio (uti apprimè decuiſſet) mala, à furiali & infernali illo monſtro, Contentione ſcilicet, promanantia ſibi revocaſſent ad animum, atqve luctuoſiſſimis ethnoſophorum caſibus ac periculis rectius fuiſſent edocti, non facilem adeò amarulentis concertationibus dediſſent locum, atqve magis amicabili animorum ſtuduiſſent conſociationi. At enim verò, cum pacis & concordiæ reſtabiliendæ cuſtodiendæqve cura pauciſſimos, aut omninò nullos tangeret, factum, ut in immenſum diſcordiarum creverit malignitas, & ſchiſmatici Doctores ut plurimum nominibus qvaſi teſſeris & characteribus diſtingvi cupiverint, èqve contentione immodicâ in vehementiſſimas tranſierint colliſiones. Atqve ut de litigioſis illis Eccleſiarum turbatoribus ſophiſtiſqve hæreticis (qvorum ubiqve longæ extant deſignationes) nihil dicamus amplius, placet recentiorum qvorundam, & minimè humanorum humanitatis cultorum malignitatem magis in apricum producere, atroqve eos notare carbone, qvi contentionis maleſanæ ſpiritu

agitati, graviſſimas in Regno Literario turbas, atqve vehementiores animorum motus dictis ſcriptiſqve ſuis duxêre concitandos.

III. Ex memorabili Jo. LUDOVICI VIVIS indicio conſtat, inter complures Rixatores literatos ævo ſuperiori eminuiſſe, multisq; aliis contentionis palmam præripuiſſe, virulentiſſimum illum Eraſmi adverſariũ STUNICAM, qvippe qvi pati neqviverit aliqvos eſſe inter ſe amico animo, laboraſſe eum ſemper omniqve virium niſu contendiſſe, ut non tantum amici disjungantur, verum etiam invicem committantur. *Hoc dixerunt mibi* (addit notanter Vives) *qvos ipſe ex conjunctiſſimis infeſtiſſimos inimicos reddiderat, Megeram dicas non hominem, cum virulentiſſimum librum edidiſſet in Fabrum, animos multorum ita irritavit, ut amici etiam intimi ab eo fiat alienati.* Novit eqvidem hoc ipſum qvo vivimus ævum, non paucos ejuſdem planè farinæ homines literatos, qvi anſas odiis ac ſimultatibus præbere ſolent impiâ ſubtilitate, qviqve rixis & diſſenſionibus non aliter qvam ſvaviſſimo qvodam cibo paſcuntur, & vel datâ operâ diſcordiæ ſemina ſpargunt, vel ſparſa ſingulari ſtudio augent aluntqve. Qvid, qvod in ipſo Eccleſiaſtico, Deoqve ſacrato Ordine non pauci inveniantur, qvi à diſcordiarum contentionumqve principe miſerè agitati, odia vehementiſſima ferere, bella excitare,

J. Lud. Vives epiſt. pecul. ad Eraſmũ Rot. quæ extat Opp. Tom. II. p. 963.

re, inqve populis claſſica canere haud verentur? *Qvam verò eſt deforme* ([en Vivis modo laudati verba notatu digniſſima!] *qvam turpe, abominandum, nefarium, impium, ſacerdotem Chriſti & Dei omnipotentis, occaſionem ullam bello & rixis & diſcordiæ præbere, vel aliunde ſubortam atqve exiſtentem, non protinus evellere, etiam cum ipſis fibris. Ex eis ſunt nonnulli qvi conviciantur, rixantur, & manifeſta odii ſui ſigna proferunt, ii exemplo atqve incitamento ſunt ſpectatoribus ad ſimilem deformitatem, - - tum detrahunt fidem atqve authoritatem ſacris monitis, & operi ſanctiſſimo ac omnium utiliſſimo: ipſos decet præſtare primos ad qvæ hortantur, ſic mundus converſus eſt ad rectam pietatem, qvum homines viderent eoſdem ſe habere operis authores, qvos conſilii, nec ab oratione vitam diſcrepare, &c.* Et cum paci atq; charitati chriſtianæ nihil contrarium magis atqve inimicum ſit, qvam odium & diſſenſio, nec aliqvid DEO magis adverſum; haud obſcurè colligere licet, qvem in cenſum referendi, vel qvo loco illi habendi ſint pſeudo-doctores, qvi odii lolium ſegeti chriſtianæ ſuperinjicere non dubitant? FILII nimirum ſunt diſcordiarum Principis, ſicuti pacifici à Salvatore ipſo filii Patris cæleſtis ſunt nuncupati. *Qvis non excitetur ad tam amplam excelſamqve nuncupationem, ad incredibilis dignitatis participatum? Qvis non velit*

J. Lud. Vives in libro de pacificatione, Opp. Tom. II. p. 877.

Confer eund. l. c. p. 865.

velit coadjutor eſſe tanti Regis, cui Pater mundum univerſum atq; angelos ipſos ſubjecit, qvis non tanti præmii cupiditate incendatur atqve inflammetur?

IV. Legimus qvoſdam ex philoſophorum gentilium cœtu à rixis & contentionibus tantoperè alienos fuiſſe, ut nullam eruditionem vel percipi ac teneri, vel ad alios perferri poſſe ſine pace & animi qviete edixerint. Hinc ISIDORUM, magni nominis philoſophum, *ita erga omnes affectum fuiſſe* vitæ ſcriptor prodidit, *ut neqve CONTENTIONES amaret, neqve inimicitias ſponte ſuſciperet, promptiſſimum etiam extitiſſe benè de aliis merendo, & erga omnes facilem ſe comemqve præbendo.* Congenita ſiqvidem lux philoſophum illum docuerat, nihil barbarius eſſe qvam pugnis delectari, inimicitiis, & commiſſis ad crudelitatem mentibus, tantis malis morbisqve liberum animum demum ad recipienda artium ſcientiarumq; optimarum ſemina eſſe aptiorem, nec aliud qvid eruditum in ſcholis diſcere, qvam ruditatem illam exuere & tenebras, & barbariem pudendam; hanc operam dandam eſſe philoſophis omnibus, ut ſi qvid vel à natura inditum ſit, vel ab inſtitutione acceptum, vel ab uſu confirmatum mite, ſvave, amabile, humanum, id foveant, nutriant, confirment. Et cum in hoc parata ſit omnis eruditio, ut tanqvam compoſi-

Apud Photium in Biblioth. Cod. CCXLII fol. 364.

poſitio qvædam ſit animi, & aptatio ad virtutem, ut mens per doctrinam purgata atqve exculta excipiendæ virtuti magis accommoda atq; idonea exiſtat, hinc Iſidorus ille laudatiſſimus, ſollicitam operam ſibi navandam eſſe atq; ſtrenuam reputavit, ne mens ſua, philoſophiæ ſtudio apprimè dedita, in vitiorum & ſcelerum omnium inſtrumentum cōmutetur, qvandoqvidem ex ſapientiſſimorum hominum judicio, crimen nullum aut ſcelus inveniatur, cui odium, diſcordia & contentio [genimina qvippe hæc ſunt viperæ illius infernalis SUPERBIÆ, unde reliqva omnia ſcelera oriuntur,] viam non aperiant. Qvam indecorum verò chriſtiano philoſopho, Deoq; ſacrato homini circa pacis & concordiæ ſtudium conſervationemqve ea neglexiſſe, qvæ profanâ religione imbuti pagani, ſollicitè adeò duxêre obſervanda. Qvalem obſecro, olim ſupremo Judici reddituri rationem ſunt pſeudo-chriſtiani illi rixarum contentionumqve propudioſarum ſive fautores ſive authores, qvi ne graviſſimis qvidem priſcorum doxoſophorum pœnis atq; periculis ad manſvetudinem, literatos decentem chriſtianos, formari atqve incitari potuêre. Conſtat eqvidem, ſolennes qvoſdam literatorum hominum congreſſus non aliâ de cauſâ inſtitutos fuiſſe, qvam in manifeſtam partis alterius confuſionem. Ad hunc maximè ſcopum colli-

lima-

limavit concertatio illa *Fontisbellaqveenſis*, qvâ Perronius id unicè egit, ut Philipp⁹ Mornæus ob ſcriptum qvoddam gallicè latineqve editum, ſtigmate deceptoris atqve impoſtoris nefarii, ipſo Rege præſente notetur, omniumqve exponatur irriſioni. Receperat nimirum Ebroicenſis ille, ſe oſtenſurum, pluſqvam qvingenta ſcriptorum veterum loca ab Auctore depravata, & in ſenſum alienum traducta fuiſſe, poſtqvam octodecim menſes in hanc unicam curam inſumſiſſet, ut ſi qvid in Pleſſæi libro vel *ὄντως vel φαινομένως μεμπτὸν* ineſſet, omne rimaretur, & in gloriæ ſuæ materiem converteretur, qvin imò incom̃odo adeò tempore Mornæum ejuſqve ſtudia urſerat Perronius, ut horâ demum primâ noctis, loca (non qvidem qvingenta ſed novem tantum) exhibuerit leviter notata, ad qvæ ipſi, libris omniqve apparatu deſtituto, die inſeqventi erat reſpondendum. *Eqvidem in lacrimas prope adducor* [ſcribit ad Scaligerum Caſaubonus] *qvoties ſubit animo triſtiſſima illius diei ſpecies, cum de ingenuâ nobilitate, de excellenti ingenio, de ipſâ deniq; veritate pompaticè adeo vidi triumphatum* --- *Propter hoc negotium tot calumniis noſtra integritas eſt appetita, ut ſeculi infelicitatem & averſa à ſimplici vero ingenia hoc maximè experimento cognoverim.* Eum nimirum in finem Perronius cum Mornæo (veluti Diomedes cum Glau-

Caſaub. ep. 209. ad J. Scal.

Glauco)congrediebatur,ut protenus eum exarmatum, oriſq; ſui contentioſi gladio confe-ctũ objicere Regi poſſet. Ad cujus exemplum non pauci noſtro etiam ævo Literati, publicis etiam congreſſibus in æmulorum ſuorum dejectionem incubuêre: Ac licet res grandi initio apparatu, grandioriqve expectatione ſit inchoata, plerunqve tamen in contentionis pudendæ, deteſtandæqve procacitatis fumum abiit; qvando partes litigantes ſeſe invicem turpiſſimè denigrarunt, ſpiſſisqve etiã voluminib⁹ Orbi teſtatũ fecerunt, qvanta benevolentia ſe invicem eſſent complexæ. *Eſtne verò hæc exercitatio ſapientiæ* (dico cum cordatiſſimo Vive) *eſtne hæc profeſſio veneranda* [Chriſtianæ] *diſciplinæ? Qvid non inveniant homines contra homines, ſi in hoc penitus & ſemper incumbant,* nimirum, qvâ ratione ſe mutuò conficere, ſaltim expeditè rixari, garrire, ferire qveant. Ad animum ſibi tales revocent memorabilem illam hiſtoriam de duob⁹ fratrib⁹ Anglis; altero *Johanne Raynoldo,* extra Angliam in Caſtris Romanenſium educato, altero *Gvilielmo Raynoldo,* religioni reformatæ tam addicto qvam infenſus ei frater fuerat: Hi inqvam fratres cum in unum fortè fortuna locum conveniſſent, ut alter alterum ad ſuam religionem pertraheret, factũ eſſe conſtat, ut in eo contentioſo fratrum concurſu uterqve & ceciderit & vicerit, Gvilelmus

Vives lib. I. de cauſis corrupt. artium, Tom. I. opp. p. 346. Confer Michonii epiſt. de ſeceſſione ab Eccl. R. p. 295.

lelmus nimirum ad Romano - Catholicos tranſiverit, Johannes ad Proteſtantes, hic Puritanorum anteſignanus; ille mox famigeratiſſimi ſcripti (qvod ſub Calvino-Turciſmi titulo prodiit) author evaſerit. Sic FRANCISCUM DAVIDEM, infeliciſſimum & contentioſiſſimum illum deceptorem Tranſilvanum [qvi ſcriptis & diſputationibus pernicioſis ſinceritatem evertere, & optimos qvosqve lacerare ſtatuerat] tandem ex mœrore in inſaniam incidiſſe, & inter aſſidua ſpectrorum terriculamenta infelicem animam emiſiſſe accepimus. Qvi obſecro fieri poteſt, ut Literati homines cum recordantur tot malorum contentioni finitimorum, habeant tamen reliqvum aliqvid, cur jucunda ſibi impoſterum eſſe concertatio poſſit, & hic communis aër gratus, qvem ipſi tot contentioſis verbis primum, hinc fœdis etiam facinoribus contaminarunt? In qvem etiam cenſum referendæ futiles illæ de rebus exigui momenti qvæſtiones, non niſi rixas & lites parientes, ipſasqve ſapientiæ ſcholas & Lycea chriſtiana ita occupantes, ut fructuoſis diſqviſitionibus vix ullus relinqvatur locus, & qvæ longè majori cum fructu inſtitui poſſint animi exercitationes, penitus negligantur. *Multi multum diſputant*, inqvit D. Auguſtinus, *de iis rebus, qvas majori prudentia noſtri authores omiſerunt, ad BEATAM VITAM non* *pro-*

Confer Spondã. Annal. Tom. III. ad Ann. 1579. *num.* 18.

Auguſt. lib. II. de Gen ad lit. c. 49.

Profuturas diſcentibus, & occupantes, quod pejus eſt, multum pretioſa & rebus ſalubribus impendenda temporum ſpatia. Ferunt Gorgiam, qværenti, cur fabæ ventrem inflent, & non ignem ſcitè reſpondiſſe; *Iſtud Tibi reſpiciendum relinqvo; cæterum ſcio terram adverſus ejuſmodi homines producere ferulas.* Nec minus ſapienter Seneca; *Qvid Te torqves* [ait] *& laceras* in qvæſtione, qvam *ſubtilius eſt contempſiſſe, qvam ſolvere.* Et alibi, falsè ridens ſtudium inane Didymi Grammatici, qvem conſtat qvatuor voluminum millia conſcripſiſſe; *Miſer* [inqvit] *ſi tam multa SUPERVACUA legiſſet; In his libris de patria Homeri qværitur, in his de Æneæ matre verâ, in his libidinoſior Anacreon an ebrioſior vixerit, in his an Sappho publica fuerit, & alia, quæ erant dediſcenda ſi ſcires. I nunc & longam eſſe vitam nega. Sed ad noſtros quoque cum perveneris, oſtendam multa ſecuribus recidenda. Magno impendio temporum, magna alienarum aurium moleſtiâ, laudatio hæc conſtat: O HOMINEM LITERATUM! ſimus hoc titulo ruſticiore contenti: O VIRUM BONUM! Itanè eſt? annales evolvam omnium gentium, & qvis primus carmina ſcripſerit, qværam: qvantum temporis inter Orphea interſit & Homerum, cum faſtos non habeam computabo: Et Ariſtarchi notas, qvibus aliena carmina compunxit, recognoſcam:*

Senec. epiſt. 88.

Et ætatem in ſyllabis conteram? Itanè in Geometriæ pulvere hærebo? Adeò mihi præceptum illud ſalutare excidit: TEMPORI PARCE? Qvodſi vix toleranda in priſcis Ethnoſophis fuit acris contentio de Achillis & Patroclis ætate, de matre Hecubæ, de Helenæ poſt aurem macula, multò indignius omnino & indecentius fuerit, in ſcientiis ſeverioribus, imò divinis etiam, nonniſi ludicras & ſupervacaneas moviſſe controverſias, in qvarum tamen ſolutione nullus gloriari poſſit, ſe veritatis lucem aſſecutum fuiſſe. Qvorſum ludicrarum ejuſmodi rerum cognitio? Qvorſũ tanta lingvæ eruditæ facundia, ſi iis bonis nõ niſi ad frivola argumenta pertractanda, ad excitandas aut alendas diſſenſiones docti homines turpiter adeò abutantur? Qvid fœdius eſt, aut à Profeſſore humanitatis alienius? Qvid verò eo Doctore amabilius, aut ſvavius, qvi totus in fructuoſis laborib⁹; in ſarciendâ & conſervanda concordiâ occupatur, qvâ in re melius aut ſe dignius exercebit acumen illud ingenii ac judicii; Qvomodo conqviſitam rerum & verborum copiam, diſertiqve ſermonis eloqventiam felicius collocabit? Nihil profectò æqve facere debet vir doctrinæ multijugæ apparatu inſtructus, qvam homines pro virili ſua exhortari ac compellere ad concordiam, hoc eſt, ad qvandam Dei ſimilitudinem ſustol-

tollere & conjunctionem. Hoc demum eſt fungi hominis verè eruditi ac ſapientis officio, & gratiam qvodammodo referre ei, à qvo cunctas ingenii ſui doctrinæq; reconditæ facultates accepit. Tùm demum Homo literatus de conſcenſo veræ FELICITATIS literariæ faſtigio ſibi gratulabitur, ſi non ipſe ſolum inimicitias & diſſidia haud ſecus ac caput & ſeminarium vitiorum omnium ex animo deteſtatus fuerit, verum etiam [divino fretus ſubſidio] alios eodem adduxerit, qvo ipſe pervenit, hoc eſt, veram & imperturbatam animi tranqvillitatem.

V. At enim verò, ubi reperias facilè Doxoſophorum litigioſorum qvempiam, qvi agnito errore ſuo, optatiſſimam illam attingat felicitatis metam, atqve de emendatione ſeria cogitet? Adeò difficilis (ut ſupra innuim[9]) morbi ejuſce eſt curatio, ut tantũ non penitus conclamata videatur. Et cum nullâ non ætate gliſcere cœperint, inqve nervum proruperint lites Doctorum Chriſtianorum vehementiores, non erit qvod imperturbatam ævo noſtro promittamus tranqvillitatem, putemusqve noviſſima hæcce tempora immunia prorſus fore à pernicioſarum iſtiusmodi contentionum malignitate, aut funeſtiſſimorum ſchiſmatum acerbitate penitus caritura.[10] Præclarè admodum Hilarius Pictavienſis, ſuorum æqve ac noſtrorum tempo-

rum,(ex freqventiſſimis concertationibus in-
feliciſſimorum) calamitatem depictur[9]; *Dum in verbis* (ait) *pugna eſt, dum de nominibus quæſtio eſt, dum de ambiguis occaſio eſt, dum de auctoribus querela eſt, dum de ſtudiis certamen eſt, dum in conſenſu difficultas eſt, dum alter alteri anathema eſſe cœpit, PROPE JAM NEMO EST CHRISTI.* Qvis
pacis & tranqvillitatis amantior, cum Gre-
gorio Nazianzeno, ob domeſticas Docto-
rū Chriſtianorum altercationes non ingemi-
ſcat, qvod ſc. illi qvaſi in nocturno prælio,
qvo hoſtes & amici non dignoſcuntur, tam
atrociter invicem huc uſqve ſint digladiati,
& Satanæ turbatoris aſtu peſſimè circumven-
ti, mutuis ſe ipſos confecerint vulneribus.

Fr. Sp. Epiſt. ad Amic. p.11. Fuit hæc indoles [ita non incelebris ævi hu-
jus ſcriptor] plerarumqve in Chriſtianâ Ec-
cleſia Contentionum, ut obſcurioribus ini-
tiis natæ, lentis ſæpè, ſæpè ſubitis auctibus
exierint in eas, qvas ſenſêre infauſta ſecu-
la calamitates. Ex ingeniorum colliſio-
ne ſcintillæ, ex ſcintillis ignes, ex his flam-
mæ populatrices, donec qvandoqve

Toto fluerent incendia mundo;

Alia ex aliis ut ex Hydræ trunco capita; ex
minimis plerumqve, ut ex Crocodili ovo,
maxima; error ex errore, lis ex lite; ex lo-
gomachiis infelices monomachiæ; ex con

tro-

troverſiis diſcordiæ, ex diſcordiis bella, ſed eheu plusqvam civilia, qvibus damnis mutuis certatur, qvod multorum eſſe dixit Comicus. Qvo magis id ipſum pii, & cum civilis, tum Eccleſiaſticæ tranqvillitatis amantes deplorant, eo ardentius DEUM precantur, ut poſitis odiis & non neceſſariis contentionibus, concordiam & veritatem cuncti ſectentur, & fidei unitatem ſimplici corde, ſine humanis adinventionibus amplectantur. Cui voto eventus certo certius reſponderet, ſi qvi ad lites ſive ſerendas ſive alendas ſunt procliviores, animo deinceps concitatiori temperarent, & calamo pungentiori, abdicatâqve omni dicteriorum acerbitate, de reducendis ad veritatis ſemitam errantibus, etiam atqve etiam eſſent ſolliciti. Ne magis magisqve ſuccreſcant peſtiferæ adeò animorum Chriſtianorum averſiones, omnisqve generis mala in agro Dominico porrò erumpant atqve propullulent, laborandum eſt, ne inconſultâ irâ & inconditis vociferationibus diſſentientes impetantur, ſed lenitatis, (Chriſtianæ fidei Profeſſores apprimè decentis) potiſſima diligentiſſimaqve ratio habeatur.

VI. Non poſſumus qvin è Literatorum cœtu DAVIDEM BLONDELLUM advocemus, locum illi conſpectiorem aſſignaturi in eorum ordine, qvi laboribus indefeſſis non niſi graviſſimam ipſorum fidei & profeſſionis

ſuæ ſociorum indignationem ſunt lucrati, tantasq; rixarum, contentionum, & odiorum procellas ſubiêre, ut tantum non ab ipſa felicitatis literariæ ſede miſerè ſint deturbati, qvam reconditæ eruditionis, pariter ac probitatis exploratæ adminiculo jam jam conſcenderant. Natione is Gallus erat, Patria Catalaunenſis, atqve tanta doctrinæ & eruditionis opinione, apud populares ſuos Reformatos Paſtorem per octo luſtra egerat, ut Synodorum tum Provincialium tum Nationaliũ plusqvam viginti Actuarius uno omnium conſenſu electus fuiſſe reperiatur; Ab Amſtelodamenſibus tandem ad Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ publicã profeſſionem honorificè evocatus, in ea ſtatione ad vitæ exitum uſqve ita ſeſè geſſerat, ut omnibus**, & primariis præ- [illegible] ſer-

* *Ille ego (ſcribit ipſe Blondellus in præfat. quã Apologiæ Dallæi adverſus Spanhemium præfixit) qui Synodo Provinciæ Franciceæ jubente, anno Domini 1614. miniſterio ſacro mancipatus integer vitæ, ſceleris purus, nulli fratrum moleſtus, nullis factionibus implicitus, - - ab anno 1618. comprobante Synodo, ſtylum pro Eccleſia & Republica non ſine fructu & gratulatione publica ſtringere cœpi, pluſquam vicies à Synodi Provincialis actis fui &c.*

** *Teſte Dallæo in Apolog. ſua vindiciis contra Mareſ. ſeu Epicritam part. III. c. 8. p. 442.*

ſertim cariſſimꝰ fuerit,& poſt fata maximū ſui apud illos reliqverit deſiderium : Is inqvam Blondellus, profundæ adeò eruditionis, præſertim Hiſtorico-ſacræ laudem obtinuit, ut adverſarii etiam ſui ore calamoq; * *noſtri ſeculi Photius, & omnis antiqvitatis qvoad vixit* βιβλιοθήκη ἔμψυχος ſit appellatus. Ea eqvidem, qvibus Orbi literato innotuit monumenta, nonniſi reconditam, & ex venerandæ antiqvitatis Eccleſiaſticæ arcāiſſimis receſſibus depromptam ſpirant eruditionē. Vaſtum de Primatu Eccleſiaſt. opus, qvod Gallico ſermone conſcriptum Cardinali Perronio oppoſuit, Apologia item qvam pro Hieronymi de Epiſcopis & Presbyteris ſententia, occaſione controverſiarum Anglo-Belgicarum adornavit, Pſeudo-Iſidorus item & Turrianus vapulantes, cum eruditâ diſſertatione alia (qva docuit: qvo tempore Principes ſuis reſcriptis ſubſcribere cœperint formulam : *Regnante Chriſto* &c.) effecêre, ut uno omnium ore eruditiſſimi, & in antiqvitate Eccleſiaſtica verſatiſſimi Viri ornatus ſit elogio, qvi parem in hoc ſtudio ætate ſua vix habuerit. Et-

* *Nimir. Sam. Mareſii, qvi initio amicum, poſtea ſatis hoſtilem adverſus Blondellum animum, tum in tertia contra Dalleum exercitatione, tum in Johanna Papiſſa reſtituta prodidit.*

Etſi verò laudatis ſuis pro ſacra & publicâ re laboribus plurimorum favorem gratiamq; reportaverit Blondellus, ODIIS tamen rixisqve ipſorum fidei & profeſſionis ſuæ ſociorum gravisſimis duplici nomine fuit expoſitus; altero, ob diſſertationem epiſtolicam, qvâ inſignem ſuam ERUDITIONEM [dicente nonnemine] τοῖς ἐξ ἐναντίας *præpoſterè commendavit*; altero, ab clancularium in Remonſtrantes favorem, qvibuſcum Amſtelodami familiariter verſatus, atqve doctrinæ in Belgio receptæ meditatus fuerit everſionem. Huic nimirum ſuſpicioni, atqve multæ adverſus Blondellum obtrectationi anſam cumprimis dedit præfatio, Apologiæ Dallæanæ adverſus Spanhemium præfixa, qvâ ſe à duro & diro contraremonſtrantium dogmate alieniorem, Dallæanæqve adverſus Spanhemium ſententiæ ſtudioſiorem eſſe demonſtravit. Ea propter graviſſimam Gomariſtarum [præſertim Mareſii] incurrit indignationem, nimirum, qvod conſcientia & pacis communis amore flagitante, eam ſententiam, qvam falſo oppugnari, cujuſqve nomine Eccleſias immerito turbari ſciebat, meliorem ſanioremq;, imò *piam & innocuam eſſe* præfatione illâ ſit conteſtatus, ſtatuiſſetqve *Synodum Dordracenam plura definiviſſe qvam debuiſſet. Religioſæ* item *politicaqve conſiderationes, qvas* fervente inter Anglos & Belgas

gas bello edidit, qvibuſq; paulò profundius, Reipublicæ in qvâ hoſpes erat, ſe immiſcuit, igni ardenti oleum ſuperaddidêre. Nullos itaqve non, concepto ſemel odio, fucos & colores inducere illi ſunt conati, qvi Blondellum limis oculis aſpexêre, nunc illi exprobrantes, qvod apud ignotæ lingvæ cives degens, uſus ſit homine Gallo cum Remonſtrantibus de religione ſentiente; nunc voces ejus cygneas ſummæ impietatis arceſſere, atq; damnare non dubitantes, qvinimò ipſi tumulo defuncti manus inferentes, ejuſqve præter humana divinaqve jura ſollicitantes memoriam. Acerbiſſimum hoc in fratrem etiam defunctum odium, etſi plurimorum invidiæ Blondellum expoſuerit, neutiqvam tamen ab ea literariæ felicitatis ſede illum deturbavit, qvam reconditæ eruditionis pariter, ac virtutis probitatiſqve ſuæ adminiculo conſcenderat. Illuſtria planè pacatioris ſui, & à rixis & contentionibus omninò alieni animi veſtigia in laudata occurrunt præfatione, qvam paulò ante ſuum ex hâc vitâ abitum, lumine oculorum jam jam privatus excudi curavit: *Se* (ait ibi) *divinâ providentiâ ad anni ſexageſimi tertii, qvi probis innumeris poſtremus fuerit, metas perductum, & immedicabili glaucomate ita percuſſum, ut ſeculum totum in tenebras ſit converſum, indeſinenter mo-*

 neri,

neri, ut per reſiduum vitæ ſpatium ſuperna ſolùm cogitet, nullum deinceps ſecundum carnem vel noſcat vel noſſe velit, dieqve ultima ſuæ reſolutionis inſtante, de vita minimè vitali à tergo relinqvendâ deliberet, & ad cœleſtem, vitæ nomine digniſſimam toto mentis niſu contendat. Et cum pios omnes ſingulosqve hæc una cura decoqvere & verſare debeat, ut vel in media delirantium colluvie ſibi & aliis ſapiant, malumq; bono ſuperare, & RIXAS CARNIS OPERIBUS ex Apoſtoli præſcripto annumerare diſcant; hinc ad eorum exemplum ſeſe compoſiturum, &c. Extrema tandem vota faciens, Deum rogavit, ut qvem donarit ſpiritum, in paternum ſuum ſinum recipiat, ſervumqve in pace dimittat, ut *ſalutare ſuum*, qvod nunc fide contempletur, illis ipſis, qvos manus paterna obtenebrarit oculis, ſine fine contueri poſſit.

VIII. Plura omninò Virorum doctrinâ literisqve illuſtrium exempla nobis ſuppeterent, qvi laboribus ſuis tantum non Herculeis, nil niſi graviſſima contentioſorum ſodalium odia ſunt lucrati, atqve periculoſæ admodum aleæ fuere expoſiti; verum cum maleferiatus ille genius omni terræ pudenda ſua veſtigia impreſſerit, non eſt qvod iis indagandis diutius immoremur. In partes tamen denuò vocandus, & ad ferendas adverſus contentioſos & cavillatorios Literatos ſuppeti-

petias invitandus eſt, Vir eruditione pariter ac animi moderatione ſingulari conſpicuus, D. HIERONYMUS HIRNHAIMIUS, qvi eleganti admodum meletemate rixoſam doxoſophorũ fœditatem eſt inſectatus, ſciteq; admodum commonuit omnes Viros Literatos, ne litigioſis & infructuoſis diſputationibus ita occupentur, atqve aſſveſiant, ut Salamandræ inſtar inde ſua qvaſi capiant nutrimenta, donec extremæ dentur internecioni.

HIERONYMI HIRNHAIMII

DE CONTENTIOSIS ET CAVILLATORIIS DISPUTATIONIBUS

MELETEMA.

INter ſcientiæ tumidæ ſoboles, ſtrepitu ſuo ſe mihi prodit Doctorum jactabunda & contentioſa diſputatio. Videtur qvidem Doctorum literatura plures vocalibus numerare conſonantes, tàm mutas qvàm liqvidas. Ego autem etſi magnam apud eos noverim eſſe ſonantiam; nullam tamen vel exi-

Ext. in Tract. de Typho Generis Humani, c. XXV. p. 268. ſeqq.

exiguam deprehendo literarum & ſententiarum conſonantiam; Nihil etiam video liqvidum, ſed omnia incerta & illiqvida. Nihil mutum, ſed omnia vocalia & clamoroſa. Rarò doctum ſilentii videas amatorem, ſed ſi modicam ſe inaniter venditandi occaſionem nactus fuerit, plenus verbis ſicut muſto qvod utres diſrumpit, ſe continere non poteſt, qvin omne qvidqvid habet in patulum effutiat. De Chriſto ſapientiſſimo ait Iſaias: *Non clamabit, nec audi-*
c. 24. *etur vox ejus foris.* *Verba qvippe Sapi-*
c. 9. *entum* ut ait Eccleſiaſtes *audiuntur in ſilentio* (hoc eſt ita modeſtè proferuntur, ut nonniſi in ſilentio poſſint audiri) *pluſqvam clamor Principis*, dicam ego ſuperbi Doctoris, *inter ſtultos.* At rara hæc ſilentioſa ſapientia inter doctos, omnes verbis perſtrepunt, omnes ut videri ita & audiri volunt, & aqvarum inſtar multo cum ſuſurro ſtrepituqve currentium, exiguam ſui ſenſus, judiciiq; profunditatē denotant, qvam è contra magnam ſibi ineſſe produnt *aqvæ Siloe*, qvibus

bus ſilenter docti comparantur, *qvæ vadunt cum ſilentio.* *Iſa. c. 8.*

Johannes à S. Geminiano, ſuperborum ſcientiam, qvæ ipſos inflat in corde, & tumidos reddit in locutione, comparat aqvæ montanæ, multo cum ſono perſtrepenti, & ſtrumas in gutture cauſanti. Aqva montium, inqvit, eſt ſcientia ſuperborum, qvæ ſtrumoſitatem facit in GUTTURE, id eſt tumorem in voce ſive locutione; Nam facit eos verba faſtuoſa & ampulloſa proferre, ſecundum illud Horatii: Projicit ampullas & ſeſqvipedalia verba. Aptat qvoqve ipſis illud Pſalmi: Sonuerunt & turbatæ ſunt aqvæ eorum. Item illud ex libro Job: Verba illius non ſonant diſciplinam. *In ſumã Exemp. lib. I. cap. 76.* *Pſal. 45.* *Job. 34.*

Aurelius Imperator filium ſuum novem Philoſophis tradens inſtruendum, ita locutus eſt; *Ego Commodum filium meum vobis trado, non ut loqvi multa doceatur, ſed ut ad actiones præclaras qvaſi manu ducatur. In eo qvippe gloria principis univerſa conſiſtit, ut ſit in actionibus accura-*

curatiſſimus, & in verbis circumſpectiſſimus. Poſtqvam adoleſcentes plurimos in ſcholis annos exegerunt, ingentesq́; in ſtudia pecunias parentes impenderunt, ſi modo filius diſputare, & ſcitè loqvi latinè noverit, qvantumvis levis vitioſusq́; ſit, optimè collocata omnia pater exiſtimat, Magis enim nunc ratio habetur oratoris loqvacis, qvàm Philoſophi vitâ præſtantis. Olim ad Academias parentes mittebant filios, ut tacere diſcerent; Jam vero eos mittunt, ut loqvi diſcant; tunc diſcebant eſſe moderati, nunc diſcunt eſſe diſſoluti. Et qvod eſt peſſimum, ex Academiis & Gymnaſiis, unde omnes prodibant ſapientes ac pacifici; Jam Oratores tantùm loqvaces & ſeditioſi prodeunt, ut ſi ſacratas leges, ſemel in hebdomade legant literati, decies uno die violent. Qvid dicam? niſi qvod hodie ſummè vanis hominibus voluptati eſt, videre filios aliis in diſputando ſuperiores. Verum ſic habetote, ſummæ mihi gloriæ futurum, ſi Commodus cæteros non loqvendo, ſed tacendo, non inſolenter agendo ſed pacifice vivendo, non verba argutè proferendo, ſed opera

præ-

præclara faciendo excelluerit ; bonis enim Viris glorioſum eſt multa agere, pauca loqvi.

Adeò peſtis adulterinæ ſcientiæ his ſeculis increvit, ut plerumqve adverſus omne rationis dictamen & contra tritum vulgo proverbium: Ubi multum clamoris, parum lanæ, ſcientiam de loqvacitate metiantur pleriqve, eumqve qvi publicis in congreſſionibus, voce ſtentoreâ, geſtuqve ſycophantico ſophiſmata ſua præ cæteris declamare ac pertinaci clamore aures audientium plauſibiliùs implere novit, doctiſſimum paſſim proclament; alium verò qvempiam, qvantumvis ſenſu ditiorem, cui non tam unctum guttur, vel præſumptuoſum pectus natura dedit, non ſolum mercium ſuarum tepidum venditorem, ſed etiam omnis literariæ ſuppellectilis penitus expertem atqve rudem pronuntiare audeant, & mutũ bovem, qvamvis intellectu fortaſſe polleat angelico, contẽptibiliter appellare. Hoc jam olim inter cæteras mundi miſerias & vanitates deprehendit Eccleſiaſtes, cum ait: *Sapi-*

Eccl. 9. *entia pauperis contempta eſt, & verba ejus non ſunt audita.* Inde accidit, ut tum jactantior qviſqve, qvæſita dataqve ad inanem ſui venditationem occaſione, contentioſius ſua defendit, vel Auditorio videri volens, typhum ſuum, qvo inaniter turget, clamoſius exerit, ſæpè in ſcommata & contumelias terminetur concertatio. ¶ Indignum eſt præſumtuoſis & cavillatoriis hujuſmodi contentionibus, etiam ſacras nonnunqvam Eccleſias temerari, qvibus Ædibus, ſi ullis vel maximè pax ineſſe deberet, ibidemqve non ſolum vehementius contra ſe invicem accēdi animos, & verbis ardentioribus collidi, ſed etiam in contumelioſa verba, ſuperbiæ & æmulationis typho commota diſputantium ora cum ſcandalo populi prorumpere. His tamen vulgò vocitatis ſcientiarum exercitiis paſſim gaudetur; talibus nundinis execrabilem ſuum arrogantiæ typhum, pluſqvam ſcientiam hoc dignam nomine mundi venditant ſapientes, ut fortaſſe non immeritò laudentur à qvibuſdam

illæ

illæ Academiæ, in qvibus hæc diſputationum contentio deridetur, paucisqve, qvantum pro exercitio ſcientiæ neceſſarium judicatur, cum modeſtia propoſitis, finis qvi alibi eſt ſine fine imponitur. Sic charitas cuſtoditur & veritas ſecurè obtinetur, qvæ ut commune fert proverbium: *Nimium altercando amittitur. Melius eſt*, inqvit D. Auguſtinus, *dubitare de occultis, qvàm litigare de incertis.* Et infra, divitis epulonis hiſtoriam proponens: *qvomodo*, ait, *intelligenda ſit illa flamma inferni, ille ſinus Abrahæ, illa divitis lingva, ille digitus pauperis, illa ſitis tormenti, illa ſtilla refrigerii, vix fortaſſe à manſvetè qværentibus, à contentiosè autem certantibus nunqvam invenitur.* *de Gen. lib.* 8.

Ridebunt hæc alii, qvorum ego inſolentiam non rideo, ſed execror, eosqve illum diem expectare jubeo, qvo apparebit, qvid vanitas olim fuerit, qvid veritas. Interim dico, per æmulatorias hujuſmodi aſſertiones & diſputationes, dum unus inflatur adverſus alium, cum ſcientiarum probro, magnam inter Li-

teratos oriri animorum diſcordiam, falſum pro vero, vel verum pro falſo, ſecundum placitum cujuſqve & luxuriantis ingenii petulantiam aſtrui vel deſtrui, convelli omne diſciplinarum corpus, ut jam corpus vocari non mereatur, utpote, *cujus partes ac membra*, ut ait Lactantius, *diſcordent, nec ulla compage inter ſe cohæreant, ſed qvaſi diſſecta & diſſipata palpitare potius qvàm vivere videantur.* Per armatos, qvi ex Draconis dentibus à Cadmo ſatis prodiêrunt, mutuisqve ſe vulneribus concidêrunt, literati ab aliquibus intelliguntur, non tantum ſententiis, ſed etiam maledictis ſe invicem oppugnantes. Gloriatur qvidem hæc armata ſeges exemplo cultellorum ſe mutuo attritu exacuentium, & ajunt ceſſante diſputationis fervore, ceſſare profectum literarium, uti etiam ſenſiſſe videtur Cicero, qvi ſcribit, qvod *in ipſa Græcia, Philoſophia tanto in honore nunqvam fuiſſet, niſi doctiſſimorum contentionibus diſſenſionibusqve viguiſſet.* Tranſeant hæc omnia, certum tamen eſt, qvod cultelli ſe mutuo

tuo attritu etiam obtundant, ſi acies contra ſe invicem concurrere permittantur. Aurea, non tantum in medicinalibus, ſed etiam in Ethicis eſt illa gnome Hipocratis: *Omnia moderata*. Cuſtodienda ergò eſt doctis labiorum porta, qvorum tamen cuſtodia fruſtraneè inſtituitur, niſi interioris arrogantiæ Typhus, qvo unus adverſus alterum inflatur, & æmulationis zelus de corde penitus eliminetur; qvod tamen hominibus literatis eſt valdè difficile.

Ingenia, ut ait Pindarus, *latere non poſſunt*, & plerumqve ſunt laudis ambitioſa, felicitatis, gloriæqve aliorum æmulatoria. Multos Themiſtocles in Republica literaria non patiuntur dormire trophæa Miltiadum. Ariſtoteles jam qvinquagenarius ex Macedonia Athenas redux, iterum tamen profiteri cœpit, cujus profeſſionis cauſam refert Laertius in æmulationem Xenocratis, qvem in Academia docentem Athenis offendit, unde & illum verſum pronunciaſſe dicitur: *turpe eſt ſilere, ac Xenocra-*

tem pati loqvi. Advertit facilè palpabilem hanc Doctorum æmulationem atqve indignationem, ſi qvo modo ab æmulis ſuis irritarentur vel ſuperarentur, D. Auguſtinus in Pædagogo ſuo, unde in Confeſſionibus qvodam loco ſic ait: *Ludebam pilà puer, & eo ludo impediebar, qvò minùs celeriter literas diſcerem, qvibus major deformius luderem. Haud aliter faciebat idem ipſe à qvo vapulabam, qvi ſi in aliqva qvæſtiuncula a condoctore ſuo victus eſſet, magis bile atqve invidia torqvebatur, qvam ego cum in certamine pilæ à colluſore meo ſuperabar.*

Graviter torqventur docti, cum ab aliis, coram aliis præſertim, ſuperantur, qvandoqvidem in ipſo Latrunculorum ludo, qvi ab ingenii exercitio præ cæteris pendere videtur, hominem eius gnarum torqvere ſolet, ab alio ſuperari, & ingenii laude alio videri inferiorem, veriſſimum eſt illud Martialis:

Aurum & opes & rura frequens donabit amicus,
Qui velit ingenio cedere, nullus erit.

Gravi præterea cordis amaritudine do-

cti affliguntur, cum opiniones ſuas impugnari vident, & ab æmulis convelli; ut etiam ex hoc capite in multa ſcientia multa ſit indignatio, & ad pacem cordis conſervandam etiam inter ſenſatos tacere dictis præſtet, qvàm multa proloqvi. Rarum enim eſt dictorum non invenire contradictorem.

Salubriter admonet Eccleſiaſticus: *In multis eſto qvaſi inſcius, & audi tacens, ſimul & qværens.* Apoſtolus qvoqve Paulus ſuo ſcribens Timotheo, ſic ait: *Noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium.* *Verbis intendere*, inqvit S. Auguſtinus, *eſt, non curare qvomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dictio dictioni præferatur alterius.* Odioſum Divino Spiritui peccatum eſt veritatis agnitæ impugnatio, CUJUS TAMEN LITERATI PLERUNQVE REI SUNT, dum qvidvis dixeris arripiunt, & oſtentationis, vel æmulationis ſtudio impugnant, verum pro falſo & falſum pro vero temerè aſtruunt, ex vanis diſputatio-

c. 32.

2. *Tim.* 2.

lib. 4. *de doct. Chriſtiana c.* 28.

tionum ſuarum ſilicibus non veritatem, ſed lites excutientes & jurgia incendentes; fas & nefas, verum & falſum ex æqvo cenſentes omnia, ſi modo vincant, vel victi ab arena digrediantur. Hujuſmodi zelum amatum, & contentionibus repleta corda habentes, acriter commonet Apoſtolus Jacobus; *No-*
Jac. 3. *lite gloriari & mendaces eſſe, adverſus veritatem, non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena & animalis, diabolica; ubi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia & omne opus pravum.* Pau-
Phil. 3. lus qvoqve ad Philippenſes ſcribens, ſic ait: *Implete gaudium meum, ut idem ſapientes eandem charitatem habentes, unanimes id ipſum ſentientes, nihil per contentionem facientes neq; inanem gloriam.* Item
c. 2. in Epiſtola ad Timotheum: *Servum Domini non oportet litigare; ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem.*

B. Ægidius ſapienter & piè paradoxum hoc Chriſtianũ ſanxiſſe dicitur: *Quando quis contendit tecum, ſi vis vincere perde; Sic vincis teipſum; vincis omnes inimicos*

tuos

tuos. Magna virtus eſt, ſi qvis ſe permittat vinci ab omnibus hominibus, qvia talis eſt Dominus hujus mundi. Qvi non ſolum ſi contra veritatem ſe ſtetiſſe advertat, vinci ſuſtinet, ſed etiam pro veritate, amore charitatis certamen contentioſum humiliter dimittit, & potius ex arena inglorius recedit, qvàm odiosè tumidus.

Paucos Lector Chriſtiane hoc ſeculo reperias tales mundi Dominos, ſed pleroſqve videas cupiditatum ſuarum ſervos, qvos ſpiritus mundi hujus impellit, qui Luciferum fundo inferni alliſit, qvos ejuſdem mundi Rectores intransverſum agunt, qvi diaboli morbo ægrotant. Audi qvid dicat Climachus: *Qvi, dum loqvitur, verbum ſuum, qvantumvis illud ſit verum, confirmare voluerit, ſciat ſe diaboli morbo ægrotare.* Morbus diaboli, qvo miſerè perijt, eſt SUPERBIA; ab hoc typho procedit, qvidqvid cõtentioſi motûs, & clamoris concitati, in diſputationibus æmulatoriis reperitur, ubi qviſqve ſenſum ſuum ſenſui præfert alterius,

Scala parad. gr. 4.

terius, ac nihil niſi palmam ſapientiæ & eruditionis ambit; dumqve eodem morbo dæmoni collaborat, in eandem
De imit. Chriſti lib. I. c. 9. cum illo decurrit mortem. *Nolle aliis acquieſcere*, inqvit Thomas Kempenſis, *cum id ratio, aut cauſa poſtulat, ſignum eſt ſuperbiæ & pertinaciæ.* Egregiè ſenex qvidam Anachoreta in vitis Patrum unumqvemqve admonet: *Siqvis aut de ſcripturis, aut de quâcunqve causâ loqutus fuerit, ne contendas cum eo. Sed ſiqvidem benedixit, conſenti ei; ſi verò malè, dic ei; Tu ſcias qvomodo loqvaris. Hæc obſervans,*
Ruffinus lib. 3. n. 185. *& humilitatem poſſidebis, & odium evitabis. Nam ſi perſiſtas contendens, & vis defendere ſermonem tuum, naſcetur ſcandalum; de qvacunqve ergo cauſa ſi non obſervabis contentiones, nullo modo requiem poſſidebis.*

Parce igitur tibi, qvisqvis ad hujuſmodi litigioſas concertationes profuſus es, parce aliis: Ob hanc peſtem tot ſcandala oriuntur in populo, tot inſurgunt in cordibus mortalium motus & tempeſtates, tot in communitatibus oriun-

tur diſcordiæ & ſimultates; dum plerumqve, qvi in iis ſcientiâ vel mediocriter præſtat, *ſuperbus eſt*, ut cum Paulo loquar, *nihil ſciens, ſed languens circa qvæſtiones & pugnas verborum, ex qvibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qvi veritate privati ſunt.* Veritate inqvam privati, qvia garrulæ oſtentationis ac vanitatis vento turgentes. *Qvid loqvacius vanitate*, inqvit S. Auguſtinus, *qvæ ideò non poteſt qvod veritas, qvia etiam plus clamare poteſt quàm veritas.* 1. *Tim.* 6. *In fine lib.* 5. *de civ. Dei.*

Prolabuntur interdum hoc Typho moti, & invicem colliduntur etiam, qvi firmiſſimo charitatis fundamento ſolidati videbantur. Qvid æmulationem illam inter D. Hieronymum & Auguſtinum tantos Eccleſiæ Doctores accendit, niſi tractatio & diſputatio controverſiarum qvarundam circa Epiſtolam Pauli ad Galatas, & Legalium cæremoniarum obſervantiam? dum invicem modeſtè primùm conferrent, ſuam poſtea

paulò firmiùs qviſqve tueri conaretur ſententiam, unde tantâ poſtremò animorum commotione inter ipſos fuit diſceptatum, ut penè ad cæſtus Daretis & Entelli proruperint; dum D. Auguſtinus acie ingenij ſubtiliſſimâ prӕditus, fervidiori argumentorum pugnâ in ſenem grandævum inſurgit, ille autem armaturâ graviori inſtructus, & juvenilem Auguſtini auſum amarè ferens, præter cætera hæc ipſi in qvâdam Epiſtola reſcribit: *In Scripturarum campo juvenis ſenem non provoces; nos noſtra habuimus tempora, & cucurrimus qvantum potuimus, nunc te currente, & longa ſpatia transmeante, nobis debetur otium, ſimulq́; ut cum honore tuo & venia dixerim, ne ſolus mihi de Poetis aliqvid propoſuiſſe videaris, memento Daretis & Entelli, & vulgaris proverbii, qvod bos laſſus fortius figit pedem.* Alibi verò ſe militem intuens veteranum, freqventi & importuno Auguſtini ad reſcribendum, ejusqve rationibus ſatisfaciendum impulſu exacerbatus, illi commemorat, qvomodo Hanni-

Conf. Commoneſ. XXI num. 5. p. 559. & ſeqq.

Epiſt. 93.

Epiſt. 92.

Hannibalem juveniliter exultantem, Q. Maximus patientiâ ſuâ fregerit. Qvid expectandum fuerat, ſi diutius hos inter antagoniſtas ſtetiſſet æmulatio, qvam alterius ad alterum colliſio & ſcandala puſillorum? Maturè igitur & prudenter arenâ excedit Auguſtinus, ſciens contentionum caſus & pericula, cujuſmodi jam inter ipſum Hieronymum & Ruffinum evenerant, unde in Epiſtola 103. ſic eidem reſcribit, & ad leniora ſenem revocans, humili oratione demulcet: *Rogo te*, inqvit, *ſi fieri poteſt, quæramus & diſſeramus aliqvid, qvo ſine amaritudine diſcordiæ corda noſtra paſcantur. Si autem non poſſumus dicere, qvid mihi emendandum videatur in ſcriptis tuis, nec tu in meis, niſi cum ſuſpicione invidiæ, aut læſione amicitiæ, quieſcamus ab ijs & noſtræ vitæ ſalutiq; parcamus. Minus certè aſſeqvatur illa, quæ inflat, dum non oſtenditur illa, quæ ædificat. Ego me longè eſſe ſentio ab illa perfectione, de qvâ ſcriptum eſt: ſi qvis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* Imitemur hunc ſapien-

In Tom. Epiſt. S. Hier.

tiæ

tiæ oculum ſalubria ſibi proſpicientem; videamus qvàm Sanctis nonnunqvam typhus ſcientiæ tumefacientis inſidietur, qvàm illis ſit vitanda verborum concertatio, ne fortè ſanctitatis obliti, mutuis concidantur vulneribus, & fiant præda volucrum infernalium.

Cum igitur abundè notum ſit, & qvotidianâ comprobetur experientia, nos à contentioſis hujuſcemodi diſceptationibus raró ſine amaritudine cordis abſcedere, & vix, ut ait Divus Auguſtinus, carere poſſe illis vitiis diſputantes, qvæ plerumqve ſtudiis humanis & concertationibus excitantur, dum ſupra qvam ſcriptum eſt, unus præ alio inflatur adverſus alterum, qvid nobis conſultius, qvàm ut hujuſmodi litigiorum anſas tollamus, inutiles quæſtiones & contradictiones adverſum nos motas, aure ſurdâ cordeqve immoto prætereamus, & ut quidam, ait: *Si DEUS eſt inter nos relinqvamus etiam quandoqve noſtrum ſentire propter bonum pacis.* *Qvis eſt*

Thomas Kemp. lib. 1. c. 9.

ita

ita ſapiens, inqvit idem, *qvi omnia plenè ſcire poteſt, ergo noli nimis in ſenſu tuo confidere, ſed velis etiam libenter aliorum ſenſum audire. Si bonum eſt tuum ſentire, & hoc ipſum propter DEUM dimittis, & alium ſeqveris, magis exinde proficies.*

O vita pauperum DEUS meus, in cujus ſinu non eſt contradictio, plue mihi mitigationes in cor, ne in litigationes infundar; ut patienter alios feram, qvi multa mihi dicunt interdum, & contentioſè ſua perſvadere nituntur, tanqvam divini eſſent, & illa in corde tuo vidiſſent, ſed veram raro noverunt ſententiam, qvia ſuperbi ſunt, nec à te parvulorum Doctore meriti ſunt erudiri, ſed amant ſuam, NON QVIA VERA EST, ſed QVIA SUA EST; qvorum in diſputando & aſſeverando temeritas non ſcientiæ, ſed audaciæ eſt, nec viſus, ſed Typhus illā peperit. S. Aug. Conf. lib. 2. c. 24.

Et alibi idem Auguſtinus notat eos, qvi magis lingvæ certaminibus, qvàm ſcientiæ luminibus delectantur; Qvi pernicioſis contentionibus ſtultiſſimè ipſam offendere

ſo-

lent charitatem, propter qvam dixit omnia, cujus interdum dicta pertinaci ſuo ſenſu aliter qvàm verum ſit, conantur exponere; qvi deniqve neſciunt, qvod illa, qvæ à te *deſurſum eſt ſapientia, primùm qvidem pudica ſit, deinde pacifica, modeſta, ſvadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ & fructibus bonis.* Sed qvid plura? *Lis utinam pereat inter homineſque Deosq́;.*

Jacob. 3. 4.

Homerus.



COM-

COMMONEFACTIO XXIV.

CONVICIATOR INFAMIS,

Sive De

SUMMO MORDACITATIS LITERARIÆ DEDECORE, ET POENA SCRIPTORUM MALEDICORUM.

Ad Comment. VI. num. V. ſeqq.

I.

QVantumvis damnificis umbrarum idololatricarum tenebris obnupta Gens, olim eò devenerit dementiæ, ut divinis honoribus ipſam qvoqve CALUMNIAM ſit proſecuta, atqve infami litarit MORDACITATI; veluti Lilius Gyraldus (Theophraſto * apud Dio-

* *Eundem Theophraſtum adducit Zenob. Centur. 4. num. 36. referentem* Athenienſes Contumeliæ aras poſuiſſe; *additq; Tullius ita factum fuiſſe ſvadente Epimenide, id*

id quod etiam Clemens Alexandrinus in Protreptico memoravit.

Gyral. Synt. I. de Diis Gent. Diogenianum allegato) fuit conteſtatus, *Ethnicos quoſdam CALUMNIAM inter Numina recenſuiſſe*; nec minus ex Tullii indicio conſtet, ipſos qvoqve Athenienſes *Contumeliæ & impudentiæ aras poſuiſſe*; tantum abeſt tamen, ut Ethnicorum ſapientiores viperæ illius malignitatem ignorarint, ut potius acerrimè illam lingvis & ſtylis ſint inſectati, qvinimò Calumniatoribus cunctis, infrunitiſqve famæ alienæ prædonibus graviſſimas pœnas interminarint. Et qvanta ſeveritate Charondas Turius in convitiatorem, tanqvam iniqvorum omnium anteſignanum animadverterit, egregiè admodum notavit Diodorus; *CALUMNIÆ* (ait ille *ſeu falſæ criminationis confictis, hanc pœnam irrogavit, ut MYRICA coronati, per urbem circumducerentur, qvo manifeſtè ad ſummum nequitiæ gradum illos perveniſſe civibus apparet. Nonnullos ergò ob hoc flagitium condemnatos, qvod tantæ ignominiæ dedecus perferre non poſſent, violentis ſibi manibus ſponte vitam abrupiſſe tradunt*; cum ſcil. ad ſupremi dedecoris verticem malignitate ſua ſeſe provectos deprehendiſſent. MYRICAM igitur, ad INFAMIAM CONVICIATORUM denotandã (non MYRTUM ut perperã P. Gregorius Tholoſſ. cenſuit) adhiberi voluit Charon-

Tull. lib. 2. de legibus.

Diod. Sic. lib. XII.

rondas lignum ſcil. infelix (teſte Plinio) & ἄκαρπον, ædibuſqve illatum mortes miſeras convehens; adeoqve extremam præfigurans Calumniæ malignitatem, qvà immerentes freqventiſſimè perfunduntur; ac veluti tormento atrociſſimo tantum non penitus enecantur. Et cum ipſi Perſarum ſacerdotes (Strabone perhibente) diris pœnis nefarios qvoſq; ferientes, virgarum *myricinarum* faſciculum manibus tenuerint, & infamiſſimis olim corona Myricina, veluti conſummatæ neqvitiæ teſſera fuerit impoſita; non eſt qvod dubitemus, illam ipſam Charondæ legem, ad feralem exitialemqve Calumniæ malignitatem, & expaveſcendam maledicorum virulentiam exprimendam ſtudioſè conditam, atqve ſollicitæ executioni datam fuiſſe. Qvidni amariſſima cenſeatur omnis MORDACITAS, qvippe qvæ bonis maximè æſtimandis exturbat nihil tale commeritum, atq; nocentiſſimorum graſſatorum neqvitiam longiſſimè excedit: *Etenim qvi meritò incuſatur* [ſcitè ait Chryſoſt.] *facilè tulerit eum à qvo incuſatur; Qvippe cum accuſator minus qvam conſcientia ipſa infeſtus ſit, efficitur, ut qvoties ab ea qvæ omnium moleſtiſſima eſt, deprehenſi convictiqve prius fuerim⁹, accuſatores extraneos, tanqvam manſvetiores facilè poſtea patiamur. Porrò qvi nullius ſibi culpæ conſcius eſt, dum injuſtè accuſatur, continuò ad iram*

P. Greg. Tholoſ. lib. 32. Syntagm. c. 20.
Plin. lib. V. c. 29.
Strab. lib. 15.
Chryſoſt. lib. 3. de ſacerdot.

propenſius fertur, nec non animum facilè deſpondet, niſi idem ſic ſe prius animo comparaverit, præparaveritqve, ut multorum inſipientiam patientiſſimè ferat. Fieri enim vix poteſt, ut qvi ſe temere calumniam pati, atqve iniqve damnari intelligit, non aliqvo modo adverſus tantam hominum iniqvitatem atqvè abſurditatem commoveatur. Cæterum, qvæ amaros adeò fructus omni mortalium generi procreat Convitiandi libido, dulcedinemqve conſcientiæ tanto acore corrumpit, non abs re, radix LITERARIÆ etiam amaritudinis, & fel extremæ iniqvitatis pſeudo-ſophicæ nuncupabitur. Non eſt profectò, ut eruditi homines, ab aſperâ illa radice dulces adeò fructus expectent, qvales ex ipsâ ſtudiorum radice Tullius ſibi adpromiſit; *Literarum ſiqvidem ſtudia* [ita ſcite inqvit Raynaudus] *ob adjunctas extrinſecus difficultates, radicem amaram habere dicuntur, cujus amarities, evictis difficultatibus abſtergitur, tuncqve innata literis dulcedo ſe prodit: Aliter ſe res habet circa CALUMNIAM, cujus intima velut ſubſtantia teterrimi & inſvaviſſimi acoris malignitate vitiatur.* Et cum pleræqȝ calumniæ ac maledicta certo tempore & loco definiantur; malum per Literatos mordaces & maledicos illatum, utplurimum poſt mortem etiam violatos impetere, & per longa ſeculorum ſpatia exagitare ſolet; ſiqvidem toto Orbe opera infrunito-

Rayn. Hoplotb. cap. 3. qvi idẽ cap. 4. de pœnis calumniatorũ prolixè diſſeruit.

nitorum illorum, nec melle adeò qvam felle & aceto perfuſorum convitiatorum monumenta diffundantur.

II. Infeliciſſimorum ex infrunito MALEDICENDI pruritu Literatorum albo inſerendus ſuo merito eſſet GEORGIUS BUCHANANUS, ſi [qvemadmodum Camdenus tradit] *ejus Hiſtoria mendacij falſitatisq; manifeſta primum convicta, dein à Scotiæ Ordinibus damnata fuiſſet; qvinimò ipſe coram Rege ingemiſcens, ſubinde ſe reprehendiſſet, qvod tam virulentum calamum in Reginam benè meritam ſtrinxiſſet, moriensq; optaſſet, ut tantiſper ſupereſſe poſſit, donec maculas, qvas MALEDICENTIA falsò aſperſerat, revocatâ veritate vel ſangvine elueret.* Non abſimilis eqvidem infamiæ aleam omnes illi ſcriptores ſubeunt, qvi fide promercali, partiumqve ſtudio abrepti, ſua producunt monumenta, qvæ ſi abſconderent potius, qvam evulgarent, non tantam cum Buchanano aliisqve maledicis ſcriptoribus incurrerent malorum tempeſtatem. Haud leviori profectò ſupplicio ij plectendi ſunt, qvi ſcripta adeò maledica, adfectu præpoſtero, animoq; achriſtiano conſarcinata, vel avidè legendo imbibunt, vel acriter defendendo aliis commendant; non minori inqvam ſupplicio tales plectendi ſunt, qvam ipſimet authores, ſi à mortuis reſuſcitarentur. Peſſimè qvoqve de

Camdē. in Añal. Anglic. ad A.C. 1567. & 1584.

universâ humani generis Republica illi merentur literati, qvi vitia, qvibus populares ſui abundant, aliis per ſummam calumniam adſcribere Nationibus neutiqvam verentur, ad meretricum ſc. qvadrantariarum exemplum, qvæ ut aptitudini ſuæ fucum aliqvem objiciant, honeſtas feminas probris inceſſere non ceſſant & maledictis. Hoc ipſo in luto J. BODINUM, virum aliàs longè doctiſſimum hæſiſſe, eodemqve obvios & exteros qvosqve conſperſiſſe, Cujacius obſervavit, *temerarium illum vocans, & inſolentem, falsò admodum pro more ſuo, & manifeſta mendacia ſcribentem, PROPRIAQVE SIBI CONVITIA perperam IN OMNES EFFUNDENTEM.* Camdenus verò paulò mitius de eo ſentiens, *auditoribus & incertis rumoribus nimiopere ſerviiſſe judicavit.* Cum is licitum ſibi putaret *popularium ſuorum dignitatẽ honeſto mendacio tueri*, plurima mendaciorum tela in Germanos duxit evibranda, *ſtupidos eos vocans & ruſticos, minimum rationis & plurimum roboris habentes, leves, ſuavitatem orationis ac veneres dicendi reſpuentes, Principes Germanorum ligios Vaſallos Regis Galliæ, Germaniam ejus Provinciam, Imperatorem Sultani tributarium &c.* Qvicqvid verò de Bodino ad hoc crimen qvod attinet, ſit ſtatuendum; nullus ſanè ambigendi locus eſt, omnium ætatum & facultatum ſcriptores

Cujacius l. XVIII. obſ. c. 38. confer Lanſ. in Conſ. p. 311. Cambd. in Hibernia. Bodin. Method. Hiſtor. c. 4. & de Rep. l. I. c. 9. l. V. c. 6.

res maledicos graviſſimā in Rempublicam Literariam invexiſſe mala, pœnas temeratæ pietatis ac charitatis dediſſe meritiſſimas, cunctorumqve bonorum odia incurriſſe atqve execrationes. Subiit hanc indignationis aleam, Patrum noſtrorum memoriâ, præ cæteris Alexander TASSONUS, qvi præter alia eruditorum hominum monumenta, cumprimis Franciſci Petrarchæ poemata, ad reprehendēdū arripuit, & amarulentiſſimas in ea edidit animadverſiones, *in qvibus* (Erythræo teſte) *nihil ab eo dictum reliqvit, qvod non vel tanqvam vitioſum reprehenderit, vel ut abſurdum neglexerit, vel ut ineptum irriſerit, nullam ejus laudem prætermiſerit, qvam non ſit conatus convellere, labefactare, evertere.* *Erythræus Pinacoth. l. 1. p. 186.*

III. Conſimilis planè cenſuræ maledicæ gladium, cum [eodem Erythræo memorante] NICOLAUS VILLANUS, Poëta aliàs elegantiſſimus, in celeberrimos qvoſdam viros, Dantem, Petrarcham, Areoſtum, Taſſum, aliosqve plurimos diſtrinxiſſet, eoſqve partim ut hebetes & tardos, partim ut rudes, humiles, inornatos ac abjectos exploſiſſet, omneqve ingenium ad eripiendam gloriæ coronam, capitibus ipſorum hærentem impendiſſet; graviſſimæ reprehenſionis probrum apud univerſam eruditorum Italorum Nationem & ipſe incurrit, ac irreparabilem *Idem pag. 189.*

Digitized by Google

famæ & exiſtimationis propriæ jacturam ſubiit. Qvod ſtulti laboris præmium MERULA etiam accepit, poſtqvam criminoſiſſima in Philippum Beroaldum ádnotamenta parturiiſſet; THEODORUS item GAZA, qvamprimum acerbiſſima in Georgium Trapezuntium [qvocum ipſi graves inimicitiæ fuêre] dicteria evomuiſſet, ac multorum ore celebratiſſimum Virum, vocare non dubitaſſet Pornoboſcon; POGGIUS inſuper FLORENTINUS, cùm calamo aculeatiſſimo Laurentium Vallam eſſet adortus; virumqve eruditiſſimum amarè admodum perſtrinxiſſet; alii deniqve ſuperioris noſtriq; ævi literati plurimi, qvos nunc ſilentii peplo ducimus involvendos. Magnam utiqve obſervationem merentur verba doctiſſimi *Deſſenij Cronenburgij*, Medici Colon. qvibus maledicam Cornarii & Fuchſij de medicâ re concertationem graviter improbavit, & utrumqve apertæ malignitatis convicit ad h. m. *Atqve hac de re leviculâ* (de Aphonitri & Apholitri diſcrimine) *mutuò altercantur, aut veriùs convitiantur malitioſiſſimè* Fuchſius & Cornarius, *Viri doctiſſimi, interim nihil docentes ac determinantes, dum uterqve pertinaciter opinionem ſuam tueri conatur, & res ipſas magis in dubium vocat, obſcuratq;, ac ſeipſum accuſandum coram univerſo Muſarum Theatro proponit. Cuperem*

Conf. Politian. lib. VI. Epiſt. 2.

Conf. Gaza in Coment. Gramat. & Polit. Miſcell. c. 90.

Deſſen. Cronenb. l. 1. de Compoſ. med.

Digitized by Google

rem ejuſmodi acerbas, & à Chriſtianorum lingva calamoq; legibus interdictas ſimul ac ingenuis animis odioſas contentiones nunqvam cœptas, aut nunc tandem charitatis amore ſublatas & conſopitas. Qvorſum enim attinet, ob res nemini hoc tempore probè notas, aut qvarum uſus jam apud nos intercidit, tam tragicas turbas concitare? Ecqvid enim magni eſt, ſive duæ, ſive tres res illæ ſint? cum id palam conſtet, affinia eſſe nomina, & res ipſas parum habere diſcriminis, &c. ita ſcitè Cronenburgius. Ac licet non omnes ſcriptores maledici fatum JUGERII FERERII habuerint, qvi atrociſſimis inteſtinorum torminibus correptus fuit atqve interemptus, cùm acriorem qvam Literatum Chriſtianum deceret, cum Johanne Bodino habuiſſet concertationem, & ſtili virulentiſſimi illaudata planè ſpecimina dediſſet; attamen ad alios non minus periculoſos ſcopulos naves adflixerunt, inqve ſyrtes atrociores inciderunt, imò miſeriarum infinitarum Euripis tandem ut plurimum ſunt abſumti. *Thuanus lib. 89. p. 175.*

IV. Nunqvam, nunqvam impunis fuit canina illa ſtili ferocia, qvin potius pudendam adeò animi labem, atrocia ſemper ſupplicia exceperunt, præſertim ſi hominum etiam piè defunctorum oſſa à furiali illâ beſtiâ impetita ſint atqve corroſa. Ipſo inferno dæmone-

neqve deteriores ejus farinæ Scriptores maledicos dixeris, qvippe qvi non juſtorum & bonorum, ſed malorum, peccatorumqve animas poſt fata ſibi ſumunt adfligendas, cùm è contra furibundi illi moloſſi, viros jam inter cœlites degentes, virtutumqve pariter ac doctrinarum radiis valdè qvondam conſpicuos, inceſſanter laceſſere non dubitent, & nullo non calumniarum mendaciorumqve luto conſpurcare ſoleant homines innocentiſſimos. Cujuſmodi neqvitiam ſuo tempore veritus Hieronymus, cauſam edixit, cur tam invitus libros ſuos (poſt fata à Zoilis certo certius arrodendos) luci dediſſet: *Nam aliqvid* ait) *in publicum dare, eſt confodientium lingvis ſe prodere, & omnia maledicorum tela in ſe unum detorqvere.* Eaqve propter dicit Pamphilum, ſanctiſſimum illum Martyrem, nunqvam induci potuiſſe, ut qvicqvam ſtylo vulgaret. Qvemadmodum & Nazianzenus obſervavit, nullum Eccleſiæ Doctorem, aut celebrem oratorem adeò excelſum ſtetiſſe, ut nullum maledicorum jaculum poſt felicem ſuam ex hâc vita emigrationem acceperit; *O ſtellas*, inqvit *cœleſtes, ipſo dignitatis ſplendore infelices! &c.* Qvodſi verò eorum barbarorum, qvi humanis veſcuntur carnibus, crudelitas execranda ſit, cur non pariter deteſtanda inhumanitas detracto-

Digitized by G

ctorum literatorum, qvi non carnes, ſed medullam, ſed animas ipſorummet fidei ac profeſſionis ſuæ ſociorum, etiam defunctorum, crudeliſſimè ducunt devorandas, pro beneficiis dilectioneqve nonnunqvam maledicta rependentes, operaqve omni laude majora admordentes. Non dubitavit detrahentem ejuſmodi lingvam aut pungentem calamum, Doctor mellifluus, mucrone illo, qvo Domini latus confoſſum eſt, dicere crudeliorem; *Fodit enim* (ait notanter) *Chriſti corpus, & membrum de membro, nec jam exanime fodit, ſed facit exanime fodiendo; Parum eſt hoc: ipſis qvoqve nocentior eſt ſpinis, qvas illi tam ſublimi capiti militaris furor impoſuit.* Eas præcipuè hæ ſpinæ detractiones opprobriaqve adumbrare videntur, qvibus ipſa utplurimum Reip. Chriſtianæ capita, Viriqve in Orbe literato primarii à maleferiatis qvibuſdam petuntur, læduntur qve graviſſimè. *Seu etiam* (addit Bernardus) *clavis ferreis nocentior* (detractor) *eſt, qvos ſanctiſſimis manibus ac pedibus conſummatio Judaicæ iniqvitatis infixit.* Mortalem duntaxat hi carnem peremerunt, aſt maledici ſpiritualem corpori Salvatoris Myſtico necem inferre laborant, qvinimo ad omnem ſemper malitiam compoſiti, truculentam adeò neqvitiam, pietatis cujuſdam fuco ſolent obducere, ad Phariſæorum ſc. & Scribarum exemplum flexuosè potius,

Bernar. Serm. de triplici cuſtodiâ.

tius qvam directè detrahentes, & qvandam præ ſe ferentes compaſſionem. Tanqvam ſerpentes ſinuoſo tacitoqve lapſu tales ad mordendum incedunt, dum ſingularem ergà configendũ proximum benevolentiam ſimulant, optimamqve præ ſe ferunt intentionem. Egregiè veteratorum hujuſmodi artificia detexit laudatus Abbas Claravallenſis, inqviens; *Alii qvodam ſimulatæ verecundiæ fuco, malitiam qvam retinere non poſſunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta ſuſpiria, ſicq; qvâdam cum gravitate & tarditate, vultu mœſto, demiſſis ſuperciliis & voce plangendi egredi MALEDICTIONEM, & qvidem tanto perſvaſibiliorem, qvanto creditur ab his qvi audiunt, corde invito, & magis condolentis affectu, qvam malitioſè proficiſci: doleo, inqvit, vehementer pro eo, qvod diligo eum ſatis, & nunqvam potui de hac re corrigere eum.* En vivam ſerpentum iſtiuſmodi ſinuoſorum imaginem, extremamqve detractorum [crudelitatem ſuam qvopiam pietatis fuco obducentium] neqvitiam! Qvam cum Rabanus Maurus probè perpendiſſet, viperæ illi hypocritas tales comparavit, qvæ Pauli Apoſtoli manum invaſit, cum ad calefaciendos ſocios è mari excedentes, ſarmentorum aliqva multitudo eſſet congeſta. Appoſitè ſatis, amoris qvaſi ignem accendere videntur verbis ſuis melliſluis, dumq viperarum venenatarum inſtar

Bern. Serm. 24. in Cant.

R. Maurus in Act. 28.

ſtar dextras admordent, hoc eſt optimorum atqve dexterrimorum hominum acriter reprehendunt actiones, amicitiam ſimulant & necant, dum oſculantur latus enſe aperiunt, benevolentiæ ſpeciem admiſcent, dum perniciem moliuntur, benevoli trucidatores! qvi tamē proprio plerumq; ſeſe jugulant gladio, nec prius convitia in meliores, qvaſi venenata tela jacere deſiſtunt, qvam univerſo Orbi literato demonſtrent, ſe non veraces, ſed mendaces, non eleganter doctos, ſed malè coctos, non juſtos cenſores, ſed maledicos bonorū omniū eſſe reprehenſores. Canib⁹ eos comparat Hieronymus, mundani Maris pericula deſcribens; *Ubi Scyllæi obtrectatorum canes, de qvibus Apoſtolus loqvitur: Ne mordentes invicem mutuo conſumamini:* Terrent admodum latratu ſuo Scyllæi ejuſmodi canes, propiusqve accedentibus minantur naufragium, tantum abeſt tamen ut murmuratione ſuà cordatiores abſterreant, ut potius plerumqve reddant audentiores. Qvid, qvod Luciani illi, ſeu caninæ facundiæ homines (qvi commordendo & lacerando qvoslibet invaſerunt) non rarò & ipſi à canibus, h. e. æqve maledicis hominibus ſint interempti, atqve juſtiſſimas [uti diximus] neqvitiæ ſuæ dederint pœnas. Exemplo ſit GVILANDINUS Medicus non incelebris, qvi cum plus juſto calidior, & ſuæ ſententiæ pertinacior, in Mat-

Hier. in Epiſt. ad Ruſt.

Conf. Melch. Adam. in vitis Medic. p. 310.

thio-

thiolum inſurrexiſſet, ſatis atroces, temeratæ propter aliqvot herbas amicitiæ dedit pœnas impacta ſiqvidem ei à Matthiolo fuit arrogantia, temeritas, inſcitia, calumniandi libido, invidentia, imò eò tandem ille progreſſus fuit acerbitatis, ut Gvilandinum *nebulonum omnium principem* pronunciare non dubitaverit.

V. Graviter profectò errant, qvicunqve putant nihil prorſus peccari maledictis, in contrarium nituntur & Sacrarum literarum oracula, & rationis lumen, & ſapientum auctoritas, & æqviſſima juſtitiæ lex: Tanti certè id crimen olim fuit, ut apud Romanos capite lueretur. Teſtis eſt Arnobius, in qvarto contra Gentes libro; *Carmen malum conſcribere, qvo fama alterius coinqvinetur & vita, decemviralibus ſcitis evadere noluiſtis impunè.* Explicatius verò Auguſtinus verbis Tullii ex l. IV. de Rep. *Noſtra contra duodecim tabulæ, cum res perpaucas capite ſanxiſſent, in his hanc quoque ſanciendam putaverunt, ſi qvis occentaviſſet,* (id eſt Feſto explicante, ſi clarè convitium aliqvod occinuiſſet,) *ſive carmen condidiſſet, qvod infamiam faceret conviciumqve alteri.* Ipſis nimirum homicidis deteriores Maledicos eſſe, optumè nonnulli judicarunt, cum graviorem hominibus inferant injuriam, majus omninò mortali vitâ munus (famam ſcil. bonamqve exiſtimationem) vel tol-

Arnob. lib. IV. contra Gentes.

Auguſt. lib. II. de C.D. c. 29.

tollant, vel minuant, vel lædant, & freqventer non carni proximi, ſed ipſi animæ dentes inſigant. *Tria ſunt genera homicidii* (ſcitè ait qvidam è veteribus) *qvæ pari pœna plectuntur; Interfectio fratrum, odium, DETRACTATIO, de qvâ etiam Paulus dicit; Si invicem mordetis, &c. Comedit namqve alter alterum, & qvaſi morſum in eum facit, qvotieſcunqve qvis aliqvem malè loqvendo viliorem efficit.* Et Magnus Chryſoſtomus Pſalmiſtæ verba: *Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſeqvebar*; inſigniter expendens, malis innumeris ex eo vitio provenientibus, CÆDES etiam, domuum ruinas, munitiſſimarumqve urbium excidia accenſuit, memorabili illo epiphonemate concludens: *Cerniſne, cariſſime, qvantum ſit DETRACTIONIS pondus?* Eqvidem tot infamationum pudendarum formulæ, tot [à literatis præſertim hominibus] vel voce vel ſcriptis recutita maledicta cuilibet facilè perſvaderent, nil qvicqvam iſtis peccati, niſi manifeſtum eſſet tantò majorem hâc ratione proximo inferri injuriam, qvantò majus bonum calumniis famam petentibus ipſi adimitur. Cujus autem pretii fama ſit, qvam peſtilens detractio vulnerat, non eſt neceſſe ut ab Auguſtino diſcamus, qvi *crudelem* vocat hominem famæ ſuæ negligentem; vel Iſidorum Peluſiotam accedamus, aſſeverantem, famæ conferri non poſſe omnes

Clemens Petri Diſcip. apud collectorem ſimilitud. Anſelm.

Pſ. 100.

Auguſt. ſerm. 49. de diverſis.

Iſid. Pel. lib. III. Epiſt. 142.

omnes Croeſi theſauros, teſte ipſo Salomone: *Melius eſt nomen bonum, qvam divitiæ multæ, &c.* Ethnicos ſolo rationis lumine præditos audiamus: Opibus omnibus famam præponderare aſſerit Iſocrates; Rem propè divinam eſſe ait Æſchines in Timarch. beatiſſimum illâ hominem effici cecinit Pindarus; optimis qvibuſqve ingenitum eſſe à naturâ magnum vitæ ſtudium in ſeram longè poſteritatem, indeqve colligi ſenſum mortuis ſupereſſe, ſi priſci illi in vitam redeant, magis etiam qvam ante hàc pro famâ laboraturos, Plato aſſeruit.

Prov. XII. *Iſocr. orat. de Reg.* *Pind. Olimp. Ode 7.* *Plato Ep. 2.*

VI. Immenſi itaqve pretii theſaurus cum detrahendo perdatur, qvis ambigat, qvin graviſſimum peccatum ſit nefaria illa Literatorum Hominum MALEDICENTIA, peccatum inqvam, atrociſſimis delictis æqviparandum. Qvod tamen eheu ita freqvens & pervulgatum, ut pleriqve hunc ludum (lanienam verius dixero) ducant ludendum, nemoqve doctrinâ aut virtute conſpicuus appareat, qvin illicò qvaſi ſignum ad ſagittam poſitus videatur. Qvid, qvod Chryſoſtomus enunciarit, *hoc vitio neqve ſecularium, neqve monachorum ullum facilè liberum inveniri;* Et Hieronymus Cælantiæ ſcripſerit, *paucos admodum eſſe, qvi huic vitio renuntient, tantamqve hujus mali libidinem mentes hominum invadere, ut etiam ii, qvi procul ab aliis vitiis receſ-*

receſſerint, in iſtud qvaſi in extremum diaboli laqveum incidant, nec qvenqvam adeò probum & abditum eſſe, qvin hoc telo impetatur. Velox „(ſcribit notanter Vir ævo noſtro clariſſim⁹ „cap. IX. Jerem. explanaturus) ſagitta eſt, „velocior lingva. Fuge, alleqvetur fugien-„tem, abde Te in reconditiſſimas ſpeluncas „terræ, penetrabit illas: tranſmitte maria, „enavigabit eadem: ſcribe, involabit in li-„bros; doce, tranſcendet cathedras; nec „mortuos patietur immunes, non cœlo jam „adſcriptos; vulnus illatum perennat, ad mu-„lierculas virus diffundunt, qvo celerius per „hæc avida detrahentium ingenia malum „ſerpat, viresqve acqvirat eundo. Perambu-„lat urbes, tranſvolat etiam provincias, & „jam vulneribus notiſſimus eſt, qvi ne capil-„lo notus eſt; neſcimus vultum, cujus ma-„demus ſangvine. Qvoqve latius venenum „diffundant, virulento calamo FAMOSAS „LITERAS emittunt. Qvod inventum Pa-„raſinus in obſidione Rhodi narrat uſurpa-„tum fuiſſe, ubi proditor qvidam Andreas de „Maraillo eqves Luſitanus, ſimulans ſe ex-„cubias luſtrare, literas in urbem jaculatus eſt „telo alligatas. Nemo qviſqvam extra teli „jactum poſitus, terra mariqve cœloqve re-„ceptus impetitur. *Nunqvid non vipera eſt* [dico cum Doctore mellifluo] *lingva iſta? feroci ſſima planè, qva tam lethaliter tres inficit* *fla-*

Bern. Serm. de tripl. cu-ſtod.

ſtatu uno; *Nunqvid non lancea eſt, lingva iſta? profectò acutiſſima, utiqve tres penetrat ictu uno.* Seipſum nimirum, auditorem, & hoſtem, imò triplicem committit cædem, cum triplex nobis ſit vita, vita ſcil. veluti cœleſtis, divinæ gratiæ dono; altera corporis, animantibus communis; tertia civilis, famæ præſidio: In hanc triplicem vitam immaniſſimè ſævit LITERATUS ſive ILLITERAT[9] DETRACTOR; illam qvidem gratiæ cœleſtem in ſe, ſuoqve auditore extingvit; naturalem & civilem in eo cui detrahit. Nec tres tantum triſulco illo fulmine, ſed viginti interdum, qvinqvaginta, centum, imò mille crudeliſſimè configuntur, dum integra Collegia, integri cœtus, integræ communitates, ampliſſimæqve Reſpublicæ in confertâ concione lancinantur.



COM-

COMMONEFACTIO XXV.

LITERATUS LORICATUS,

SIVE

HOPLOTHECA CHRISTIANO-THEOSOPHICA, ADVESUS ICTUM MALEDICENTIÆ.

Ad Commentat. VI. num. XVI. & XVII.

I.

QVem hactenus TOGATUM vidimus FELICEM noſtrum LITERATUM, eum mutato ſubinde habitu SAGATUM jam & LORICATUM intuebimur, inſigniq; adverſus infrunitæ MALEDICENTIÆ ictum HOPLOTHECA conſpicuum: Etenim cum planiſſimè ſibi perſvadeat, evidentiſſimum confirmatæ Virtutis ſignum eſſe, ſi ab adverſariis undiqve obſideatur, & nullis non detractorum pateat cata-

pultis; hinc curâ admodum ſollicitâ LORICAM ſibi adaptabit, cujus beneficio diabolicas eludere ſagittas, de hoſtibus feliciter triumphare, eademqve ſimul operâ altiſſimam animi tranqvillitatem impetrare poſſit. CONSCIENTIÆ nimirum rectioris LORICA munitus, nulli adverſantium ſibi ac detrahentium cedet impetui; communiqve BONORUM ſorte conſiderata, maximis etiam malignantis fortunæ & ſævientis calumniæ procellis ſuperior evadet. Præclarè admodum BAPTISTA MANTUANUS, ac velut ex inſtituto oſtendit, perpetuum hoc Literatorum eſſe fatum, ut aliorum morſibus & calumniis pateant, nec ſuis unqvam cum Homero Zoilis, cum Marone Paronibus & Carbiliis Æneomaſtigibus, cum Pindaro Favorinis (minimè faventibus) deſtituantur. Tantum verò abeſt, ut aliqvod LITERARIÆ INFELICITATIS argumentum inde ſit arceſſendum, qvod Viri doctiſſimi ſine morſu atrociori vitam tranſigere neqveant, & ab iſto malignantis fortunæ ludibrio freqventiſſimè infeſtentur, ut potius ampliſſima ex eo gaudendi meſſis illis (utpote injuſtè laceſſitis) ſit obventura. HIERONYMUM qvidem, confodientium lingvis tantoperè irritatum fuiſſe accepimus, ut omni ſcriptioni, operæq; librariæ nuntium aliqvando mittere decreverit, qvandoqvidem oſores & roſores freqventer adeò (ut Pſalmi-

Baptiſt. Mantuanus opuſc. contra calumniatores pecul.

ſta

ſta ait) *parent ſagittas ſuas in pharetrâ, ut re-ctos corde in obſcuro transfigant*. Non eſt verò, ut Viri cæleſtis gloriæ ſtudioſiores, maleferiatorum hominum obtrectationibus adeò debilitentur, aut frangantur, ſiqvidem ne divina qvidem Sapientia improborum convitia evaſerit, qvippe qvi ſtupenda ejus facta in pudendas præſtigias, Virtutes in manifeſta probra vertere non dubitarunt. Ut Chriſtum, ſic optimos & præſtantiſſimos qvoſqve Doctores, contumaces lingvæ & calami infruniti pro ſcopo habuêre, in qvem calumniarum ſuarum tela & obloqviorum ſpicula ſummo animi impetuoſi niſu evibrarunt. O ſi Literatis Chriſtianis tela iſta in unum collecta faſciculum, convitia inqvam, jactatæq; nullo non ævo in probos Doctores & Scriptores contumeliæ, mentis pacatæ conſpectui paterent, haud inviti communem illam cum ſanctiſſimis Dei ſervis ſortem ſubirent, planiſſimè ſibi perſvadentes, iſthæc tranſmiſſa ex acie hoſtili tela, fortiq; excepta pectore, loricâ conſcientiæ rectioris haudqvaqvam perforatura, ſed caſſo evibrata labore, gloriæ perennantis atrium certo certius ſuo tempore exornatura. Cum Leonides qvondam (Plutarcho referente) exercitum ſuum in campum eduxiſſet, qvendam è barbaris audivit ſibi inſultantem; *tantas eſſe copias barbarorum, ut telis ſuis Solem ipſum eſſent obſcuraturi*; ad Pſ. XI.

 qvem

qvem laconicè Leonides; Ergo sub umbra pugnabimus! Impetantur licet denſiſſimo telorũ agmine, ac atra calumniarũ nube obſcurentur fortiſſimi athletæ Chriſtiani, ſub umbra tamen ſecurè feliciterq; dimicabunt, perpetuæ felicitatis brabeo tandem aliqvãdo exornandi.

II. Non eſt ſanè, qvod ob immiſſa maleferiatorum tela tantoperè triſtentur ſinceri philothei; lætiſſimo potius atqve ſereniſſimo illa excipiant pectore; atqve manifeſtum argumentum præbeant, Chriſti ſpiritum, primævamqve pietatem etiamnum à ſe cuſtodiri Qvamprimum ille deficeret, deficerent pariter obtrectationes, qvibus boni omnes à longo ſeculorum decurſo tempore ſunt infeſtati. *Levent itaqve capita ſua* genuini Salvatoris Diſcipuli, atqve inæſtimabiles utilitates, qvas perverſorum calumniæ finitimas habent, ad animum ſuum etiam atqve etiam revocent. *Si de mundo* Joh. 15. v. 19. *fuiſſetis, mundus, qvod ſuum erat, diligeret; qvia verò de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo; PROPTEREA ODIT VOS MUNDUS.* Suſpectæ admodum ſint pietatis ſinceræ cultori, longæ nimis criminationũ induciæ, nec extimeſcat ille Satyricorum meta & mundanorum ſcopus fieri; ſiqvidem nonniſi excellens virtus Invidiæ crabrones irritare, & ſtyli non minus mucrones, qvam lingvæ probra in ſe provocare ſoleat. *Si aut ſiſcel-*

fiſcellam junco texerem (elegantiſſimè aitHieronymus) *aut palmarum folia complicarem, ut in ſudore vultûs mei comederem panem, & ventris opus ſollicitâ mente pertractarem, nullus morderet, NEMO REPREHENDERET. Nunc autem qvia volo operari cibum, qvi non perit, & antiqvam Divinorum voluminum viam, ſentibus virgultiſqve purgare, FALSARIUS DICOR.* Sic eſt profectò, hoc præmii manet impigros omnes in vinea Domini operarios, atqve SINCERÆ cultores PIETATIS, qvi ſi futilia tractarent, aut ſupervacanea, ſi malè viventium mores diſſimularent, nec impoſtorum technas ducerent retegendas; ſuſtinerentur pariter, ac laudibus in cœlum uſqve eveherentur: Qvamprimum verò DEI negotium fortiter aggrediuntur, fraudibusq; perverſorum maſculè ſe opponunt, rabidos moloſſorum illorum dentes in ſe convertunt, Leonumq; furentium ubiq; patent morſibus. Teſtatiſſimum ſanè eſt, omnes eos, qvos ad cultum ſuum promovendum DEUS unqvam elegit, graviſſimarum injuriarum tenebras & eclipſes atrociſſimarum calumniarum tunc ſubiiſſe, cum pietatis exaſciatæ radios, & zeli ferventioris ignes emisêre. Qvotidiana oculorum noſtrorum experientia diſcimus, non modo nihil AURO carbones ignitos, fornaces ſuccenſas, gravioraqve malleorum pondera nocere, ſed etiam prodeſſe, cum

Hieron. epiſt. CXIV. conf. præf. ejus in Job.

Digitized by Google

à ſcoria id ſecernant, atqve reddant illuſtrius; cæterum aliam longè ſtraminis & palearum fortunam eſſe, qvas vel ſcintillæ afflatus in cinerem reſolvere, & ventis ludibrium objicere valet. Qvem in ſenſum ſcitè *Auguſt. in Pſ. XXI.* Auguſtinus; *Paleam ignis* [inqvit] *in cinerem vertit: AURO SORDES TOLLIT,* addens in ſolatium adflictorum ſeqventia: *In qvibus habitat DEUS, utiqve in tribulatione meliores fiunt.* Qvidni rideant pii cunctos maledicorum fremitus, ſi *NULLA SUA CULPA* iis infeſtentur? *Nam niſi nos ipſi* [ait nonnemo] *alimenta ſubdamus flammis, qvibus in nos exardeſcunt impii, quantocyùs intepeſcent, cum notaverint negari fidem neqvitiæ ſuæ, nec probitatis noſtræ radios fuligine opprimi, quâ noſtrum nomen maculare ſunt conati.* Tumultuetur licet Orbis & orcus, mineturqve bonis vehementiora Babylonicis rogis incendia, mox tamen ea in delicias roris, & lenes zephyrorum auras abibunt, dummodo nulla vitæ propriæ perverſitas ſarmenta ſubjecerit. *Exundans flamma* (ita appoſitè ad Furiam Hieron.) *deficientibus nutrimentis paulatim emoritur; ſi anno præterito fama mentita eſt, aut certè ſi verum dixit: CESSET VITIUM, CESSABIT ET RUMOR.* *Ambroſ. epiſt. 82.* Qvem etiam in ſenſum D. Ambroſius Vercellenſem Clerum conſolabatur, cujus famæ vulgus infeſtiſſimus erat: *Fœnum, ſtipula,*

la, lignum, alimenta ignis ſunt, ea ſi detrahas, IGNIS SOPITUR. Eqvidem ſi fideles, injuriis & calumniis exagitati, tales ſe præſtiterint, qvales Chriſtus eos, cum mundo exemit, eſſe voluit, dubium non eſt, qvin vel ab ipſis hoſtibus tandem aliqvando laudibus maximis ſint exornandi. A ſeculi vanitate omninò alienam vitã illi ſi exigant, haud ita facile moloſſorum latratibus infeſtabuntur, ipſaqve perfidia, qvod credi neqvit, confingere in poſterum erubeſcet.

III. Nobile admodum ætate noſtra THEOPHILUS RAYNAUDUS evulgavit opus ſub HOPLOTHECÆ titulo, contra Calumniæ ictum, oſtenditq; luculentiſſimè, qvâ ratione optimi & ſanctiſſimi homines teterrimis etiam conviтiis CITRA NOXAM, nec niſi cum labe temporariâ ſint impetiti. Suppetias nimirum adverſus malignantium phalanges Viris doctrinâ & probitate illuſtrioribus allaturus, atqve *labantem eorum fortitudinem* [uti præfatio habet] *communiturus* Author, poſt nonnulla circa naturam & varia adjuncta calumniæ præcognita, aptiſſima qvæqve ex *Hoplothecâ Chriſtiana* munimenta petiit, propoſitis nimirum multivariis patientiæ ac fidei Sanctorum *exemplis*, in qvæ contuentes alii, ad eandem mentis firmitatem atqve conſtantiam animentur. Studio planè admirabili Raynaudus bonos qvosqve eo malo infeſtatos

Extat hæc Raynaud. lucubratio Tom. 12. opp. à p. 383. ad 728.

tos notavit, atqve ſigillatim illos recenſuit; qvibus falsò tributa fuit noxa in DEUM, Atheiſmus, Idololatria, Judaiſmus, Apoſtaſis, & plena à fide defectio; Hæreſis item ſive formalis ſive materialis, ſchiſmatis amor, cum heterodoxis aliisqve impiis ſocietas, blaſphemia inſuper, perjurium, ſuperſtitio, Simonia, ſacrilegium, Magia, & abominabilis quælibet cum dæmone ſocietas, defectio à Majorum inſtitutis. Dehinc pios ſanctosqu e viros recenſuit, qvibus per calumniam probra PROXIMUM attingentia fuerunt impoſita; ipſum ſc. homicidium, inceſtus, nullaqve non comixtio infamis, adulterium præſertim; furtum inſuper atqve rapina, plagium, fides violata, mendacium atq; impoſtura, prævaricatio qvoqve & exploratæ veritatis ſuppreſſio, aſſentatio, & ingratitudo, odium Principis & ſeditio; Superbia ad hæc, ambitio, invidia, hypocriſis, captatio novitatum, avaritia, prodigalitas, ingluvies & bibacitas, ira, ſummaq; animi imbecillitas, ſimplicitas & malignitas, blanditia, ignavia, labesqve infinitæ aliæ. Sanè cum idem nunc ſit diabolus, idemq; nullarum non calumniarum architectus, qvi ab initio ſuæ fuit defectionis, nec genium ſuum artesqve nocendi mutaverit, qvinimò iiſdem planè calumniarum telis bonos hodienum impetat; qvibus ſanctiſſimos olim

Do-

Doctores appetivit; fructuoſiſſimum ac utiliſſimum erit, ex opere illo Raynaudiano cognoſcere, cujuſmodi fortitudinis clypeo tela illa excipienda, qvâve animi conſtantiâ prudentiâqve adverſus hoſtilem virulentiam ſit decertandum. Non minus Sacræ hiſtoriæ, qvam moralis aſceticæqve doctrinæ uberrimam ſegetem Vir ille πολυμαθέστατος in laudato libro exhibuit, atqve cunctarum calumniarum fontes detegendo, probrorumqve, Sanctis omni ævo impactorum maculas ſigillatim recenſendo, *Panarium* (ut ipſe loqvitur) peculiare adverſus calumniæ virulentiam confecit, & qvomodo qviſqve calumniam paſſus, ad hominum & doctiſſimorum & ſanctiſſimorum exemplum ſeſe gerere debeat, luculentiſſimè demonſtravit.

IV. Singularem præ cæteris laud. Authoris effatis, qvædam ſententiæ octavi Capitis elegantiores merentur obſervationem: *Habet hoc proprium* [*ait Gregorius*] *antiqvi hoſtis invidia, ut qvos in pravorum actuum perpetratione* DEO *ſibi reſiſtente decipere non valet; opiniones eorum, falſa ad præſens ſimulando, dilaceret. Ejuſmodi cum ſit Satanas adverſus eos, qvos ex ſolâ invidiâ, qvâ in omnes bonos flagrat, inſectandos ſuſcipit, qvis non videt, qvalem ſe præſtiturus ſit erga eos, qvos cauſæ Dei utiles,* *Greg. M lib. II. indict. X. epiſt. 23.*

& ſubducendæ tartaro prædæ idoneos deprehendis? Adverſus hos quippe, non ex eo tantum GENERALI CALUMNIARUM *fonte, quem invidia & odium univerſale in omnes homines efficiunt, concitatur, ſed ex ſpeciali odio, imò rabie & ſingulari efferatione. Itaque ſemper notatum eſt, homines eximiæ in Dei Eccleſiâ utilitatis, tetrioribus & denſioribus calumniis patuiſſe. Exemplo ſint S. Athanaſius, & S. Chryſoſtomus; Ambo vitæ ſanctitate, Zelo Catholicæ fidei, & laboribus pro Eccleſiâ omni encomio ſuperiores. Uterque tamen adeò denſis & atrocibus calumniis patuit, ut quaſi ſignum ad ſagittam poſiti viderentur. - - Excitat ſummis hominibus hos turbines Satan, cum in ultionem damnorum, quæ ab eis patitur, & in exſaturationem odii, quo propter diſſidentia ſtudia contra eos effervеſcit; tum etiam ut eos inidoneos reddat ad deinceps ſibi nocendum. Nemo enim niſi bonæ famæ fuerit, poteſt agere idoneum animarum curatorem, ut propterea S.* Auguſtinus lib. de bono viduitat. cap. 22. *nobis dicat neceſſariam eſſe conſcientiam noſtram. Quomodo verò, qui infamatur ut turpis & obſcœnus, poſſit fructuosè ad caſtimoniam & mentis ac corporis puritatem adhortari? Quomodo qui avarus audit, de profeſſione rerum ſuarum in pauperes cum fructu aget ad populum? Quomodo denique ſuperbus, abſque poſticis vel etiã anticis ſannis de humilitate & gloriæ contem-*

tem-

Digitized by Google

temtione diſputabit? Nihil haud dubiè magis elevat dicentis orationem, qvam vita, vel vitæ fama (qvod perinde eſt) diſſidens ab oratione, & factorum cum verbis pugna, ſaltem in hominum exiſtimatione atqve judicijs. Hoc igitur perſpectiſſimum habens Satan, ſollicitus admodum eſt, ut famam eorum à qvibus timet ſuis profectibus, obnubilet qvantis poteſt calumnijs; certus, qvantum de eorum fama decedit, tantum de facultate proximos juvandi & Dei gloriam promovendi decedere. -- Nec illa hanc in rem ratio parvi eſſe momenti debet, qvam S. Gregorius proponit, conſolans Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum, multis calumnijs appetitum, qvas cum à Satana profectas præmiſiſſet S. Pontifex, & à ſe ritè diſcutiendas ablegata facilitate nimiâ & crudelitate docuiſſet, addit: Unde Sanctitas veſtra debet mentem ,, ſuam à maledicorum hominum rumoribus ,, atqve obtrectatione disjungere, & ſola, quæ ,, æternæ vitæ ſunt, atqve ad utilitatem ſub- ,, ditorum proficiunt, cogitare: qvia & ad ,, hoc fortaſſe antiqvus hoſtis tali curâ impli- ,, plicari vos voluit, ut dum fraternitatis ve- ,, ſtræ animus erga ea, qvæ ſua ſunt indeſi- ,, nenter occupatur, aliena minus cogitet, ,, & nullum verbi ſolatium ſubditis inferat, ,, atqve perversè agentibus nulla diſtrictio- ,, ne contradicat. Sic namqve in corporali ,, prælio fieri ſolet, ut is, qvi in certamine ,, vexil-

Greg. M. lib. VI. indict. 15. epiſt. 14.

„ vexillum portat, ipſum hoſtis vehementer
„ impetat: qvatenus ſi ipſe, qvi à cæteris
„ attenditur vulnus accepit, multitudo om-
„ nis citius diſperſa capiatur. Hoc igitur
„ opinionis illatæ vulnus ſentire veſtra fra-
„ ternitas non debet; ſed vitam atqve me-
„ liorationem ſibi commiſſorum curare, qva-
„ tenus venturo judici, bonã poſſitis & de ve-
„ ſtra innocentia, & de ſubjectorum meliora-
„ tione ponere rationem. *Quæ ergò aſtutia in bellis terrenis percommoda eſt, dum hoſtis alicubi timendus, alibi laceſſitur, ut averti à priore inſtituto cogatur, eadem in ſpirituali hoc bello Satanæ nobiſcum cedit illi perbellè, ſi viri eximij [per qvos inter mortales negotium Dei promoveri poſſet] diſtrahantur ad alia. Nam v. gr. dum intenti ſunt in propulſandis calumnijs, qvibus onerantur; aut prorſus omittunt labores pro converſione animarum, aut pluribus intentus eorum ſenſus, minor eſt ad negotium Dei, qvod totum hominem expoſcit. Hæ igitur ſunt cauſæ, cur calumnia in viros probos graſſetur, eoq; ferocius ac truculentius, qvo magis eminent probitate. In Impios enim non eſt, qvod hoſtis falſa probra per calumniam congerat, cum abundent veris. Neque Satanas, qvi magna ex parte eſt Calumnia, ſicut & cæterorum peccatorum incentor & ſator, admodum ſibi ab eis timet, ſicut timet à probis & pijs, præſertim ſi ſint inſigni ſanctitate. Itaque*

hos

hos præſertim ſummos montes feriunt ejus fulmina, nihilqve prætermittit, qvo minus eorum famam profliget, ut ſic eorum labores ad Dei gloriam caſſos reddat. Nec minus egregiè idem Raynaudus notavit, calumniam Viros probitate ſingulari conſpicuos, ferocius in amplioribus urbibus impetere, qvam in tenuioribus & obſcurioribus locis conſtitutos: Cum enim in magnis & populoſis civitatibus ſatanas plurimos à ſuis partibus habeat, mirum non eſſe, qvod multi ibi cernantur, qvi viris bonis & innoxiis ſtruant inſidias, calumniaſqve & falſa impingant probra: Innuit id ipſum alicubi diſertè Hieronymus; *Difficilè eſt* (ſcribens) *in MALEDICA CIVITATE, & in urbe, in qvâ Orbis qvondam populus fuit, non aliqvam ſiniſtri rumoris fabulam contrahere; unde qvaſi rem difficillimam & penè impoſſibilem optat Propheta potius qvam præſumit, dicens; Beati immaculati in viâ, qvi ambulant in lege Domini, &c.*

Hier. in Marcel. vid. epitaph. ad Princip.

V. Porrò, cum non unum ſed multivarium calumniatores ſervent agendi modum, ut neqvitiæ ſuæ tela eò fortius atqve validius evibrent, hinc non inutile erit, nec infructuoſum, ex eodem Raynaudo notas qvaſdam diſcere characteriſticas, qvibus calumniatorum genius magis magiſqve deprehendatur, dignoſcaturqve, & fuci, qvos mendaces illi, ſimplicioribus facere, qvibuſve utplurimum

ſan-

ſanctæ veritatis tectorium obducere nitu-
tur, nemini non pateſiant. Arma inqvam ob-
trectatorum damnifica, laudato authore præ-
lucente jam proferamus, ut æternum obtun-
dantur atqve comminuantur. Faceſſant au-
tem ſcioli, neqve doleant ſi maledicos exa-
memus, niſi cum illis partem habere, & hoc
ce aſperum de ſe judicium audire velint,
nolle ut illæ tenebræ detegantur, qvibus ipſ
detinentur, nolle ut calumniantium fuci, qvi-
bus malitiam ſuam conveſtiunt, eliminentur,
ne furva ipſorum facies, per mendaciloqvos
inducta detegatur, & pluſqvam ſatanicam
ſuam neqvitiam, pœnæ & opprobria meritiſ-
ſima excipiant. Arrigite aures Pamphili, &
Baſil. hom. X. Hexaë. ſeqventes obſervate GENII CALUMNIATORII
characteriſtas notas: Magnus Baſilius peſſi-
mum illum ſatanæ angelum graphicè deline-
aturus, appoſitiſſimè calumniatorem cum
SCORPIO compoſuit, hoc eſt venenato illo
animali, qvod brachiis amplectatur appro-
pinqvantem, & cauda feriat, adeoqve exte-
rior ſpecies gratum qvid præferat, ſed interi-
ora plena ſint fraudibus & dolis; Tales om-
nes blandi & benevoli illi ſunt trucidatores,
bonis & probis non qvidem in faciem reſi-
ſtentes, ſed mox ut receſſerint derogantes, nec
unqvam mortifera occultè inferre deſinentes.
O genuinam, non verò ingenuam maligni ca-
lumniatoris imaginem! Si manifeſtè ille,
&

& qvaſi apertâ vi, in alterius famam irrueret, & vultum præ ſe ferret hoſtilem, nullam prorſus apud audientes inveniret fidem; verum cum amicus potius qvam hoſtis apparere velit, amica etiam ſpecie, & blandiloqvio fucato imponere ſimplicioribus non dubitat, inter blandos iſtos amplexus, lethales inferens ictus. Eſt & ille calumniatorum ſolemnis uſus, obſervandi qvâ parte audientiũ credulitas commodius labefactarì poſſit, cum qvædam ſint, qvi irrito & caſſo conatu tentarentur. Explorant itaqve qvâ ex parte minus munitum & imbecillius firmatum ſit audientis pectus, & eò potiſſimum dirigunt pudendæ calumniæ machinas. Qvo de calumniatorum ſtratagemate non malè Lucianus; *Jam* (ait) *uti probabilem & dignam fide calumniam faciant, non qvod fortuitò caſus oſtendit, prehenſant: ſed in hoc toti ſunt, ut accurato delectu obſervent, ne qvid abſonum, aut alienum à cauſæ fide incidat. Adeò rationes ejus qvem criminantur, univerſas in pejorem partem trahunt, ſuſpectas reddunt, qvo fidem addant accuſationi. - - Medicum inſimulant veneficii, magnificum civem affectatæ tyrannidis; tyrannum proditionis; interdum auditoris affectus ſua calumniis diſcrimina ſuppeditat, cum qvo ſi veteratores iſti & nugivenduli ſuas technas comparent, aptè illuditur - - Talia ferè ſunt, qvæ ab impuris iſtis confinguntur, vide-*

Lucian. de non temerè credendo calumn.

videlicet ad irritandos audientium animos maximè accommoda &c. Imitantur profectò eâ agendi ratione diabolum, qvi totus in eo eſt, ut pronitates eorum, qvos impetit, habeat perſpectiſſimas, impetum haud fruſtraneum eâ ex parte facturus, qvæ ad excipiendam hoſtilem impreſſionem aptior fuerit. Similiter & calumniatores (neqviſſimi illi ſpiritûs maligni æmuli) ſtudiosè explorant, qvâ ex parte & auditor, & is qvi probro notandus eſt, facilius ictui pateant, fortioresq; ſuas machinas eò obvertunt.

VI. Solemne item eſt calumniatoribus ZELUM ementiri, & falsâ ſpecie promovendæ honeſtatis, ac exterminandi vitii ſpiculũ ſigere, qvemadmodum David ſub aliâ imagine de ſtrenuo calumniatore Doëgo Idumæo pronũciavit. Pari eqvidẽ cũ eo malignitate, recti ſc. ſpecie, omnes obtrectatores Viros innoxios dehoneſtant, nec aliud, zeli pro virtute ſiparium obducentes, qværunt, qvam ut ſecurius noceant, & cõmodius ad optatum finem pertingant. Cognati ſunt famigeratorũ calumniatores, qvare utriq; feſtucas augent in trabes. Si qvid minutum & exile occurrat, qvod poſſit in nomen alterius intorqveri, per auxeſim grandefactum, magno cum bombo intentatur, ut famigeratoribus mos eſt, apud qvos micæ attolluntur in montes, & atomi in moles immanes amplificantur. Nimirum

Pſ. LII.

ut

Digitized by Google

ut eſt apud Tertullianum in Apologetico; fama plurimum mendax, ne tum qvidem, cum aliqvid veri affert, ſine mendacii vitio eſt, detrahens, adjiciens, demutans de veritate, & qvantacunq; aſſeveratione conſtructa, tamen ab uno aliqvando principe exorta, exinde in traduces lingvarum & aurium ſerpit, novis ſemper cumulata acceſſionibus, jugibus & variationibus permutata. Igitur ita ſe habent famæ initia & incrementa per famigeratores; nec aliter calumniæ progreſſus, per famigeratorum germanos, calumniatores, qvæ optimè alicubi perſtrinxit Hieronymus ad h. m. *Rumores turpiſſimos ferunt, & qvod ab ipſis egreſſum eſt, id ab aliis audiſſe ſe ſimulant, iidem authores & exaggeratores. Exit fama de mendacio, quæ cum ad matronas pervenerit, & earum linguis fuerit ventilata, provincias penetrat, videas pleraſqve rabido ore ſævire, & tincta facie, viperinis orbibus, dentibus pumicatis, carpere chriſtianos.* Illud deniqve in calumniatorum ratione eſt valdè præpoſterum, qvod circa ea aliis probrum falſò inurere plerumqve notantur, qvibus ipſi maximè ſordent. Familiare id eſt ſcortis, qvæ ubi primum rixa illis cum aliâ honeſtâ muliere exoritur, non dubiæ qvin auditur æ ſint, qvod ſunt, anteoccupant probrum, & faciem ejus cum qvâ rixantur, ignominia adimplent. Non ſecus accidit calumniatoribus, qvi qvo ſe juſtè

Tertull. Apolog. cap. 6.

Hieron. epiſt. 10.

ſtè in aliorum criminatione falsâ culpandos norunt, eò flagrantius & æſtuoſius concitantur adverſus perſonam cui falſam maculam imponunt, rati eò credibiliorem fore dicentium orationem, qvo plus præ ſe tulerit ardoris in arguendâ falsò impoſitâ turpitudine; & eò magis elongandam ab ipſis ſuſpicionem propriæ culpæ, qvo acrius eam in aliis averſantur. Qvis enim credat eum labe aliqvâ ſordere, qvem videt vitium in alio damnare tanto cum æſtu & concitatione? Et tamen non rarò deprehenditur, qvod Satyricus deteſtabatur Satyr. 2.

Clodius accuſat mœchos, Catilina Cethegum.

Qvi inqvam maximè delinqvunt, in aliqvo genere, non rarò per mendacium infamant alios circa illud ipſum, cujus ſunt maximè rei. Qvæ hæreticis ſemper perfamiliaris fuit neqvitia, ut orthodoxos falsò incuſando, ſe ipſos verè condemnēt; eundēq; Ethnicis olim genium maleferiatum fuiſſe, Octavius apud Minutium tradidit, ut Chriſtianis facinora, de qvibus ipſi ſibi fuêre conſcii, qvæqve in Deos etiam ſuos retulêre, neqviter exprobrarint, id ipſum pleriſqve uſu venit calumniatoribus, ea nimirum innoxiis tribuentibus crimina, qvæ ipſi fronte perfrictâ freqventiſſimè perpetrarunt, cum tamen indigniſſimum ſit, carpere in alio labem, qvâ ipſe reprehenſor putidiſſimè ſordeat. Sed & aliæ, æqve illuſtres

ac

Digitized by Google

ac memorabiles adiiciendæ eſſent laudati authoris de eâdem peſte ſententiæ, qvibus tum virus & malignitatem calumniæ oſtendit, tum originem ejus, ſeu fontes fœtulentos; tum pœnarum etiam, omni jure calumniatoribus ſtatutarum atrocitatem edocuit; nî ipſi idem egiſſemus alibi, atqve ſtylo & filo prolixiori Maledicentiæ noxam oſtendiſſemus Non prætereunda tamen eſt inſignis JUSTI LIPSII de Calumnia Oratio, qvæ in calce Centuriæ epiſtolarum qvintæ legitur, atq; literatis, hoſtium ſuorum malignitate graviter impetitis, Chriſtianæ patientiæ LORICAM verbis [qvæ ſeqvuntur] ſignificantiſſimis commendat: *Confer Coment. VI. de Maledic. liter.*

JUSTI LIPSII
DE
CALUMNIA ORATIO,
qvæ Tomo I. Opp. p. 183. ſeqq. legitur.

„ DE Calumniâ dicturus hodie, & hoc
„ qvicqvid eſt Vitii in lucem protra-
„ cturus ſum. Tu DEUS, qvi boni-
„ tas, candor, amor totus es, dirige & prælu-
„ ce mihi adverſus inimicum tibi vitium; &
„ mentem ac lingvam move, ut generi hu-

„ mano innocentiam inſtillem, & in vitâ, di-
„ ctis, ſcriptis probitatem, pacem & charita-
„ tem. Calumniam hîc definio occultam
„ læſionem, imminutionemqve alterius, in
„ ſermone aut ſcripto, mixtam fraude, dicta
„ ea eſt à calvendo, qvod priſco verbo fruſtrà
„ habere & decipere ſignificabat. Omnis e-
„ nim Calumnia mentitur, & fallit, ut mox
„ dicam, & mendacium aut fucum auctorem
„ habet. Græci διαβολὴν dixêre. Item ap-
„ poſitè, qvod qvaſi trajiciat ac penetret, &
„ noxio lingvæ ſuæ telo defigat. Finis ſcil.
„ illi primus, fallere; qvod Latini conſide-
„ rarunt: Ultimus, lædere; qvod Græci.
„ O vitiorum vitium! & tamen qvod hodie
„ crebrius eſt? qvod cum majori pernicie
„ conjunctum rei privatæ & communis? Ad-
„ do etiam, qvod neglectum magis à novis
„ ſcriptoribus & antiqvis? Qvare cum nemo
„ ſtudioſiùs paulò, qvod ſciam, de illo aut
„ non illud dixerit; ita ſpero ut tractatio e-
„ jus non ſolum fructuoſa futura vobis ſit, ſed
„ nec mihi ingloria: qvi primus ingredior
„ aperire id & diffundere ſtilo. De iſtâ igi-
„ tur tria hæc dicam. Qvàm fœda ſit! Qvam
„ pernicioſa: Qvomodo cavenda. Hæc ſin-
„ gula dum ſubtiliùs paulò & uberius perſe-
„ qvor, qvæſo vos, auditores, adhibere mihi
„ non aures ſolùm ſed animos: & vela hæc,
„ ut ſic dicam, orationis meæ, Zephyro bene-
„ volentiæ veſtræ afflate atqve dirigite. Et

Digitized by Google

Et fœditatem qvidem Calumniæ, qvo ,,
clariꝰ vobis argumento oſtendam, qvàm i- ,,
ſtoc duplici? Qvòd & in fœdiſſimas ea per- ,,
ſonas cadat: & qvod fœdiſſima ſit ipſa. Per- ,,
ſonas qvidem triplici hâc notâ inſignes, Vi- ,,
les, Ignavas, Loqvaces. Viles: adeò verè ,,
à me dictum, ut negem, non dicam bonam, ,,
ſed mediocriter bonam altamqve indolem, ,,
unqvam hac labe fuiſſe aſperſam. Vetus & ,,
noſtrum ævum excute, non aliter leges, vi- ,,
debis, audies; qvàm triſtes qvaſdam mali- ,,
gnaſqve naturas, qvas ſidere ſuo Saturnus ,,
afflavit, aliis invidentes, ſibi diffidentes, ,,
pronas ad hoc vitium & factas. Videtiſne ,,
minutos illos canes & degeneres, qvi hoſpi- ,,
tes allatrant, feras non tangunt? Tales de- ,,
teriores iſti hominum, qvi lædere tantùm ,,
innoxios nati & vexare. Nati, inqvam, ,,
qvia revera ad hoc vitium ita vergunt & in- ,,
clinant, ut qvies iis non ſit niſi aliis inqvie- ,,
tis. Tum notâ alterâ, Ignavos feci. Qvid ,,
clarius? Prima ſcintilla & fomes Calum- ,,
niæ otium eſt: nec unqvam aut vacabit aut ,,
lubebit in alienas res inqvirere, qvem ſuæ ,,
diſtinebunt. Apud deſides & ignavos ,,
mala Diva habitat, & apud eos ſedem po- ,,
ſuit ſui regni. Negat qviſpiam? Forum & ,,
Baſilicas noſtras pauliſper adeat: in qvi- ,,
bus uberrima cottidie calumniarum ſe- ,,
ges ſeritur, nonniſi ab iſtis qvibꝰ unum hoc ,,

„ opus eſt, ambulare & fabulari. Publica il-
„ lic & privata vapulant: Principes, & ad-
„ miniſtri peccant: alius hoc fecit, alius hoc
„ dixit: deniq; nulla de qvoqvam fabula eſt,
„ qvæ apud eos ſtet, ut cum Poëtâ dicam, ta-
„ lo recto. Atqve hæc ſi periti ipſi rerum fa-
„ cerent, minus indignarer. Nunc homines
„ non ſolum ignaviſſimi, ſed & ignariſſimi
„ rebus iis calumniando ſe miſcent, ad qvas
„ cogitatione & ſenſu non pertingunt. Ut
„ in navi nemo Vectorem ferat, qvi nautas
„ moneat idemtidem aut culpet, ipſe interea
„ imperitus manum non dicam clavo ad-
„ movere, ſed remo: Ita meritò importuna
„ nobis & moleſta vaſcula hæc inania; qvæ
„ maxime tinniant, & liqvoris minimum ha-
„ bent. Deniqve nota tertia, loqvaces. Et
„ qvi poteſt aliter? Naturâ hoc lingulacis
„ inſitum, ut non multa ſolùm loqvantur,
„ ſed mala. Si qvis veſtrûm adfuit indomi-
„ tis iſtis, & qvibus, ut Pindarus ait, os ſine
„ fræno: nonne præcipuus illorum ſermo
„ non ſolum de aliqvo, ſed in aliqvem eſt?
„ Certè. Audita enim & non audita effe-
„ runt, qvæ vera, qvæ vana. & ut in Judeæ
„ lacu Aſphaltite nihil mergitur, ſed ſuper-
„ natant omnia injecta: ſic in iſtorum pe-
„ ctore nihil conditur, ſuperfluunt, imò ef-
„ fluunt cuncta. Et qvid aliis parcere eos
„ credas? nec ſibi, qvoniam huic morbo id
qvo-

Digitized by Google

qvoqve proprium, ut ſi in alienos dicere „
nihil habeant, in ſuos dicant, atqve adeò „
in ſeſe. Ut in longâ fame, corpora noſtra „
alimento defecta, ipſa ſe depaſcuntur: ſimi- „
le evenit in iſtis.

Atq; ecce perſonas habetis, qvibus gau- „
det & aſſidet Calumnia: qvod ordo nunc „
jubet, producam ipſam, & qvidem in vero „
ſuo vultu. Omne ego vitium deteſtandum „
& fœdum fateor: Verùm hoc eximiè. Qvod „
non ſolum in fœdis, ſed natum & confla- „
tum è fœdis. Poëtæ Chimæram ſuam è tri- „
plici corpore fingunt: ſed fingunt. Hîc i- „
pſa res eſt, & ad hoc monſtrum Calumniæ „
conſtituendum cœtus & mixtio concurrit „
trium vitiorum. Nam architecti ejus præ- „
cipui & qvaſi parentes ſunt, Mendacium „
& Invidia: Curioſitas autem nutrix. Co- „
gitate ipſi, qvàm bella hæc proles ſit, à bel- „
la hâc vitiorum triga. Mendacium inqvam „
ei pater. qvidni? qvod animat ſcil. & in- „
ſpirat omnem Calumniam; qvæ jaceat, nec „
vitam aut ſangvinem habeat ſine illo. Qvis „
Calumniator ſimplici vero contentus un- „
qvam fuit? qvis ficum dicere ficum? nec „
poteſt qvidem, qvia aliter vim nocendi non „
habeat, nec finem ſuum aſſeqvatur niſi a- „
beat extra veri fines. Itaqve auget maliti- „
osè omnia & attollit. Atqve ut convallium „
ille ſonus, qvem echo dicimus, pro unâ vo- „

„ ce duas treſqve reddit: ſic iſte geminat vi-
„ ſa & audita. Verbulo de qvopiam qveſtus
„ ſum? graviter accuſaſſe me dicet. Leve a-
„ liqvid notavi? Carpſiſſe omnia. Ambigu-
„ um ſermonem habui? qvod deterius eſt,
„ eliget & ad ſummam, qvod Medici de cu-
„ curbitis dicunt qvas corpori affigunt, non-
„ niſi paruum eas vitioſumqve ſangvinem e-
„ ducere: Verius de iſto ego, qvi adtrahit
„ ad ſe nonniſi mala. Atqve utinam adtra-
„ hat tantum. Sed ſæpè à ſe addit, & inſper-
„ git: & ut dicta, ut facta refert, qvæ ne in
„ ſomnio nobis cogitata. Sicut araneæ caſ-
„ ſes & filamenta mirâ arte è ſuo corpore gi-
„ gnunt: ſic iſte fraudium argutos laqveos
„ ſuopte ingenio nectit. Jure igitur men-
„ dacium ei pater: ſed mater etiam invidia,
„ qvæ in illo maligno ingenii utero conci-
„ pit, geſtat, parit deniqve hanc infantem:
„ E moribus & factis Calumniantium qvis
„ id non approbet? Rarò enim in viles &
„ ſui ſimiles telum hoc armant, aut exerunt:
„ Sed in eos qvos virtute, doctrinâ, aut qvâ
„ aliâ laude alios vident anteire. Athletæ in
„ curſu, non eos reſpiciunt, qvos reliqverunt,
„ ſed intendunt ſaltem in priores: Sic Ca-
„ lumnia dirigitur in meliores. In ludis olim
„ & arenâ obſervatum fuit, tauros purpura
„ & rubore maximè concitari, qvi tamen
„ pulcherrimi ſunt colorum: ſimile in iſtis li-
cet

cet dicas, qvorum virus provocat ipſa vir- „
tus. At poſtremò Curioſitatem etiam, Nu- „
tricem Calumniæ, addidi. Veriſſimè: qvia „
ſcil. fovet & nutrit hanc puellam qvæſito „
undiqve rumorum & ſermonum cibo. Tol- „
le eam à Calumnia: qvid poterit? Imbecil- „
la, jejuna, vacua ſedebit: & qvæ nocere „
velit, potius qvam poſſit. Nam hæc eſt qvæ „
materiem ſuppeditat, qvæ domi nunqvam, „
foris ſemper, imò in foris habitat; omnium „
ædes, omnium animos penetrat: Vigil aſ- „
ſidue & ſine ſomno. Hæc rumores paſſim „
colligit: &, heus tu da dexteram, ec qvid „
novi? in aula qvid fit? Qvi ſtatus in An- „
glia? qvis in Gallia? Titius qvid agit, „
qvid Sejus? Talia ac plura ſcrutatur atq; „
excipit: nunqvam tamen plena & ſatura „
ſed ut pædidum ac membrũ ſcabioſum fri- „
cari ſemper vult, ſic iſta ſermonibus, & præ- „
ſertim aſperis maliſqve, aſſiduè ſcabit. Nec „
verò aures ſolùm hujus prurientes & avi- „
dæ; ſed acres qvoqve & acuti oculi, qvos „
cum ſemel aperuit, qvid ea non videt? et- „
iam qvod non videt. Qvid non ſcrutatur? „
aperta, & operta. Tiberium Imperatorem „
ea oculorum indole fuiſſe ferunt, ut noctu „
pariter atqve interdiu cerneret: de hac ap- „
poſitè dixerim, qvæ etiam ea qvæ in tene- „
bris & ſolitudine geruntur, explorat. Do- „
mum tuam claudis? penetrabit. Lingvam „

 con-

„ contines ? pectus inſpiciet. Homines fu-
„ gis? ipſa te inveniet, & ut muſcas atqve e-
„ jus modi minuta animalia nullâ curâ ſub-
„ moveas : non item ullâ cautione iſtam.
„ Hæc Curionum illa gens, qvam Poëta Co-
„ micus ſcitè depinxit :
„ Qvi res alienas curant opere maximo :
„ Qvi omnia ſe ſimulant ſcire, nec qvidqvam
ſciunt :
„ Id qvod Reginæ Rex in aurem dixerit,
„ Sciunt, qvod Juno fabulata eſt cum Jove.
„ Qvæ neqve futura neqve ſunt facta tamen
ſciunt.

Atqve ex his palam videtis, qvanta fœdi-
„ tas ſit Calumniæ, qvæ in turpibus, qvæ è
„ turpibus: qvam mendacium genuit, Invi-
„ dia peperit, Curioſitas educavit.

Agite, ſeqvimini me ad perniciem: qvam
„ alterum velut ſpatium eſſe volui mei cur-
„ ſus. Qvod tamen priuſqvam ingredior,
„ reficite pauliſper animos, & mecum reſpi-
„ rate.

Perniciem ego in Calumniâ validam &
„ variam invenio qvantam nec in ullo (ve-
„ rè hoc non oratorie dicam) vitiorum.
„ Validam ideò qvia acutè imprimis & oc-
„ cultè lædit: Variam; qvia in pleraqve
„ omni re & pleroſqve omnes. Singula hæc
„ breviter videamus. Acutè dico lædere,
„ & mecum ſacer ille Vates, qvi exclamat:
Den-

Digitized by Google

„ Dentes eorum tela & ſagittæ, & lingva eo-
„ rum gladius acutus. Nec longè à mente
„ aut verbis divini Viri hic Spartanus: qvi
„ interrogatus de Gladio: Satisne acutus eſ-
„ ſet? acutior, inqvit Calumniâ. Videlicet
„ hoc ſignificans, nullam è chalybe aut fer-
„ ro aciem eſſe, qvæ conferri poſſit cum acie
„ hâc lingvæ. Qvid enim ea non tangat,
„ aut tactum non penetret? ut fulminis ſub-
„ tilis illa vis omnia pervadit: ſic hæc qvam-
„ vis repoſita & clauſa perurit. Idqve eò ef-
„ ficacius, qvoniam occultè ut addidi, & ex
„ inſidiis id facit. Qvî vites telum, qvod
„ nec vides? Tempeſtatem nobis nubes de-
„ nuntiant, incendium fumus, hoſtem ex-
„ plorator: at ſubita & improviſa pernicies
„ eſt à Calumniante. Minari eum credis?
„ blanditur. Hoſtem præferre? amicum
„ & eâ ipsâ lingvâ, qvá te ſauciat, verborũ
„ prius, imò & laudibus illecebris demulcet.
„ Ut ſcorpium ſi manu teneas, ludere pau-
„ liſper videtur, mox ferit te obliqvâ caudâ:
„ tale imò amplius in iſto eſt, à qvo cum læ-
„ di nihil timeas, jam læſit. O fraudem de-
„ teſtabilem! & ex Oraculo ab Hiſtorico meo
„ ſcriptum, peſſimum inimicorum genus,
„ laudantes. Venena mihi nuda & aperta
„ porrige, vitabo: ſi cibo aut vino callidè
„ mixta, qvi poſſum? non aliter de Calum-
„ niâ cenſeo: qvam bono jure dixerim, mel

vene-

„ venenatum. Hoſtem adverſum, ait egre-
„ giè Saluſtius, deprimere homini ſtrenuo
„ haud difficile eſt: occulta pericula neqve
„ facere, neqve vitare, bonis in promptu eſt.
„ Itaqve validam ab ea perniciem eſſe (primò
„ à me poſitum) ſatis vobis liqvet: nunc
„ qvam varia eadem, audite. Lædit enim &
„ tangit in pleraqve omni re, ut dixi, & ple-
„ rosqve omnes. Qvod ſanè eximium in Ca-
„ lumnia adnotes, & præter ſortem aliorum
„ vitiorum. Qvæ noxam nocere non nega-
„ verim: ſed qvid niſi unam? ſed qvid niſi
„ uni alterivè? Nempe libidinoſum me fac:
„ duos impuritate contaminò. Pone ava-
„ rum; tres, qvatuor, pecuniolâ defraudo.
„ Ebrioſum cenſe; unus aut alter obvius
„ verbera manuum mearum excipient, aut
„ lingvæ. At in Calumnia res habet aliter,
„ qvæ in omnem ætatem, ſexum, ordinem de-
„ bacchatur, calamitas publica & Phaëton
„ qvidam, ut ſic dicam, Orbis terræ. Qvis
„ tam felix aut ſapiens, qvi jactet ab eâ eſſe li-
„ ber? nemo. Paratum enim ſtrictumqve
„ lividum illum dentem in omnes habet; ſed
„ tamen in eos maximè, qvi magni. Qvi-
„ cumqve, qvacumqve in re excellit, hunc it
„ depreſſum, & ut ij, qvi ruere ædificia vo-
„ lunt, columnas primò ſubtrahunt; ſic hæc
„ cui perdere genus humanum libido ſit, per-
„ dit eos qvibus innixus publicus hic ſtatus.
Pru-

Digitized by Google

„ Prudentes, probos, doctos, hoſtes omnes
„ habet: & eos modo criminationum ma-
„ chinis violentè concutit, modo ſuſpicio-
„ num cuniculis callidè ſubvertit. Varios
„ igitur lædit: ſed & variâ in re lædit, nec
„ qvidqvam homini carum acceptumqve
„ eſt, qvod non eripi, certè imminui vi-
„ deas per Calumniæ technas. Te opes de-
„ lectant? Si poteſt, exuet. Alium honores?
„ privabit. Amici qvempiam? hîc verò vim
„ ſuam artesqve exeret: & Lælium à Scipio-
„ ne, Pyladem ab Oreſte divellet. Jam qvid
„ rerum humanarum carius famâ? qvæ jure
„ eſt bonis, ante bona omnia, & ipſam vitam.
„ Nã hæc utraq; caduca & fluxa ſunt: & opes
„ qvidem ante nos ſæpè. Vita nobiſcum ſem-
„ per abit; nomen autem & fama æternant;
„ eaqve ſola, cum non erimus, hîc erunt.
„ Atqvi hanc, unicum Sapientum theſaurum,
„ puriſſimam vitæ gemmam appetit Calum-
„ niator aſſiduè; & ſubtrahere aut maculare
„ conatur omni fraude. Virtutem enim
„ ipſam qvia lædere non poteſt [ſummum in
„ nobis propriumqve bonum] hanc lædit;
„ ſplendorem, lucem, & qvaſi imaginem vir-
„ tutis. Et qvid de hominibus qveror, aut
„ rebus humanis? Proh ſumme Deus! nec tibi
„ qvidem parcit, & tuo cœlo. In rebus enim
„ divinis & religione invenit jam qvod exa-
„ gitet, per qvod nos, imò te lædat. Tua
enim

„ enim illa vox decretumqve eſt, tua ſanctio,
„ ABDITA MENTIUM CÆLESTI MEN-
„ TI RESERVANDA; nec pectoris hujus
„ fibras pulſandas cuiqvam aut reſerandas,
„ niſi qvi eas fecit. At Calumnia aliter, &
„ paſſim jam [ô labem noſtri ævi!] oculos,
„ lingvamqve illuc conjicit, & adyta interio-
„ ris hujus Templi ſcrutatur & calcat. Ille
„ in Religione parum purus eſt, ille parum
„ fortis, tertius parum apertus. Et qvid jam
„ ſupereſt, niſi ut palàm & per præconem ani-
„ mi noſtri ſenſa citentur ad Calumniatoriũ
„ hoc tribunal? Homerus ille, me qvidem
„ Judice, non vatum ſolùm ſed hominum (de
„ profanis loqvor) ſemper Princeps, Aten
„ qvampiam Deam finxit: à qvâ in populos
„ derivatæ omnes noxæ. Qvo fabulæ invo-
„ lucro calumniam eum tegere & tangere vo-
„ luiſſe tam mihi certum, qvàm loqvi me
„ nunc & ſpirare. Nam ita deſcribit:

Perniciosa Dea (verba ejus preſsè interpretor) *qvæ omnes offendit:*

Qvæ terram non tangit, incedit autem per capita Virorum:

Qvæ Jovem ipſum læſit.

„ Per veſtram fidem, ulluſne pictor artifice
„ ſuo penicillo, aut orator ubere ſtilo, cla-
„ rius, expreſſiusqve ſignaverit germanam
„ Calumniæ formam? non opinor. Qvæ
„ omnes, inqvit, offendit. Nonnè hoc
ipſum

Digitized by Google

ipſum eſt, qvod doceo, paſſim & omnes ab „
ea lædi? Terram non tangit, certè. Ra- „
rò enim in viles aut humiles incurrit, ſed, „
qvod addit; Incedit per capita virorum, id „
eſt, ſumma petit & ſummates. Deniqve „
Jovem ipſum lædit. Qvippeni? ſive qvia „
divinas qvoqve actiones calumniatur & „
carpit; ſive qvod jam dixi, nec religio- „
nem immunem habet improbi ſui dentis. „
Atqve hæ noxæ illæ ſunt, qvas privatim ad- „
huc ludit, verè ludit: ſi cum ijs compares, „
qvas publice patrat & in Principum aulis. „
Hîc enim ei ſedes: hîc admiſſis eqvis laſci- „
vit & currit, ut in ſuo circo. Non mihi „
fas ſigillatim perſeqvi [tempus vetat] bre- „
viter hoc accipite. Qvidqvid fraudium, op- „
preſſionum, ſcelerum uſqvam aut unqvam „
in aulis fuit, id manaſſe ab hoc capite, ab „
hoc fonte. Alexandrum illum Magnum „
in tot amicorum neces qvid niſi calumnia „
impulit? Socratem vitâ, Rutilium civita- „
te qvid niſi Calumnia expulit? Tiberios, „
Caligulas, Nerones, & tot portenta tyran- „
norum, qvid niſi calumnia peperit? & ne „
vetera tantum cogitemus: hoc, hoc, miſer- „
rimo tempore, fugas, clades, cædes, & ma- „
ria calamitatum qvas patimur, natæ pri- „
mò non niſi ab rivulis iſtis in aula calum- „
niarum. Doletis hærere in Reipub. viſce- „
ribus diſcordiarum hæc tela? Calumnia in- „
jecit.

„ jecit. Ardere tot jam annos facem hanc „ civilium bellorum? Calumnia accendit. „ Nec qvidqvam malorum videmus aut vidi„ mus, qvod non ab hac ſcaturigine diffu„ ſit. Populi in Reges, Reges in populos, non „ alia re excitati primò atqve irritati ſunt, „ qvam hoc lingvario flabello. Ut maria ſuâ „ ſponte qvieta vento intumeſcunt: ſic Prin„ cipes naturâ ſæpè boni aut mites, per incen„ diarios iſtos inardeſcunt. Perniciem igitur „ validam, & variam in Calumniâ nunc habe„ tis. Qvàm Chriſtiani noſtri veteres præclarè „ intellexiſſe mihi videntur, cum patrem „ omnis vitij, imò ipſum vitium, monſtrum „ inqvam illud ab inferno, Græca voce Dia„ bolum, id eſt Calumniatorem, prope di„ xerunt; arbitrati ſcilicet, nocentiſſimum „ hoſtem, non alio nocentiori nomine po„ tuiſſe deſignari. Nec minus indomitam „ ejus vim legislatores priſci conſidera„ runt, qvi cum vitia cætera legibus aut pœnis „ coërcerent: huic uni, qvod miremur, aper„ tos carceres & velut liberum campum reli„ qverunt ad nocendum. Ite enim per om„ nes hominum Gentes: fallor; aut nullam „ mihi dabitis, ubi vitium hoc legum freno „ aut ſanctione comprimatur. Apud Athe„ nienſes qvidem mulcta pecuniaria calum„ niatoribus fuit, fateor: Apud Romanos „ frons ijs inuſta K literæ notâ; ſed nemo er-

ret;

Digitized by Google

ret; non iſtis meis ſuſurrionibus, duntaxat illis, qvi in Judicio & publica accuſatione calumniabantur. Qvid ergo? aut tam cæci illi, ut perniciem hanc non viderint, aut tam fatui, ut viſam approbarint? Nihil horum, ſed ſcienter & judicio vitium extra pœnam habuerunt; qvod eſſet extra medicinam. Mediocribus amnibus repagula ſua ſunt: Communi alicui diluvio, qvi aggeres reſiſtunt? Orbem terræ Calumnia inundavit, hæret & habitat in peſſimæ hujus naturæ medullis, nec jam inter culpas cenſetur, ſed mores. Qvid facerent? opinor; qvod prudentes & pudentes Medici, qvi nec cancro manum temerè admovent, nec tabi. Itaqve mali magnitudo & diffuſio aſſeruerunt hanc in libertatem: nec comprobata ea, cùm deſperata eſt.

Sed ne longiori Oratione me fatigem, vos detineam: flectere hanc navim ad portum incipio, & venio ad tertiam, ultimamq; partem, qvæ eſt de Calumniæ cautione. Qvam ſi qvis ita accipit, ut immunem tutumqve ab omni Calumnia futurum ſe ſperet: næ ille errat, & exigit à me qvod non eſt virium humanarum. Prodeat, non dicam Thales ille alumnus ſapientiæ, ſed ſapientia ipſa: nunqvam eum dabunt. Qvid ergò eſt? duos tantùm velut clypeos ſuggerere poſſum, qvi vim aciemq; ejus incur-

„ rentis frangant & retundant. E qvibus pri-
„ orem, innocentiam, alterum, patientiam ap-
„ pello. Innocentia ante omnia te muni,
„ qviſqvis effugere vis malæ & hiantis hujus
„ Divæ morſum. Nam certè, qvi vitâ inte-
„ gri, lingva cauti, actione modeſti: qvid ab
„ eâ timeant? ut locis levibus & politis ægrè
„ ſordium aliqvid adhæreſcit: ſic maledi-
„ ctum ſedem vix invenit in vita puriore. I-
„ taqve ſæpè tegmen hoc profuit: mentiar
„ tamen, ſi dicam ſemper. Ciceronem ſcio
„ ſcribere: Ut ignis in aqvam conjectus con-
„ tinuò reſtringitur: ſic falſum crimen in ca-
„ ſtam vitam. Utinam tam verè, qvam di-
„ ſertè! qvam multos enim vel puriſſimæ &
„ pœnè ſuprà hominem vitæ Calumnia læſit,
„ & lædet? & efficaciter læſit adeò ut ſangvi-
„ nem omnem ab iis ſuccumqve duxerit bo-
„ næ famæ. Nec miremur. Calumnia enim,
„ ut docui mendacio ferè graſſatur, & id tu-
„ tò: qvia apud judicem unum, & qvi non
„ qværit plerumqve, ſed credit. Itaqve rem
„ hanc præ magno Oratore vidit melius ma-
„ gni regis adulator, qvi identidem mo-
„ nere ſolitus: Qvidvis in qvosvis eſſe
„ confingendum. Ut enim, ajebat, vulnus
„ maxime ſanet, manebit tamen cicatrix. Pe-
„ ſtilens, ſed ita me DEUS amet, ingenioſum
„ dictum: & cui origo atqve item fides, ab i-
„ pſâ noſtrâ naturâ. Inſitum enim plerisq;
ho-

Digitized by Google

„ hominum, non ſolum patulas, ſed etiam
„ credulas aures delationibus habere, & id
„ magis, ſi ad læſos eæ pertinent, aut læden-
„ dos. Et cum ſemel aſperſus ſis, vix eſt ut
„ plenè eluas hanc labem. Suſpicio inqvam
„ manet, ubi non crimen. Ergo altero etiá cly-
„ peo meritò te munivi: qvem PATIENTIAM
„ dixi. Ejus vim & uſum hunc eſſe volo, ut
„ Calumnias qvas vitare non potes, fortiter
„ & erectâ cervice feras. Varronis argutum
„ olim dictum fuit de mala conjuge: feren-
„ dam eam, aut tollendam eſſe: tu uſurpa in
„ peſſimâ hàc viperarum, & tolera, qvod non
„ tollis. Feras autem? imò & ſpernas. Ut
„ bonus & animoſus miles levia & circum ga-
„ leas crepitantia tela contemnit. Sic Vir ro-
„ buſtus & ſapiens dicteria. Qvid enim tibi
„ tollunt? Famam? bona ea ſemper erit a-
„ pud bonos. Virtutem aut Sapientiam?
„ non ſubjacent ea arbitrio humano. Deniq;
„ cum omnia carptores iſti fecerint, dixerint;
„ vero altoqve animo clamabis, omnia mea
„ mecum porto. Qvòd ſi infamiæ tamen ſpe-
„ cie moveris: bene, ſi verâ; ſin autem falsâ,
„ qvid ad te? Ne applica tibi, non eam ha-
„ bes. Diogenes ille Cynicus altæ ſapien-
„ tiæ vir, & qvi non vicit ſolùm hominem,
„ ſed exceſſit, dicere ſolitus cum turbæ ſub-
„ ſannarent: Illi me rident? ego non rideor.
„ Tu idem fac; & dicta illa omnia ſive ſcom-

,, mata ſic audi, qvaſi jacta in alienum. Nemo
,, ab iſtis conteritur aut contemnitur, niſi qvi
,, antè ſe contempſit. M.Cato, Romanus il-
,, le Socrates, in os percuſſus à qvodam, cum
,, idē ſatisfaceret deinde & deprecaretur: Non
,, Hercules, inqvit, animadverteram. O exi-
,, mium & ſupra Viros Virum! qvi altius me-
,, liusqve putavit non agnoviſſe injuriam,
,, qvam ignoviſſe. Et verò, ſi judicio exa-
,, minamus, qvantula iſta ſunt, qvæ nos tur-
,, bant? rerum plerumqve nihil, ſed verbo-
,, rum aliqvot nugæ: qvorum major etiam
,, pars conſtat vitio interpretantis. Noli ea
,, intelligere, periit convitiatori contumeliæ
,, ſuæ fructus. Hæc vera, auditores, hæc ſo-
,, lida in Calumniam arma ſunt: non illa,
,, qvæ vulgus uſurpat, reponere & vindicare.
,, Ut in viâ, ſi canis aut eqvus luto me adſper-
,, gat, non excandeſco ſtatim & viciſſim in
,, illum regero; ſed potius me purgo: Ita hîc
,, faciendum, & omnes iſti pro caniculis aut
,, eqvuleis habendi, qvi non judicio ſed im-
,, petu & protervià lædunt. Sed jam deſino
,, & complico, ut ſic dicam Orationis meæ
,, vela. Tria hæc audiſtis, fœditatem hujus
,, vitii, perniciem, cautionem. Oro, obte-
,, ſtorqve vos auditores per DEUM immor-
,, talem, ſpernite à vobis longiſſime hanc pe-
,, ſtem; nec à lingvis ſolùm, ſed ab auribus
,, etiam veſtris. Peccat enim hîc non modo

qvi

qvi dicit Calumniam, ſed qvi excipit: & ,,
ut ferrũ ignitum tangere ſine noxa non eſt, ,,
non item aſſiſtere amburentibus hiſce lin- ,,
gvis. Blandiuntur & inſinuant, ſcio; ver- ,,
bis Comitatem, vultu amorem præferunt. ,,
Vos mihi credite: aſpides illæ ſunt & vene- ,,
num ſuum inſpirant ſopiente qvodam & ,,
fallente morſu. Qvod ad ipſos attinet, ni- ,,
hil eos moneo. Voveo & imprecor cum ,,
Davide potius: Muta fiant labia doloſa, ,,
qvæ loqvuntur adverſus JU-
STUM.

COMMONEFACTIO XXVI.

STELLA ECCLESIASTICA CADENS,

SIVE

EXTREMÆ CLERICORUM QVORUNDAM AMBITIOSORUM MISERIÆ.

Ad Comment. VII. num. VI.

I.

QVæ omni mortalium ordini triſtiſſimas clades interminat hians & infrunita ADSCENDENDI cupiditas; ea nullo non ævo fatalis utplurimũ ſumeq; pernicioſa hominum DEO ſacratorum Nationi exritit, malisqve innumeris plurimam ſubminiſtravit occaſionem. Siqvidem horrendas calamitates, & fulminantes miſerias illi Doctores Eccleſiaſtici freqventiſſimè aſpexerint, qvi modicis haudqvaqvam contenti eſſe, nec modeſtè

&

Digitized by Google

& inter inferiora verſari voluerunt, qvin potius volatu arduo nubes ipſas duxêre verberandas. Nec mirum, qvod inter nubes illi qvantocyus evanuerint, atqve STELLARUM CADENTIUM inſtar ad infima Orbis penetralia detruſi, ruinam omnium maximam atqve triſtiſſimam ſubierint. Et qvamvis fulgentia firmamenti ſidera revera non labantur deſuper, * atqve STELLARUM CADENTIUM nomine nonniſi meteora veniant, ex effluvio accenſo [nudasqve Stellarum imagines referente] orta; triſtiſſima tamen omnium ætatum experientia docuit, *Myſticas illas Stellas*, qvinimò fulgentiſſimos doctrinarum hieroſophicarum Luciferos (concitatiori AMBITIONIS infrunitæ turbine agitatos) de ſupremæ felicitatis ſede ex improviſo deturbatos, inqve perditionis miſerandæ puteum dejectos fuiſſe. Prodeant [poſt plures alios in VII. de Ambitione Literatorum Comment. notatos Doctores) TRES famigeratiſſimi, & multijugæ eruditionis lu-

* *Reverâ de cœlo ſi caderent ſtellæ* [ſcribit notanter Joh. Sperlingius Inſtitut. Phyſ. lib. V. cap. 10.] *qvantulus qvæſo etiamnum ſtellarum reſtaret numerus? Nonne jam dudum luminibus ſuis orbatus terrarum fuiſſet Orbis? Et cum maxima ſtellarum ſit magnitudo, vel unica caſu ſuo terram dediſſet obrutam.*

ce fulgentiſſimi Antiſtites, atqve calamitatum, qvas φιλοπρωτεία urgente incurrerunt iliadem, fide dignis interpretibus uſi commemorent.

II. Primus APOLLINARIS eſt, qvi cum ætate Imperatoris Gratiani (Theodoreto teſte) fruſtra ad Antiochenum Epiſcopatum adſpiraſſet, reſiſtente ei Flaviano, coram Gratiani Duce, Sapore, [qvi turbarum componendarum causâ Antiochiam miſſus erat,] adeoqve τῆς τῶν ἐκκλησιῶν ἡγεμονίας διαμαρτὼν, διαῤῥήδην λοιπὸν τὴν καινοτομηθεῖσαν διδασκαλίαν ἐκήρυττε, καὶ τῆς αἱρέσεως ἑαυτὸν ἀπέφηνε ἀρχηγὸν; *Epiſcopatus repulſam tuliſſet, ex profeſſo inpoſterum novam hæreſin ſuam docuit, & ſectatores nactus, eorum ducem ſe præbuit*, qvinimò pudendæ ſuæ ſectæ peculiares Epiſcopos inſtituit, injuriam ſcil. tum à Sapore, tum à Flaviano [uti putaret] ſibi factam, hâc ratione vindicaturus. Alter, nec abſimili τοῦ μυριοστίχου dolo de ſede ſupernâ dejectus atqve deturbatus Antiſtes eſt PHOTIUS, ille celeberrimi nominis Patriarcha Conſtantinopolitanus, qvi à Luce dictus, lucis veræ uſuram omninò perdidit, qvamprimum tenebricoſæ illius malitiæ, h. e. Ambitionis pudendæ glaucomate ſeſe paſſus eſſet occæcari. Qvantæ eruditionis laude, qvantæ veritatis confirmandæ & propagandæ zelo,

Theod. Hiſtor. Eccl. lib. V. cap. 4.

qvan-

Digitized by Google

qvantâ induſtriæ gloriâ ille initio emicuerit, notius eſt, qvam ut longâ id ipſum indigeat commemoratione; *Omnia qvippe* [ait Nicetas Paphlago] *in illo concurrerant, aptitudo quadã & naturæ vis, ac felicitas, ſtudium, opes, qvibus ſibi librorum omnium copiam comparabat; & qvod præ cunctis, gloriæ laudisq; cupido, qvâ incenſus, totas noctes, ut lectioni vacaret, ducebat inſomnes. Grammaticæ literaturæ, & carminis pangendi, dicendiq; laude, qvin & Philoſophiæ & Medicinæ, & omnium propè liberalium diſciplinarum externarum ſtudio cognitioneq; tantopere florebat, ut ævi ſui facile Princeps haberetur; imò & cum veteribus certare poſſet.* Attamen hic raræ adeò, ac planè ſtupendæ doctrinæ & exiſtimationis Vir, cum de dignitatis ſuæ incremento plus juſto ſollicitus eſſet, optatæqve Muſarum tranqvillitati vitam præpoſuiſſet anxiam & ærumnoſam, deniqve de alienâ etiam gloriâ, nempe IGNATII Patriarchæ intercipiendâ damnoſa conſilia agitaſſet; mox horrendas adeò ambitionis ſuæ dedit pœnas, ut extremæ infelicitatis aleam ſubierit, atqve novo graviſſimoqve ſchiſmati faces damnificas prætulerit. Et qvamvis ipſe Photius in literis ad Nicolaum Epiſcopum Romanum aſſeruerit, Patriarchatum adeò ſibi non expetitum, ut potius animo penitus invito ſuſceperit; qvo dolo tamen qvibusve artibus ad id faſtigii pri-

Nicetas in vita Ignatii Patriarch. ed. à M. Radero.

Digitized by

mum adſcenderit, & amiſſam recuperarit dignitatem, hiſtoricorũ omni exceptione majorũ clariſſima monumenta loqvuntur. Qvæ inter palmariũ ferè locũ habet laudati modo Nicetæ, qvi diſertè indicat, Photium, Patriarchatum, tandem Ignatio malis artibus detractum, ſibi modis omnibus vindicatum, inſtar adulteri cupidi lætum occupaſſe: Jactis (ait author) ſacerdotii ſui improbandis fundamentis, extrema initiis conſentanea ſortitus eſt. Nec enim repudiavit Eccleſiam, tanqvam à profanis Magiſtratibus profanè & ſacrilegè ſibi demandatam, neqve velut alteri Viro nuptam, ſibi per adulterium deſponderi veritus eſt; ſed contra potius exultabundus, avidè impudenterqve in illius complexum ruit, alienamqve tanqvam propriam, *palmam arrogavit, ſuâqve infamiâ & dedecore gloriabatur.* In eundem ſenſum anonymus Græc⁹, in additamento Concil. Conſtantinop. IV. actis ſubjuncto; *Pietatis* (ſcribit) *perſonam ſimulans, virtutem autem ejus abnegans, tenebricoſus Photius, cum hoc omni ratione contenderet, ut ante juſtam ætatem Rabbi vocaretur, operam dedit, ut legitimum ac Canonicum Antiſtitem ſanctiſſimum Patriarcham Ignatium eliminaret, ſeipſum autem, latronum ritu, per vim in ſolium ejus intruderet.* Cum verò hanc in Ignatium inſolentiam, non pauci [Ignatianorum nomine celebres] ægerrimè tuliſ-

Nicet. l.c.

Edit⁹ eſt anon. hic Græcus à M. Radero.

tuliſſent, & creſcente indies diſſidio, factioneqve Ignatianâ prævaleſcente, res eò deveniſſet, ut Photius Synodi (per XL. dies celebratæ) decreto damnatus, eiqve abjudicatus eſſet Patriarchatus; idem deinceps Doctor turgidus omni contendit labore ac ſtudio, ut ſi non vivente Ignatio, ſaltim eo defuncto, ſupremâ illa dignitate rurſus potiretur. Teſtem laudamus Michaelem Glycam, in qvartâ Annalium parte ita ſcribentem: *His temporibus divinus ille Ignatius haſce res infe-ras reliquit. Cum autem PHOTIUS perpetuo ſolii recuperandi deſiderio teneretur, Eccleſiamqve recuperare conaretur, hujuſmodi qvid-dam ab occulta profectum verſutiâ, vafricieqve comminiſcitur. Primas de appellationibus Imperatoris, filiorum Auguſtaeqve literas ſumit, indeque ſuum illud BECLAS componit; quo declarato, viſus eſt Imperatori Vir apprimè ſapiens eſſe. Hâc ratione ſolium illud excellentiſſimum recepit.* Mich. Glycas p. IV. añal. interprete Leunclavio.

III. Neqꝫ ſilentio prætereunda eſt via illa & ratio omninò fraudulenta, qvâ Photius paulò ante Ignatii obitum, rurſus in Imp. Baſilii gratiam ſeſe inſinuavit. Effecerat nimirũ (Niceta memorante) ut in hiſtoriarum opere, cujus ipſe conditor extiterat, & in qvo fallaciſſima vetuſtatis indicia cõſignaverat, Baſilius legeret, olim prædictum, ut fortunatiſſimus ex Baſilii genitore Vir, cui BECLAS nomen eſſet, naſce-

ſceretur. Eâ voce, qvam nemo interpretari poterat, cum Imperatori patefaceret, per ſingulas literas, ſingulos homines, BASILIUM, EUDOCIAM Baſilii Conjugem, CONSTANTINUM, LEONEM, ALEXANDRUM, STEPHANUM, Baſilii filios, denotari, tantoperè ſibi conciliabat Imperatorem, ut in ejus non modo regiam, ſed etiam familiaritatem admitteretur. *Artibus omnibus* [en ipſiſſima Nicetæ verba ex Raderianâ interpretatione!] *ſtrophiſqve in conſilium adhibitis, reperit viam* (PHOTIUS) *qvâ Imperatoris ſimplicitatem levitatemqve caperet, & vide qvam probabilem, & ipſius ingenio dignam. Obſervatis enim nominibus ſingulorum, ipſius inqvam Imperatoris Baſilii, & Eudociæ Augustæ Conjugis, liberorumqve, Conſtantini, Leonis, Alexandri, Stephani, ex primis ſingulorum nominum literis compoſitis; componendæ fraudis occaſionem arripit. Hiſtoriam enim ſive Genealogiam qvæ nuſqvam eſt aut fuit, contexens, Tiridatem illum, inclitum Armeniæ Regem, qui ſancti Gregorii Martyris ævo imperitavit, ſtirpis caput fingit, ex illo, nominibus pro arbitratu excogitatis, gentem deducit, & alios ex alio fabuloſâ narratione condit. Qvando demum ad Parentem Baſilii pervenit, ſcripſit naſciturum ex eo talem planè Virum, qvalis ipſe erat Baſilius; eiq; nomen eſſet BECLAS; qvem omnium retro Regum feliciſſimè & diutiſſi-*

tiſſimè regnaturum vaticinatur; innumeraq́ mendacia, qvibus Imperatorem capi intelligebat, in librum ſuum concenturiat: Ex literis Alexandrinis in vetuſtiſſima chartâ ad ipſam antiqvitatis ſpeciem expreſſis conſcribit; atqve thecâ ſeu tegumento, ex antiqviſſimo Codice detracto veſtit, atque in illa nobili Palatinâqve Bibliotheca clam reponit. Adminiſter & fidus illi in hâc ſcenâ & fabula Theophanes erat, Palæſtinus eâ tempeſtate Clericus, habensqve apud Imperatorem eruditionis opinionem, ac poſtea in impiæ operæ præmium, Epiſcopus Cæſareæ Cappadociæ creatus. Hic commentitium hunc libellum, in Bibliothecâ uti dictum eſt repoſitum, opportuno tempore extrahit, Imperatoriqve librum, velut cæteris omnibus admirabiliorem & arcanis refertiorem exhibet; ſimulatqve, neq́ ſe, neque mortalium qvenqvam, ejus myſteria, præter unum PHOTIUM, aſſeqvi poſſe. Ergò exemplo ad Photium mittitur, prætexit ille, nulli poſſe arcanum illud, niſi ſoli Imperatori committi, de qvo illud ipſum perſcriptum eſſet. Qvid igitur? capitur Imperatoris facilitas hâc fabulâ, & cum Photio in gratiam redit. Solent enim fauſtæ, qvamvis vaniſſimæ prædictiones, excelſam & gloriæ appetentiorem indolem eludere & *enervare, penitusque in ſuam poteſtatem redigere.* Qvibus ſtatim ſubjungit Nicetas; *Hoc inter Baſilium & Photium amicitiæ principium!* & paulò

poſt:

poſt: *Hinc aſſiduus in Palatio Photius benevolentiam Imperatoris furtim colligebat, & demum ſuis præſtigiis & morum illecebris totum ſibi Virum vindicavit.* Haudqvaqvam per omnia crederemus Nicetæ, verum cum Viro qvodam eruditiſſimo fraudem illam convitiis accenſeremus cæteris (qvibus Photius nunqvam non obnoxius fuit;) nî aliorum qvoq; fide digniſſimorum ſcriptorum, Glycæ nimirum & Conſtantini Manaſſis calculis & teſtimoniis idem traditum firmatumqve reperiretur. Glycæ ſuffragium paulò ante adſcripſimus, Conſtantini verò, Leunclavio interprete, ad hunc modum ſeſe habet: *Cum autem liberatus vitæ procellis Ignatius, ad placidos jam cæli portus appuliſſet; aſtutus ille Photius, nunqvam non throni cupidus, in hoc totus incumbens, ut Eccleſiâ rurſus potiretur, hujuſmodi qviddam ſanè verſutum, ac pravũ molitur. Solas primas literas nominum Imperatoris, liberorum, ejus, & Auguſtæ ſumit; atqve inde BECLAS componit, eoqve declarato, cum ejus ætatis hominibus literatis, negotii non parum exhibuiſſet, viſus eſt Imperatori Vir eſſe magnæ doctrinæ, ac ſapientiæ, ideoqve SOLIUM ei PATRIARCHICUM redditur.*

Conf. Martin. Hankius lib. de Byzant. Rerum Script. p. I. c. 18. §. 139.

Conſtan. Manaſſ. in annal. verſ. 5271. & ſeqq.

IV. Qvo non mortalium pectora cogis, ô pudenda Honorum Sacrorum profanaqve fames? qvantis doctiſſimos etiam homines fraudibus reples neqvitiiſqve? qvam exitio-

ſas generas ſimultates, rixas item jurgia portentoſaqve ſchiſmata? Longum profecto eſſet commemorare mala illa ſingula, qvæ Eccleſiam Conſtantinopolitanam, unius Doctoris ambitioſi & philotimi causâ per longa annorum ſpatia exercuerunt. Silentii peplo involvimus graves illos animorum, etiam DEO ſacratorum motus, qvi turbas à Photio ambitioſo, ſectatoribusq; ejus concitatas, ſunt inſecuti, & membra Chriſti plurima tantum non perpetuæ dedêre internecioni. Non tamen impunè vitam tranſegit Photius, ſed novas, eaſqve longè graviſſimas dedit procacitatis ſuæ, impoſturarumqve meditatarum pœnas. Poſt fata etenim Baſilii à Leone filio & ſucceſſore, inſidiarum Imperatori ſtructarum, atqve initæ cum Santabareno conſpirationis poſtulatus, Patriarchatu rurſum dejectus, & in Harmonianorum monaſterium fuit relegatus. Qvod Vindicis ſupremi judicium Georgius Cedrenus verbis ſeqventibus expoſuit: *Leo ſummâ rerum ad ſe devolutâ, initio cæterorum, qvæ ad Remp. pertinebant, aut exiguam, aut nullam curam geſſit; ſed præ ira tumultuans, inſidiasqve in ſe Santabareni recenti memoriâ animo obſervans, ſtatim ad exigendas de eo pœnas ſe accinxit, cauſas in ſpeciem honeſtas ac probabiles prætexens, ut qvæ agebantur, omnia ratione rectâ fieri putarentur, & impedimenta amoliens, Primò o-*

Confer laud. Hank. l. c.

Georg. Cedren. in comp. hiſtor.

mninm

nanium de ſubmovendo PHOTIO Patriarchâ cogitatum, quod hoc Pontificatum ſuum obtinente, ſentiret Santabareno, ſe male facere non poſſe, quem a Photio acriter defenſum, contra vim propugnatum iri noverat. Etenim quoque jactabatur, Photium in eo fuiſſe, ut ſuorum cognatorum quendam, ad imperium eveheret; cumque id ſe perficere, niſi ſublato Leone nequire judicaret, Santabareno idem ſentienti, in perpetrandis iſtis inſidiis ſocium ſe præbuiſſe: ergò Imperator, Andream Magiſtrum, exercituum Ducem cum Johanne Hagiopolita Magiſtro & Logothetâ mittit in magnam Eccleſiam, jubetq; eos de ſuggeſto ad aures multitudinis ex ſcripto recitare crimina PHOTII, eumq; in Harmonianorum monaſterium relegare eo. Nec ſolum monaſticæ diſciplinæ onere ille premebatur, verum gravioribus longè calamitatibus, imò diriſſimis anathematibus ferendis obnoxiam vitam agere, EXUL deniqve miſerè finire (arcano juſtoqve DEI, ſuperbis ambitioſiſqve omnibus reſiſtentis conſilio) debuit, prodente Leone Grammatico h. m. *PHOTIO Patriarchâ poſtmodum in EXILIO mortem obeunte, corpus ejus in monaſterio ad Merdoſagarem nomine Heremia quæ prius communis & publica extiterat Eccleſia, depoſitum eſt, &c.* Eſto, inſidiarum conſpirationisq; falsò fuerit poſtulatus, atqve convictus nullatenus, caſu tamen exemploqve ſuo triſtiſſimo cla-

Leo Gramãt. in Chronographia.

clariſſimè docuit, qvam grave ſit AMBITIONIS Eccleſiaſticæ malum, *malum inqvam* (Bernardo definiente) *ſubtile, & ſecretum virus, peſtis occulta, DOLI ARTIFEX, Livoris parens, vitiorumqve pariter ac jurgiorum multivariorum fons atqve origo.* Immenſo ſuo periculo miſerrimus ille ac infeliciſſimus Photius tandem perſpexit, in nullam rem oleum futilius impendi & operam, qvam honoris & dignitatis Eccleſiaſticæ conſecutionem, atqve id ipſum periculoſæ adeò aleæ plenum opus eſſe, ut ſupremum faſtigium certiſſimo præcipitio ſit ſociatum; qvod inſuper nemo altius cadat, qvam qvi adſcenderit altius, adeoqve utplurimum fortuna dejiciat eos, qvos ut primos, in Eccleſiæ etiam proſcenio extulerit. Proin diſcant hinc recti ac ſapiant tandè cuncti DEO ſacrati mortales, & noviſſima prævidentes, peſſimæ illi optimarum mentium corruptrici perpetui dent repudii libellum, hoc ipſo turbines ambitioſis paratos Doctoribus feliciſſimè evitantes. O utinam!

IV. Tertius tandem accedat Ambitioſus Epiſcopus; exemploqve ſuo luctuoſo cunctos Eccleſiaſticos homines edoceat, qvam miſera & deploranda eorum conditio ſit Clericorum, qvi ſolâ urgente AMBITIONE ad primarias Eccleſiarum ſedes tendunt, omniqve ſepoſitâ chriſtianæ mentis moderatione

Ddd ſupre-

Spondã. Annal. Eccleſ. To. III. ad ann. 1555. num. XX.

ſupremis dignitatibus inhiant; JOASAPHUS inqvam prodeat, infeliciſſimus poſt PHOTIUM Patriarcha Conſtantinopolitanus: Is ARTE & DONIS ad prima illa ſedilia evectus, ingenii valdè elati, ambitioſi, & gloriæ ſupra modum cupidi enormia adeò dedit documenta, ut perpetuas cum Clero & Nobilitate pro Honore ſuo tuendo lites miſcuerit, acrioresqve exercuerit ſimultates, Palatium ampliſſimis auxerit ædificijs, & muro etiam in caſtri modum cinxerit, vitam ad hæc, primo Imperatoris Turcici Miniſtro, qvam primo inter Græcos Antiſtite Chriſtiano digniorem agere non dubitarit, aureis & argenteis vaſis, urgente ambitione undiq; conqviſitis; qvouſqve ob Simoniam, tam in adeptione Patriarchatus, qvam poſſeſſione freqventius comiſſam, nec non ab aliorum vitiorum & turpitudinum probra, eſſet depoſitus, perpetuæqve infamiæ ſtigmate notatus. *Cum præ ſuperbia* [ita notanter Spondanus, extremam ambitioſi hujus Patriarchæ calamitatem graphicè deſcripturus] *in magnas contentiones cum ſuo Clero & Nobilitate Græcâ veniſſet, eâ de causâ accerſitis Præſulibus Peloponneſi & aliarum Provinciarum ſuo Patriarchatui ſubditarum, tantum abfuit, ut aliqvid opis ab iis, uti ſperaverat, acceperit; ut potius Synodo factâ, Simoniæ, injuſtarum depoſitionum & ordinationum, bonorum alienationum,*

Idem ad ann. 1565. num. 24.

ali

aliorumqve criminum ab adverſariis ei objectorum convictus, Patriarchatu depoſitus fuerit, &c. Eadem de Joaſapho illo leguntur apud authorem hiſtoriæ Patriarcharum Conſtantinop. *Eman. Malaxum*, qvi ipſam qvoqve dejectionis formulam adſcripſit, hæc inter alia continentem verba: *Deprehendimus ipſum non ſolum injuſtum & avarum, ſed etiã ſententiæ de ipſo à Pontificibus latæ contemptorem; deniqve eum, qvi apertè ſe iniqviſſimo, & ſummè impio SIMONIS ſcelere adſtrinxerit, atqve ut ſuomet ore confeſſus eſt, 29. Canonem ſanctorum Apoſtolorum conculcaverit, diſertè ſic dicentem*: Si qvis Epiſcopus pecunia datâ hujus dignitatis compos factus fuerit, aut Presbyter vel Diaconus, deponitor & ipſe, & qvi eum deſignavit; atqve prorſus à communione excinditor: *inſuper deprehendimus eum, nulla neceſſitate urgente, injuſſu illius Synodi, nemine Clericorum ſciente, alienaſſe poſſeſſiones Catholicæ magnæ Eccleſiæ, &c. Quæ accuſationes ipſius plurimis aliis criminibus cumulatæ ſunt, iisq; manifeſtis, & teſtatis. Hæc itaqve cum nos cerneremus, metuentes, ne & nos dejectioni & eidem anathemati obnoxii fieremus, tanqvam communicantes cum incommunicabili, jam ipſum Pontificatu indignum judicavimus, ut primum violationis divinorum & ſacrorum Canonum authorem, & dejicimus ipſum, ac pro ejecto & abalienato habemus, &c.*

Confer Eman. Malaxi hiſtor. Patriarchar. CPol. apud Mart. Cruſ. Turco-Græc. lib. II. fol. 169. ſeqq.

En horribilem ex Ambitione lapſum, en Clerici ſacra omnia, adſcendendi ſpe conculcantis & evertentis tragœdiam! Meditatum ab infeliciſſimo illo Joaſapho invaſionis ſcelus, mox graviſſimæ exceperunt rixæ, contentiones, ſimultates, internecina Clericorum odia; qvæ malis ſcandalisqve atrocioribus, tandemq; Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ devaſtationi horrendæ anſam dediſſent, ni ignominioſâ ambitioſi Patriarchæ dejectio atq; exturbatio contigiſſet. Haud levem qvoqve Patrum noſtrorum memoriâ tempeſtatem in Galliâ GILBERTUS ille GENEBRARDUS, Vir ſcriptis egregiis clarus, non tam ſuo, qvam alieno ambitu ſubiit; cum enim per turbas unionis, Regiâ auctoritate non interveniente, Aqvenſem Archiepiſcopatum adeptus fuiſſet, non eo ſolum poſtea ſpoliatus, verum etiam ambitioſorum competitorum technis, & fraudibus, criminis læſæ Majeſtatis eſt poſtulatus, *licet* [ait Spondanus] *meritiſſimus eſſet, cujuſdam tamen AMBITU dejectus fuit, qvi non magis utilis Aqvenſi Eccleſiæ extitit.* Gravem qvoqve bonorum omnium indignationem odiumqve ætate noſtrâ ſubiit *JOHANNES PLANTAVITIUS*, eô qvod ambitione urgente *ex Apoſtata Miniſtro Epiſcopus Lodovenſis factus, mox altiora ſpirans, adverſus Regem pro Momorantio per duellionis reo ſteterit, eundemq; cum ipſo reatum incurrerit.*

Spondã. ad ann. 1597. *n.* 16.

Confer Rivet. in Jeſ. vapul. c. 13.

Digitized by Google

verit. Vir aliàs Plantavitius fuit apprimè doctus, rerumqve Ebraicarum (ſicuti ex gemino ejus opere philologico apparet) peritiſſimus, ſed cum potiorem fluxæ dignitatis qvam doctrinæ eruditionisqve rationem habere cœpiſſet, optatæqve Muſarum tranqvillitati & qvieti vitam anxiam & ærumnoſam præpoſuiſſet, ad vota qvidem ſuâ veluti novus Icarus raptus fuit, mox tamē triſtes ambitionis ſuæ dedit pœnas, extremæqve infelicitatis periculum ægrè evaſit. Non paucis eruditi Orbis incolis vita longior fuiſſet, ad egregia molimina perficienda, ſacræqve pariter ac literariæ rei commoda promovenda, ſi naves ſuas ad deteſtandæ ambitionis ſcopulos non tam graviter afflixiſſent, ſævis verò, illius impulſu, jactati procellis, ut plurimum & vitæ & famæ, incolumitatis pariter ac beatæ æternitatis fecêre jacturam, ſaltem à vero doctrinarum ſcopo, imperturbatæqve felicitatis literariæ faſtigio miſerrimè decidêre.

V. Neqve ſibimetipſis tantùm, horribile ambitioſi illi accerſivêre exitium, verum etiam Urbes, Collegia, Eccleſias totas peſte ſuâ graviter afflixêre, triſtiſſimasqve paſſim concitavêre calamitates. Qvæ ipſa ambitionis nefariæ mala, cum perſpicaciori mentis oculo intuitus eſſet Bernardus Claravallenſis, ſapientiſſimè pronunciavit, *plenam eſſe viris ejuſmodi ambitioſis Eccleſiam, neque eſſe cur* *Bernar. lib. I. de Conſid. ad Engē.*

Digitized by Google

magis exhorreſcat de ſtudiis & molitionibus ambitionis, qvam ſpelunca latronum de ſpoliis viatorum, &c. Æqve vehementer è recentioribus, Huſſus ille magnanimus invectus eſt in Sacerdotum inſolentiam atqve præpoſteram ad primos honores viam, qvod ſc. ij, qvi rerum in Eccleſia potiuntur, ſemet ipſos intrudant, vocent, atqve ſubinde viam præcludant alijs doctioribus & melioribus ne promoveantur; *Appello* (ajebat) *conſcientias veſtras ô Sacerdotes, videamus fideliter, ſicut expectamus à DEO videri in occurſu mortis noſtræ. Quis nunc graditur ad gradus vel adſcendit ad Templum DEI per viam JESU Chriſti? Vel qvis vocatur invitus?* &c. *Intraverunt* (pergit notanter) *ad gradus & officia Eccleſiæ non charitate Domini & proximorum ſalute urgente, ſed cupiditate inſtigante; non vocati à Chriſto, ſed ſe ipſos ingeſſerunt, ideo etiam non principaliter qværunt ea, qvæ ſunt J.C. aut in talibus delectantur, ſed qvæ ſua ſunt tantummodo expetunt, &c.* Et cum mala calamitatesqve, Chriſtianam Eccleſiam graviſſimè hinc affligentes, ad animum ſibi penitius revocaſſet, haud abs re ambitioſos iſtos *ipſo Judâ proditore, Caiphâqve neqviores & peſtilentiores eſſe pronunciavit, ſiqvidem omnia impune patrent delicta & flagitia, ac mirabilibus fucis ſint tecti & præſtigiis.* Utinam omnes ubiqve Viri Eccleſiaſtici hæc ad animum ſuum

Johan. Huſſus in libro de Sacerd. & Mon. carnal. abomin. cap. V.

Id. d. l. c. 30. 31.

ſuum revocarent. Utinam ſacro qvodam pioqve ſupercilio deſpicerent fluxas illas vanasq; dignitates, qvas utplurimum afflictiones graviſſimæ, & fulminantes tum publicæ tum privatæ miſeriæ comitantur! Nec minus odium honorum fallacium doctiſſimi qviqve ex eo concipiant, qvod illi freqventer ineptiſſimis & imperitiſſimis mortalium, fatoqve potius qvam ullo merito tribuantur. *In honoribus hujus mundi* (appoſitè ait Eucherius) *ut cætera taceam, qvæ æſtimari dignitas poteſt rerum, cum ad hanc promiſcuè cum bonis mali Ambitione conſcendant: & non unius meriti viros unus honor ambiat, dignosq; & indignos non jam diſcernat dignitas, ſed confundat? ita, qvæ meliores deterioribus præferre debebat, æqvare cœpit; novoq; modo, optimi ac peſſimi Viri nuſqvam ferè minus diſcrimen eſt, qvam in HONORE. Nonne honor major eſt, hujuſmodi honore inhonorum eſſe malle; ac ſuis magis moribus, qvam promiſcuis honoribus æſtimari? Atqve hæc ipſa (utcumqve ſe habeant) qvam tranſvolantia, qvam caduca ſunt? Vidimus nuper Viros honore conſpicuos celſarum dignitatum inſediſſe faſtigiis, & diffuſo usqve qvaqve cenſu per Orbem patrimonia tetendiſſe. Cupiditates ſucceſſibus vicerant, rebus vota tranſcenderant. - - - Ecce, eorum ille ambitus nuſqvam eſt, affluentiſſimæ qvoqve opes*

Eucherius ep. de contemptu Mundi edit. ab Herib. Roſvveydo p. 14. & 15.

pes abierunt, tranſierunt ipſi Domini &c. Omnia illa quæ hic erant magna, modò jam nulla ſunt. Aliud, idqve haud levjus honoris probrum & dedecus, inde Chryſoſtomus duxit arceſſendum, qvod revera nec illi qui defertur, nec ejus virtuti ut poſtulat natura ac ratio honoris, ſed DIVITIIS potius (qvibus non raro ſupremæ etiam dignitates Eccleſiaſticæ emercantur) aliisqve externis bonis exhibeatur; *Sed honores* (ita ille) *habere jucundum eſt, inqvis; Et qvid eſt honore illo jucundius, qvi propter PECUNIARUM neceſſitatem obtingit, qvando is non ex animi ſententia, neqve ex alacritate aliqvâ exhibeatur? Non tu honore illo potiris, ſed ipſæ divitiæ - - Satius fuerit mori, qvam ad hunc modum honorari - - pejus eſt ſic honorari, qvam ignominia affici.* Cæterum, indubiâ planè exemplorum & documentorum fide conſtat, non modò non expleri honoribus Viri Eccleſiaſtici animum, aut conſummatis gaudiis imbui, ſed innumeris etiam compleri angoribus, eoq; pluribus & gravioribus, qvo altior fuerit honoris gradus, qvem qvis attigerit. Nec mirum, cum eminentiſſimæ dignitates utplurimum gravisſima onera habeant finitima, ſub qvibus gemere & fatiſcere eos neceſſe eſt, qvi cæteris omnibus præferuntur. Egregiè id ipſum Magnus Gregorius ad illud: *ſub qvo curvantur qvi portant Orbem*, expreſſit, & qvan-

Joh. Chryſ. homil. VII. in epiſt. ad Coloſſ.

Gr. M lib. IX. Moral. c. 13.

qvanta premantur mole Prælati (qvibus alii ſubjacent) ad oculum oſtendit. Nec mediocre dignitatum (cumprimis Eccleſiaſticarũ) malum eſt gliſcens ſemper in iis cupiditas (ſc. magis magisqve creſcendi atqve eminendi) atqve nocentiſſima opportunitas & incentiva peccandi, qvâ de præter Chryſoſtomum (in ſecundo de compunctione cordis libro) inſigniter admodum Iſidorus Peluſiota diſſeruit: *Dominium* [ait ille] *qvod tanto ſtudio, tantaqve contentione ab omnibus expetitur, in medium proponentes — perpendamus, annon hæc qvæ præclara & expetenda videntur, non modò ſupervacanea ſint, verũ etiam NOXIA, & cum detrimento conjuncta. Qvid enim hinc ille, aut corpore aut animo (nam hoc homo eſt) melior efficitur? An propterea ſublimior, aut ſanior aut pernicior exiſtit, aut liqvidioribus ſenſibus erit? Id profectò nemo dixerit. Ad animum igitur nos conferamus. Utrum igitur ab hâc pompâ temperatior, aut ſvavior, aut prudentior redditur? Minimè ſane: Verum contrà omninò; neqve enim qvod in corpore, idem etiam in animo evenire ſolet. Nam illud qvidem ad virtutem ſuam nihil aſſumſit; hic autem VITIUM etiam aſſumſit. Siqvidem & amentiam, & inanem gloriam, & arrogantiam & iracundiam, aliaqve ſexcenta vitia hinc contrahit. Qvod ſi gaudet, ac SUPERBIT, & inflatur, hoc verò præſertim totius mali caput eſt;* *Iſidor. Peluſ. lib. III. ep. 133.*

eſt; qvippe cum latro etiam poſt prædam gaudeat, & raptor poſt admiſſam fraudem, & adulter poſt perfoſſum & violatum alienum matrimonium, & ſicarius poſt cædem perpetratam. An itaq; nullus omninò admittendus eſt honor, num reſpuenda & conculcanda eſt qvælibet dignitas? Præſtantiſſimum eſſe, ſcitè ſapienterqve Theoſophi judicant, *Sacras non QVÆRERE dignitates*, oblataſqve recuſare, niſi charitas urgeat, populorum neceſſitati famulatura: Hanc verò neceſſitatem agnoſcere vix noſtrum, ſed Præſidis potius, atqve ſuperioris officium eſſe, in eo rerum articulo compellere valentis etiam reluctantem; ita ſanctorum Virorum dicta monere, ita docere facta: Utraqve in ſeptima noſtra commentatione prolixiori ſtylo ſumus proſecuti. Cum natura in vitium, ambitionem cumprimis, ſitimqve honorum & dignitatum immodicam valdè prona ſit, & pleriqve mortales illecebrâ iſta capiantur; omne (ſapientiorum calculo) illi ferent punctum, qvi munera ſublimiora averſantur, non tanqvam in ſe mala, ſed periculoſa ſuſcipientibus, perqvam lubrica, pedibuſqve non præcautis lapſum graviorem parantia; cujus etiam periculi intuitu, tutius atqve laudabilius repudiarentur qvam admitterentur.

* * *

COM-

COMMONEFACTIO XXVII.

CACUS MONSTROSUS PROSCRIPTUS,

SIVE

AVARITIÆ INFRUNITÆ, E LITERARIA ET ECCLESIASTICA REPUBLICA ELIMINATIO.

Ad Comment. VIII. num. IX. & X.

I.

MOnſtroſum ex infrunitâ CUPIDITATE *CACUM* *, & CHORUM pariter ac FORUM, SACRARIA non minus qvam LYCEA Chriſtiana, ad Davi cujuſpiam impudentiſſimi exemplum miſerè infeſtantem proſcripturus GREGORIUS Magnus, graviſſimorum haud abs re atqve atrociſſimorum criminum illum incuſandum duxit & convincendum: *DE AVA-*

* *Conf. Fel. Lit. Comment. VIII. num. I*

Digitized by Google

Greg. M. lib. XXI. Moral. cap. 17.

AVARITIA [inqvit] *proditio, fraus, fallacia, perjuria, inqvietudo, violentia, & contra miſericordiam obdurationes cordis oriuntur.* Non eſt profectò, qvod de Literatis, Philargyriæ nocentiſſimæ morbo laborantibus ſperemus meliora, aut eos à fœdiſſimorum illorum, ac ſummè deteſtabilium criminum reatu omninò abſolvamus: cum multorum ſeculorum experientia apprimè docuerit, portentoſum illum CACUM, abominanda neqvitiæ ſuæ veſtigia ſplendidiſſimis etiam Muſarum ſedibus impreſſiſſe, atqve extremæ malitiæ luto clariſſimos qvandoqve doctrinarum Antiſtites conſpurcaſſe. Et cum Literatorum hominum plurimi, non alium ob finem aurum argentumqve cumularint, qvam ut tantò facilius ſecundum cordis ſui deſideria vivere, ad altiores dignitatum gradus adſpirare, cæteriſqve per imperia ſupereminere, aut vindictas exercere poſſint; mirum adeo non eſt, qvod multiplices inde diaboli laqveos incurrerint, atqve avaritia duce apicem omnigenæ neqvitiæ ij attigerint, qvi ad ſupremæ & imperturbatæ felicitatis ſedem adſpirare debuiſſent. *An ignoras* (ita Literatum auri cupidum Auguſtino præeunte compellamus) *qvod radix omnium malorum AVARITIA ſit, & ſervitus idololatriæ, mater uſuræ, GENITRIX SIMONIÆ, fomes culpæ, æternæ pœnæ via, nutrix gehennæ? Ex hoc fomite* (addit

Auguſt. Serm. 48. ad ſratr.

dit Valerianus) *videmus pullulare odiorum* (inter doctos gliſcentium) *cauſas, hinc evenire criminum pugnas, hinc fraternas* (Collegiales) *acies inſtrui, hinc amicitiarum* [literariarũ] *fœdera diſſipari.* Utrumq; nimirum Theoſophum ævi malignitas edocuit, rixas & diſſenſiones graviſſimas apud viros doctrinâ & literis præſtantiſſimos, nonniſi per infrunitam auri cupiditatem aditum inveniſſe, curasqve eorum pungentiſſimas, potiſſimum à commodi & lucri proprij conſectatione infauſtam ſuam originem traxiſſe. Neqve effugient Literati iſtas extremæ infelicitatis notas prius, qvâ *de proſcribendâ Cupiditate infami*, atqve nocentiſſimâ Philargyriâ eliminanda etiam atqve etiam fuerint ſolliciti, haudqvaqvam committentes amplius, ut maxima vitæ (qvam breviſſimam & fugaciſſimam omnes qveruntur) portio, miſeris ob fluxa & caduca bona curis pereat; nec minus ad animum ſibi etiam atqve etiam revocantes fulgentiſſima illa αὐταρκείας Literariæ exempla, qvæ ſub Commentationis VIII. finem curâ ſingulari conqvirenda duximus. His jungendum luculentiſſimum JANI GRUTERI: Cum inſigni huic Literatori aliqvando nonnemo ex eo hominum genere, qvi Principum qvæſturas exercent, inter conviviales ſermones diceret; *Satius mihi ducerem mori, quam GRUTERI Libris, Literis & ſylla-* *Conf. B. Venatoris Panegyr Jano Grut. ſcriptum p.48.*

ſyllabis (ſtudium criticum ſuggillans) *im̃ori*; reſpondit Gruterus; *Et ego mallem ſublimis mori, qvam ad felicitatem tuam damnari, ut qvotidie argentum & vitam teram, ut ad calculum ſedeam, & colligendis, numerandis, ſcribendis, condendis, promendis, locandis, fœnerandis pecunijs ævum impendam.* Qvidni ſapientibus Viris res valdè illiberalis habeatur, in divitijs ſuas curas, in curis vigilias, in vigiliis noctes, in noctibus verò dies conſumere? Vix eqvidem è millibus literatis unum reperias, cui ſint divitiæ; & ſi ſint, haud facilè liber is ab omni metu ac ſollicitudine exiſtet. Qvæ obſecro miſeria, ſi hæc talis non eſt, totum amittere vitæ Literato-Chriſtianæ fructum, ut qværas vel augeas rem nunqvam tibi certam, filijs incertiorem, filiorum filijs incertiſſimam, qvâ ſæpè illi non tam locupletantur, qvam animi & gratiæ bonis penitus exuuntur, & extremæ non rarò dantur internecioni.

II. Certa igitur Literatis ſtet ſententia, nunqvam artes qvæſtuoſas moliri, multo minus preces pretio mutare apud potentiores: Etiamſi exiguo ſatis ſtipendio ipſis (ut plerunqve aſſolet) vivendum ſit, nunqvam tamen peſſimæ Doctorum philargyrorum conſvetudini illi obtemperent, aut verecundiæ Muſis propriæ, mittant nuntium. Denuò in partes voco modo laudatum Gruterum; Eum cum

Vid. Paneg. Venat. p. 49

cum magni cujuſdam Principis Conſiliarius interrogaret, cur literas tam adverſo Mercurio natas, tanto ſtudio præ cæteris coleret, qvin operam potius daret illis artibus, quibus filiabus dotem pararet & generos? *Cur auriferis iſtis artibus* [præclarè & ſapienter ille reſpondit] *abſtineam, meæ mihi cauſæ, filiabus verò materna ſunt dotes, nec Viri illis deerunt, ſi non deerunt virtutes: qvippe iiſdem ornamentis matres earum nuptum iverunt. Bonis ſatis opum erit, qvia bonæ, ſponſos facilè merebuntur bonos; malis iterum ſatis, qvia plus opum non merentur, & ſi plus ipſis contigiſſet, fruſtra malæ ſperarent bonos, utpote qvi DOTES prius ſpectare ſolent qvam DOTEM.* Inſtanti Conſiliario, & *verecundi hominis crumenam ſemper inanem eſſe* dicenti, reſpondit Guterus, *ob drachmas pauculas ego mendicus non fiam, nec munus id eſt regium; mille verò aureos Princeps non dabit, qvia munus id negabit eſſe philoſophicum: ita illi fortuna obſtat, mihi profeſſio, & alioqvin officium qvi facit, beneficii admonet, qvi petit, non datum exprobrat, & de dando gloriatur.* Non malè addidiſſet ſeqventia: Qvod mihi datis ô amici, Principi potius dandum fuit conſilium, ſi qvâ re me putatis dignum. Nam fruſtra merita noſtra ſcimus, niſi ad conſcientiam qvoqve ejus referantur, ad qvem & devotiones ſtudiorum, & ſpes præmiorum, & gratiæ beneficiorum, & in-

interdũ minima tum rerũ notitia ſolet referri. Siq; vel maximè à Principibus Viris, ſummisqve poteſtatibus Literati deſerantur, nulloqve gaudeant Mæcenate, animum tamen minimè deſpondeant, non locum curis immodicis concedant, neqve præclara conſtantiæ ſuæ, continentiæ & αὐταρκείας ſpecimina & documenta dare intermittant. Norint ad hæc, ſibi ſplendidiſſima etiam congiaria contemnenda eſſe potius, qvam temeratæ conſcientiæ damnum ſubeundum; ad ejuſdem nimirũ Gruteri laudatiſſimi exemplũ. Conſtat, illi *mille ducentos ducatos annuos* promiſſos fuiſſe, ſi decus ſuum & vocem publicam Academiæ Patavinæ voluiſſet impertiri, poſtqvam Riccobonus illic & vivere & docere deſiiſſet. *Invitabat* [ait vitæ ſcriptor] *Pinellus, ſollicitabat Velſerus, negabat utrique GRUTERUS. Erat ei religioni Religio, ſed & erat ei religioni ipſa pecuniæ ſumma, quæ cæteroqui paucis nimia eſt, & multis oportuna ad impietatem merces. - - Cultus divini libertatem publicam (quamvis privatam recepturus) PRO QVIBUSCUNQVE DIVITIIS SIBI NEGABAT ESSE VENALEM.* O qvam paucos Grutero ſimiles reperias Literatos, qvi lautum adeò ſtipendium, ſponteqve ſibi oblatum, contemnendum potius ducerent, qvã amittendam conſcientiæ & fidei ſuę integritatem. Auri ſacerrima fames non rarò facit,

ut

ut conſcientiam æqve ac ſalutem habeant VENALEM, atqve inextricabilibus ſæpè Labyrinthis involvantur. Veriſſimè hinc Bernardinus, poſtqvam cor Avari, ſeu philargyri eſſet perſcrutatus; *In corde eo* (inqvit) *ſtudioſæ cogitationes paratæ ad DECIPIENDUM, CIRCUMVENIENDUM, FALLENDUM, fabricatur illud calliditates, DUPLICITATES, proditiones, multiplicat mendacia, perjuria, frangitqve promiſſa.* Nec minus ſcitè B. Aſterius, ad eliminanda peſſimæ ejuſce radicis germina aurifoſſores advocavit, & ſumtâ memorabili ex re metallicâ ſimilitudine, abominandam AVARITIÆ malignitatem dedit demonſtratam: *Sicut ii* [inqvit] *qui aurum in ſinu viſceribusque terræ ſcrutantur; auream terram circa principem & proprium generationis locum cumulatim repoſitam inveniri narrant, & aliquas inde velut venas in longum hinc inde produci, ac variè ſecari, ſicut arborum à ſtipite latè ſeſe explicant ac diffundunt radices; ad eundem modum, multa hic video germina multoſq; ſurculos, UNA EADEMQUE RADICE AVARITIÆ conjunctos.* Videmus cheu! & graviſſimè dolemus infrunitam illam cupiditatem inſtar ARBORIS cujuſdam, RADICES ſuas longè lateq; in varias ſubterraneas propagines extendere, inqve omnes omninò Literatorum hominum ordines atqve familias

Bernar. Tom. II. opp. ſerm. 45. art. I. c. 3.

B. Aſterius homil. de avarit. quæ extat Tom. V. Bibl. Max. p. 813. ſeqq.

ſeſe dilatare. Et qvanta inde labes (ut alia taceamus) SACRO, ſive Eccleſiaſtico Viridario, Hominumqve DEO-Sacratorum cœtui accedat, qvamqve validas in agro etiam Dominico infrunita cupiditas non raro agat radices, præter laudatos in octavâ de AVARITIA LITERATORUM Commentatione Theoſophos, pluribus edocuit VALERIANUS CIMELIENSIS, THEOPHILUS item ALEXANDRINUS, & BALSAMON in Epiſt. Gregorii Nyſſeni Canonicam; inſigniter qvoq; id dedit demonſtratum modo laud. ASTERIUS, infeliciſſimorum illorum ſortem explicaturus & deploraturus, qvi ſuo tempore donis & promiſſis Juliani Apoſtatæineſcati, ad aras Gentilium, ipſaqve adeò dæmonia defecerant, duplicis hinc idololatriæ cœno maculati, cultûs puta gentilitii, & cupiditatis illius præpoſteræ, qvam pridem Apoſtolus, divino dictante ſpiritu pudendæ idolomaniæ obelo duxit configendam.

Valer. Cimel. hom. XX Theophilus Alex. ep. III. paſchal. Theod. Balſam. in epiſt. Canon. Gr. Nyſſ. ad Latojum cap. 6. Aſterius homil. adverſ. avar.

III. *Sed* & Petrus Cellenſis, ſignificantiſſimis verbis Ordini ſacro eam corruptelam exprobravit, atqve pudendam lucelli illiciti captationem; *Qui videbantur* [ait inter alia ſignificantiſſimè] *Columna eſſe in domo DEI, proclivius elabuntur, pro BUCELLA PANIS & pro gloriâ carnis, quæ tanqvam fœnum tectorum evaneſcit, qvod priuſqvam evellatur exaruit. Vident & agnoſcunt homines, quod*

Petrus Cellenſis ep. CXV.

Dratt

Draco tertiam partem ſtellarum de cœlo ſecum dejecerit, nec exterriti tam fœdo & crudeli exemplo, abhorrent ire poſt Satanam, & detinere veritatem DEI in mendacio. Una hæc de plagis Ægypti, quæ filios Iſrael non tangit, ſed filios hujus ſeculi, qui quærunt, quæ videntur & temporalia ſunt, non ea, quæ non videntur, & æterna ſunt. Hujus farinæ Doctores, propudioſo admodum nomine Origenes VENTRILOQVOS appellare non dubitavit. Portenta tales pſeudo-myſtas dixeris, atqve ordinis Deo ſacrati dehoneſtamenta peſſima, qvorum causâ jam olim Clerus univerſus, totaqve Eccleſiaſticorum hominum natio ſiniſtre admodum audivit, ac ſi crumenæ potius explendæ, qvam gloriæ divinæ amplificandæ ſtuderet, inqve colligendis fluxis mundi theſauris unicè occuparetur. Nonniſi avariſſimi qvidam Epiſcopi olim in culpâ fuêre, qvod tantos optimi etiam atqve pientiſſimi Doctores oſores ac roſores habuerint, atqve avaritiæ [falsò imputatæ] nomine paſſim fuerint exagitati. Cumprimis Sanctiſſimus ATHANASIUS; qvaſi cupiditate excœcatatus, abſtuliſſet & in ſuos uſus convertiſſet frumentum, qvod Conſtantinus Magnus in Viduas diſtribuendum reliqverat, nec non calicem pretioſum confregiſſet, fruſta conflaturus. Qvas tamen accuſationes meras calumnias fuiſſe, eventus planiſſimè comprobavit,

Orig. homil. VII. in Eſaiam.

vit, ſiqvidem de frumento fideliſſimè diſtri-buto teſtata ſit integra Synodus Alexandrina, & calumnia de poculo confracto ſolidiſſimè ſit revicta, etiam ipſa Iſchyræ falſiloqvi delatoris confeſſione. Conſimilem ferè ſycophantiam præter alios multos, cum qvondam perpeſſus fuiſſet Richardus Epiſcopus Cantuarenſis, virtutisqve planè eximiæ cultor pudendæ avaritiæ eſſet inſimulatus, innocentiam ejus memorabili apologia vindicandam ſibi ſumſit Petrus Bleſenſis; *Novi qvoſdam* (ſcribit inter alia) *qvorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, innocentiam Domini mei detractionibus attentaſſe; ei notam AVARITIÆ inurentes, qvia bona pauperum, & patrimonium Crucifixi venatoribus non effundit. Talium gratiam non venatur, qvorum laudem vituperium putat; Neqve gloriam mendicat ex alienæ vocis officio, cujus gloria hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ ſuæ. Ipſum ſæpe monui, ut eſſet propitius famæ ſuæ, & donis obſtrueret os loqventium iniqva, & erat ejus reſponſio: ſi talibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem; ſi expedit placere hominibus, laus mea ſit in Domino, apud manſvetos & juſtos, ac ſi diceret cum Propheta; In Domino laudabitur anima mea, audiant manſveti & lætentur. Non enim, qvi ſe ipſum commendat, vel qvi ab omnibus commendatur, ille probatus eſt, ſed qvem DEUS commendat.*

Syn. Alex. in calce ep. encycl. pro S. Athan.

P. Bleſ. ep. 38. & 130.

Ido-

Digitized by Google

Idonea eqvidem reſponſio, ad eximendam ſiniſtram illam avaritiæ (innocentibus Doctoribus neqviter impactæ) accuſationem. Ecqvid obſecro injuſtius, qvam unius vel alterius Viri Eccleſiaſtici labem, ad omnia atqve ſingula ſacrati Ordinis membra diffundere? Qvid iniqvius aut indignius, qvam ob admiſſum, vel expetitum etiam, neceſſariæ ſuſtentationis ſubſidium, nullos non homines, Dei & Eccleſiæ miniſterio addictos, pudendæ avaritiæ incuſare? *Nam qvemadmodum* (inqvit egregiè Chryſoſtomus) *in exercitu ſtantibus, & bellum gerentibus, ſumptus debentur ab illis, qvi in pace ſunt, & bellum non ſuſtinent (pro illis enim iſti in acie ſtant) ita & hic. Niſi enim docuiſſet Paulus, qviſnam ipſum tum in carcerem conjeciſſet? Itaqve debetur miniſterium & officium Sanctis, ſive myſteriorum cœleſtium præconibus.* Et poſt alia; *Perpende* (addit Chryſ.) *qvantum Judæi dederint decimas, primitias; rurſus decimas, iterum & alias decimas, deinde & alias trigeſimas, & ſiclum; & tamen nemo dicebat, qvod multa conſumarentur à Sacerdotibus. Qvanto plura accipiebant, tantò major erat & merces. Non dicebant multa accipiunt, ventri inſerviunt, qvæ nunc quoſdam audio dicere. Et qvidem, qvi domos ædificant, & agros coëmunt, nihil ſe putant habere, ſi verò Sacerdotum qviſqvam ſplendidius indutus fuerit, aut victu ne-* *Chryſ. hom. IX. in epiſt. ad Phil.*

 ceſſa-

ceſſario non eguerit, aut, ne præter decorum ipſe cogatur obire ſingula, miniſtrum habuerit, pro divitiis illi imputatur. Hæc magnus Chryſoſt. ad eos, qvi cunctos Viros Eccleſiaſticos nimiæ tenacitatis incuſare haudqvaqvam verentur, ob turpilucrorum qvorundam culpam Clerum univerſum acriter impetentes, & telis iujuſtiſſimis configentes. At enim verò cogitent velim, & ſeriò ad animum ſuum revocent Doctores auri appetentiores, qvid ſeveriſſimo Judici olim reſponſuri, cujuſve ſententiæ aleam ſubituri ſint, qvi maleſanâ ſuâ habendi acqvirendiqve prurigine effecêre, ut Ordo omnium ſanctiſſimus promiſcuis vulgi ſannis atqve ludibriis expoſitus, & calumniarum pudendarum telis, optimi etiam cœleſtis veritatis præcones impetiti fuerint. Utinam irradiantis luminis gratioſi ſplendorem admitterent, qvi avaritiæ peſtilentis caligine diutius fuêre occupati pariter ac occæcati, tantoqve plus acqvirendæ rei ſtudere conſveverunt, qvanto ad hoc vitium occaſiones habuêre freqventiores.

V. Extat graviſſima qvædam de nonnullis fidei & profeſſionis Chriſtianæ Antiſtitibus qverela, ab eruditiſſimo qvodam & ſacro zelo ferventiſſimo Scriptore concepta ad h. m. *Qvid aliud pleriqve Epiſcopi, qvam villici, qvam qvæſtores, qvam fiſcales, rerumqve mundanarum procuratores? Qvis obſecro lau-*

dare

Digitized by Google

dare poſſet iſta qvæſtuum, Epiſcopalium aucupia? Sacerdotia aut vendunt pacto pretio, aut larginntur agnatis, familiaribus domeſticis, famulis, hominibus nimirum ad vitia hujus ſeculi promtioribus, qvam ad peragendum cultum divinum inſtructis. Infinitum hoc chaos eſt, qvis hæc ſcelera enumeret? Notum tibi eſt procul dubio, qvantas opes pleriqve Epiſcoporum Mammoni ſuo hinc cumulaverint, dum nulli Judæi fœnus fœdius exercere, nulli mercatores lucrum turpius unqvam facere ſoleant. Memini ego Cameracenſem Cardinalem Iliada talium qverelarum Conſtantienſi Concilio propoſuiſſe, additâ hâc obteſtatione, niſi iſtæ corruptelæ ſublatæ fuerint, funditus Eccleſiam perire oportere. Atqve profectò verè qvidem. Nam qvæ ulla turpis lucri faciendi occaſio eſt prætermiſſa? Taceo multitudinem beneficiorum, Epiſcopatuum, Abbatiarum, Præpoſiturarum, qvæ tenent ſinguli; taceo ſimoniacas emptiones, permutationes, & ſimiles practicas, qvas nunc honeſto titulo financias appellare conſveverunt. Tacuerit licet author, pio aliàs zelo ferventiſſimus ea Clericorum ævi ſui dedecora, atqve obtegendas potius qvàm revelandas duxerit deteſtandas adeò labes, non tacuerunt tamen illas cordatiores alij, verum ſimoniacas Eccleſiaſticorum hominum impoſturas in apricum produxêre, non qvidem alio fine, qvam ut miſerorum ejuſmodi Chry-

ſophilorum periculis & caſibus edocti Clerici cæteri, ſapiant rectius, & cane pejus ac angve pleonexiam omnem devitent. Meritiſſimas profectò neqvitiæ ejuſce pœnas ſeræ poſteritati dedit RUPERTUS qvidam ABBAS dictus NUMMULARIUS, qvo de LAMBERTUS SCHAFENABURGENSIS in Annalibus seqventia (non ſine ſtupore legenda) commemoravit: Meginwardus Abbas Augienſis, dignitate ſua ſe ultro abdicavit; offenſus tum infeſtatione qvorundam militum ſuorum, qvi eum gravibus contumeliis affecerant, tum importunitate Regis, qvi freqventibus eum edictis urgebat, ut prædia Monaſterii, qvæ tam ejus qvam priorum Abbatum largitione dilapidata, vix jam in uſus fratrum ſufficere poterant, militibus ſuis in beneficium erogaret. In locum ejus non per electionis oſtium, ſed per ſimoniacæ hæreſeos cuniculum, protinus irrupit RUBERTUS ABBAS BABENBERGENSIS, cognomento NUMMULARIUS, annumeratis in ærarium Regis mille pondo argenti puriſſimi. Hic ſordidiſſimis qvæſtibus & uſuris, qvas etiam privatus adhuc in Monaſterio

Lamb. Schaff-nab. in Annal apud Piſtorium Tom. I. Script. Germ. f. 184. & 185.

rio

rio exercuerat, infinitam ſibi pecuniam conflaverat: & propterea mortes Epiſcoporum & Abbatum anxia expectatione jam dudum ſuſpiraverat. Qvumqve eos diutius vivendo, vota ſua & effrenatæ ambitionis impetum, qvo præceps rapiebatur, morari graviter & impatientiſſime ferret, eo veſaniæ evaſit, ut præter occulta munera, qvibus auricularioꝛum favor redimendus erat, Regi centum pondo auri promitteret, ut ejecto eximiæ ſanctitatis Viro Abbate Widerado, ſibi Abbatia Fuldenſis traderetur. Et profecto, qvod nefarie concupiverat, flagitioſiſſime obtinuiſſet, niſi pauci, qvibus leges Eccleſiaſticæ pecunia chariores erant, in faciem Regi, ne id faceret, obſtitiſſent. Is pſeudo-monachus, dicam expreſſius, vi doloris impulſus, is angelus ſatanæ transfiguratus in angelum lucis, ita ſanctam & angelicam monachorum profeſſionem infamavit, corrupit, vitiavit, ut monachi noſtris temporibus atqve in his regionibus, non innocentia æſtimentur ac inte-

gritate vitæ, ſed qvantitate pecuniæ. Nec qveratur in Abbatibus eligendis, qvis dignius præeſſe, ſed qvis carius Abbatiam poſſit emere. Ita proprio hujus invento, novo atqve infauſto hujus aucupio, hæc in Eccleſiam introducta eſt conſvetudo, ut Abbatiæ publicæ venales proſtituantur in palatio. Nec qvisqvam tanti venales proponere qveat, qvin protinus emptorem inveniat: Monachus inter ſe non de obſervantia regulæ zelo bono, ſed de qvæſtibus & uſuris, zelo amaro contendentibus. Sed hæc, ut dignè defleri poſſint, pro magnitudine ſua, & proprio volumine & prolixiore opus habent tragœdia. Ad cœptum potius revertamur. Advoacatus Augienſis Monaſterii, poſtqvam pecuniarium hunc Abbatem advenire comperit, & qvanta largitione aditum ſibi in ovile Chriſti, lupus rapax, patefeciſſet, audivit: miſſa obviam legatione, denunciavit ei ſub interminatione ſalutis propriæ; ne intra poſſeſſiones Augienſis Monaſterii præſumeret accedere:

re: alioqvin occurſurum ſe, & armata manu vindicaturum in libertatem, qvos ipſe tam caro mercimonio emiſſet in ſervitutem. His ille auditis, nimium animo conſternatus eſt. Tum propter gravem jacturam pecuniarum ſuarum, tum propter ereptum ſibi tanqvam de faucibus, cui diu anxiè inhiaſſet, honorem. Et primo qvidem animum induxerat rem armis experiri, & ut dici ſolet, ignem gladio ſcrutari, hoc eſt, ſimoniacam hæreſin homicidiis cumulare. Sed aſſerentibus his, qvi cum eo erant, ſupra vires ſuas eſſe negotium, confuſo, ut dignum erat, & confecto animo abiit in poſſeſſiones fratris ſui: præſtolaturus ibi, qvos exitus tam triſtibus initiis fors eſſet allatura. Nam Abbatiam Babenbergenſem interea ſuſceperat Ezebertus Gorzienſis diſciplinæ monachus. Ad cujus ingreſſum, omnes protinus fratres, qvos prior ille Abbas ſuis, hoc eſt, mercatoriæ ac uſurariæ artis diſciplinis inſtituerat, & qvaſi filios pater in vitam moresqve ſuos pedibus, ut dicitur, ire do-

docuerat, tanqvam folia, qvæ vento raptantur, diffugerunt. Ita de Ruperto Nummulario Schaffnaburgenſis. Conſimile probrum ſub Conſtantienſis Concilij tempora incurrit Albicus Archiepiſcopus Pragenſis; qvi cum dignitatem eam Wenceslai favore obtinuiſſet, abominanda qvæqve inſatiabilis ſuæ avaritiæ dedit documenta. *Nimirû* (ipſo FlorimundoRemundo memorante) *majorem cellæ & horrei, qvam Eccleſiæ curam gerebat, non tam ſpirituali & ſalubri cibo paſcendis, qvam vellendis ovibus intentus; Inde factum, ut qvæ prædeceſſor cœperat, nunqvam ad exitum ſint perducta. Euclionem hunc Æneas Sylvius graphice admodum depinxit, dicens, claves cellæ cingulo alligatas, geſtare, & carnem ferinam aliunde dono ſibi miſſam, per famulos in foro vendere; atq; etiam ne edacioribus miniſtris uteretur, anus edentula operâ in culinâ uti ſolitum. Idem rogatus aliqvando, eodem teſtante Sylvio; qvis ſonus omnium maxime eſſet moleſtus; eum ajebat, qvem maxillæ edentes, ederent; qvi deinde etiam hoc nefas adjecit male actis, qvod Epiſcopatum vendidiſſe dicatur.* Nimirum, HÆC EST IMPUDICITIA ABOMINABILIS CHRISTIANORUM, ET MAXIME SACERDOTUM (qvæ JOH. HUSSI, Archiepiſcopum Pragenſem, alioſq; ævi iſtius Clericos ventriloqvos graviter corripientis, notatu digniſſima

Flor. Rem. lib. VI. c. 3. p. m. 318.

Joh. Huſſus de Sacerdot. & Móach. Carnal. abominatione c. XIV.

Digitized by Google

ma verba ſunt) *puta qvod cupiditatem, qva eſt in Chriſtiano populo, & ſemper fuit nimis abominabilis, & in principio creatura DEI, id eſt populi Chriſtiani fuit horrende punita, & ſub terra ſepulta, ut patuit in Anania & Saphira; terribiliter anathematizata, ut factum eſt in Simone infelice; In Anania verò turpiſſima cupiditas fuit punita, qvod voluit cum communione JESU charitatis, Caininam concupiſcentiam ſociare; in Simone autem, qvibus præſumſit ſpiritum JESU cum avaritia, vel mammona diaboli ſimulare, id eſt ſimul in ſua anima collocare. - - Hanc talem incompaſſibilem & incomponibilem mixtionem Chriſtiani, & nos MAXIME SACERDOTES, in ſemetipſis figurantes, abominatio deſolationis ſumus effecti, ſibiipſis in eo blandientes, jam ad id devenimus, qvod non tantum non erubeſcimus, ſed palam in fronte meretricio oſtendamus cupiditatem noſtram impudicè in totâ vitâ noſtrâ, vel noſtris actibus & ſtudiis, in cogitationibus & noſtris verbis demonſtrantes, & exercentes omnia noſtra ad qvæſtum, vel ad honorem noſtrum, vel ad qvietam vitam iſtam, & amicorum hujus ſeculi complacentiam ordinantes, & ſtudioſè inducentes.* Qvæ planè emphatica Huſſi magnanimi verba, ritè in dies ac momenta conſiderata, æſtimataqve, ingentem in Clericis AVARITIÆ (penitus è ſacrorum hominum cœtu relegandæ imò excludendæ) exſecra-

ecrationem, mirabiles vero τῆς αὐταρκείας amores concitare deberent. Illos ipſos ſanctiſſimus Columbanus, qvondam Hunaldo diſcipulo ſuo, ſeqventi carmine commendavit, qvo noſtram hanc commonefactionem obſignabimus:

Vive DEO fidens, Chriſti præcepta ſeqvendo,
Dum modo vita manet, dum tempora certa ſalutis;
Tempus, & illa volat, momentis labitur ætas.
Deſpice qvæ pereunt, fugitiva gaudia vitæ,
Non fragiles ſceleris opes, & inania lucra,
Nec te ſollicitet circumflua copia rerum,
Sint Tibi divitiæ, divinæ dogmata Legis,
Sanctorumq; Patrum caſtæ moderamina vitæ,
Omnia qvæ dociles ſcripſerunt ante Magiſtri,
Vel qvæ docti loqvi, cecinerunt carmina vates:
Has cape divitias, ſemper contemne caducas:
In mentemq; Tibi veniat tremebunda ſenectus,
Qvam gelidæ tandem ſeqvitur violentia mortis.
Hæc, dum vita volat vigili, qvi mente retractat,
Spernit AVARITIAM, vanosq; refutat honores.
Qvid modo terrenis mentes intendere curis
Mortales cupiunt? qvid turpia lucra ſeqvuntur?
Sēper avar⁹ eget.nec habet,qvi habere videtur.
Ille domi ſolos nummos abſcondit in arca,
Divitias cumulans, dum ſeſe neſcit amare,
Plus amat hæredem, ſervat cui cuncta fidelis.

O ni-

Digitized by Google

O nimium FELIX, PARCUS CUI SUF-
FICIT USUS,
Corporis ut curam moderamine temperet æquo,
Non miſera capitur, cæcaque cupidine rerum,
Nec majora cupit, quam quæ natura repoſcit;
Non lucri cupidus nummis marſupia replet,
Ne ſubitis pereat collecta pecunia flammis.
Diviti hîc nigri reſerantur limina ditis,
Pauperibusq; piis cœleſtia regna pateſcunt.

COM-

COMMONEFACTIO XXIIX.

LITERATUS MALE-CURIOSUS ET POLY-PRAGMON,

SIVE

IMPROSPERÆ AC EXITIOSÆ CURIOSITATIS LITERARIÆ DOCUMENTA ET NOCUMENTA QVÆDAM EVIDENTIORA;

UNA CUM

APPENDICE GEMINA.

Ad Commentat. IX. de Noxia Literat. Curioſit. num. III. & VI.

I.

QVantumvis naturâ ita comparatum ſit, ut nullus animo cultiori ſvavior cibus apponi qveat, qvam *Rerum cognitio multijuga*, qvæ maximè impellit ad abſtruſiora qvæqve perveſtiganda, &

& oblectamenta vitæ elegantioris affatim ſubminiſtrat, attamen ſi ardua nimis, tenuesqve ſuperantia vires Muſophili illi aggrediantur, nec niſi ſumma & ardua volutent in animo, accidit plerumqve, ut à præfixo doctrinarum ſcientiarumqve ſcopo turpiter aberrent, imò in magicos tandem abripiantur auſus, atqve ſatiandæ inqvietudinis ergò, deteſtandis etiam artibus ſollicitè incumbant. Qvam ipſam extremæ Infelicitatis notam, præter Literatos alios [in ultimâ noſtrâ Commentatione commemoratos] APULEIUM qvoqve Madaurenſem, Platonicum Philoſophum olim ſubiiſſe, atqve ex nimio ſciendi deſiderio, abominabile Dæmonis imperium admiſiſſe, varia priſcorum monumenta clariſſimè teſtantur. * Non eqvidem prolixæ ami- *Conf. Fel. Liter. Coment. IX. num. VI. p. 977. ſeqq.*

 corum

* *Diſertè Lactantius lib. V. c. 3. Hieronymus in Pſ. 81. Marcellinus epiſt. 5. ad Auguſt. & Auguſtinus ipſe epiſt. 49. Apulejum Apollonio Tyanæo ex aliis magni nominis Magis adnumerant, qvos ſtulta paganitas, præſtantiâ miraculorum Chriſto ſuperiores, non minus vanè qvam ſacrilegè crediderit.* Qvis autem vel riſu (*ait cit. loco D. Auguſt.*) dignum non putet, qvod Apollonium & Apulejum cæteroſqve artium magicarum peritiſſimos conferre Chriſto, vel etiam præferre conantur? qva

qvæ loca eo tempore haud explorata habui, qvo mitius de Apuleo ſentiendum eſſe exiſtimavi. Conf. Comm VI. n. II.

eorum excuſationes, neqve decantatiſſimæ ipſiuſmet Apuleij *Apologiæ* [qvibus *crimen magiæ* à ſe duxit amoliendum] maculam abſtersère, qvam noxiæ Curioſitatis amore infelix contraxerat. Haudqvaqvam verò probrum illud execrabile incurriſſet, ſi de Philoſophiæ Platonicæ partibus [qvas Athenis Atticis univerſas ebibit] magis excolendis augendisqve fuiſſet ſollicitus, aut Romæ advena, cauſarum [uti haud infeliciter cœperat] agere patronum perrexiſſet; verum cum *Magiæ noſcendæ* causà, deinceps Theſſaliam, ubi artis illius deteſtabilis nativa cantamina totius Orbis conſono ore celebrabantur, cupidè petiviſſet, indidemqve ad execranda conamina eſſet delapſus, factum eſt, ut ad ſyrtes & ſcopulos illos periculoſiſſimos navem ſuam (egregiis aliàs doctrinarum opibus refertam) adflixerit, atqve CURIOSITATIS improſperæ miſerabile præmium reportarit, id qvod ipſiuſmet Apuleij teſtimonio planiſſimè evincitur: *Ego* [ait diſertè] *CURIOSUS alioqvin, ut primum ARTIS MAGICÆ ſemper OPTATUM NOMEN audivi, tantum à cautelâ Pamphiles*(qvæ maga Theſſalica primi nominis, & omnis carminis ſepulcra-

Conf. Apul. Metam. lib. 1. n. 101.

Apul. Metam. lib. II. p. m. 117.

cralis magiſtra credebatur] *abſui, ut etiam ultro geſtirem, tali magiſterio me volens amplâ cum mercede tradere, & prorſus in ipſum barathrum ſaltu concito præcipitare.* Qvid, qvod horrificam adeò tempeſtatem *ardentiſſimus ille magicæ rei cupitor* (uti de ſe ipſo alibi ſcribit) incurrerit, ut veneficâ fraude in *ASINUM* ſit tranſmutatus, qvi avis formam inducere, & arduo volatu nubes verberare deſideraverat; *Pyxidem ex arcula* (en ipſiſſima malecurioſi Apulei verba!) *depromptam amplexus ac deoſculatus ſum prius, utqve mihi proſperis faveret volatibus deprecatus, abjectis properè laciniis totis, avidè manus immerſi, & haurito pluſculo uncto, corporis mei membra perfricui, jamqve alternis conatibus libratis brachiis in avem ſimilem geſtiebam. Nec ullæ plumulæ, nec uſqvam pennulæ, ſed planè pili mihi craſſantur in ſetas, & cutis tenella duratur in corium, & in extimis palmulis perdito numero, toti digiti coguntur in ſingulas ungulas, & de ſpinæ meæ termino grandis cauda procedit. Jam facies enormis, & os prolixum, & nares hiantes, & labra pendula. Sic & aures immodicis horripilant auctibus. Nec ullam miſer reformationis video ſolatium.* Nimirum, pœna hæc fuit improſperæ curioſitatis eò infeliciſſimum illum, malitia improvida perduxit. Eant nunc temerarij ejus defenſores, & crimen magiæ à miſero illo amoliri

Idem lib. III. pag. 137.

Ibid. p. 139.

pergant, à qvo minimè ſe alienum fuiſſe, gemino loco diſertè eſt conteſtatus. Sed & alibi, calamitates & miſerias ſuas, qvas urgente curioſitate noxiâ ſubiit, pluribus expoſuit; * qvomodo ſcil. *multis & variis* (ac aſininis) *planè laboribus exantlatis, magnisq; fortunæ tempeſtatibus & maximis actus procellis; CURIOSITATIS IMPROSPERÆ ſiniſtrum præmium reportarit.* Sive finxerit miſer ille, ſive ſeriò putarit ſe humano animo permanente, in aſinum fuiſſe tranſmutatum, evidentiſſimum planè *infelicis* è noxiâ Curioſitate hominis Literati exemplar dedit atqve documentum. Id ſi amplius ad animum ſuum florentiſſima & excellentiſſima Orbis eruditi ingenia revocarent, intenſiori etiam ſtudio de evitandâ periculoſiſſimâ illa principis tenebrarum catapultâ eſſent ſollicita, majoriqve niſu ad Literatorum piè doctorum & piè felicium ſortem adſpirarent. Si vel maximè calamitatem illam Apulejanam, magicæqve neqvitiæ laqveos effugerint, aliis tamen non minus periculoſis labyrinthis involventur, nî qvantocyus infrunitæ ſciendi cupiditati miſerint nuntium, & prætermiſſis perniciosis ſtudiis, ſolis neceſſariis utilibusq; occupentur.

II. Nihil ſanè inauſum omni ævo reliqvit, nihil intentatum peſtilentiſſima illa inſaniæ offici-

* *Conf. lib. XI. Metam. p. m. 264.*

Digitized by Google

officina, qvam NOXIÆ CURIOSITATIS nomine ſæpè indigetavimus: Hinc præter Magiæ portenta, aruſpicum deliria, ſortilegiorum & divinationum præſtigias atqve impoſturas, deteſtanda qvælibet prurientis cerebri commenta infauſtam ſuam traxêre originem, atq; præſtantiſſimis etiam ingeniis (pariter ut Apulejo) ruinam & everſionem miſerabilem attraxêre: Dum ſcil. in ipſas rerum ſpecies prodigioſam neſcio qvam metamorphoſin inferre ſtuduerunt, & ab inacceſſis Mundi ſuperioris partibus, novam qvandam eſſentiam, qvæ divinum oculum in primâ molitione univerſi hujus turpiter fefellerit, elicere. Grande vulnus inflixit & lethiferam plagam eruditorum hominum animis Protoplaſtus, ad nimium & noxium ſciendi deſiderium ab infernali ſerpente incitatus: Etiamſi mali vim, modumqve ſanationis illi probè perſpiciant, utplurimum tamen miſerrimè pereunt, eò qvod ſollicitæ curationi parum invigilent, & ſingularem ſemper ad morbum habeant propenſionẽ. Hydram Herculis non malè illum culpæ literariæ reatum nuncupaveris, qvæ amputato capite biceps reſurgit, fœcundum planè monſtrum! Verè inqvam monſtrum, qvia non de veræ virtutis ſemine gignitur, ſed è protonævorum ſemente propullulat. Sicuti lapidem ſua gravitas & moles, ita mentem eruditam propenſio hæc qvã-

 do-

doqve ita in præceps trahit, ut inani vertigine rotetur, nec qvod habet unqvam diligat ac amplectetur, alienis ſemper inhiet, iisqve vel manum vel mentem immittat. Hinc ſeges vitiorum, Orbem eruditum cataclyſmi inſtar inundantium maxima, hinc errorum, contentionum, & hallucinationum purulenta colluvies, ubi nimirum malè-curioſa mens, tenui & obtuſa luce naturas rerum intuetur, hæret paſſim & labitur, nec explicat ſe ita facilè, opinionum involucris intricata, ſed torqvet ſeſe & agitur velut in gyrū, haudqvaqvam gnara, ubi tandem feliciter figere aciem debeat. Sicut navis agitatur fluctuum verbere, nunc in hoc, nunc in illud latus; nec momento conſiſtit; ſic illa mentis cacocurioſæ vis, qvæ in abſtruſarum rerum ſcrutinio ſe continenter fatigat, & qvaſi procellis errorum huc illuc tunditur, vix unqvam ſolido pede conſiſtet. Gonglomerant ſe conceptus, & rationum telis mutuò conficiunt, pendente & dubiâ victoriâ. Collimant omnes & jaculantur, longius, propius, ſed limbum ſcopi vix attingunt; non feriunt clavum; ſtringunt oram, & radunt leviter, cor aut centrum circuli rariſſimè aſſeqvuntur. Notetur tantummodò Curioſorum rixantium vehementia, qvam acri ſæpè conflictu illi congrediantur, & mutuis aſſultibus cornua collidant. Vocale qvoddam & incruen-

cruentum bellum dicas. Negant, aſſerunt, partiuntur, colligunt, diffundunt, curvant, ſtringunt, torqvent ut volunt, dum veriſimile aliqvid & tanqvam nucleum è cortice eliciant: Audies ibi fremitus, clamores, & comploſiones manuum; cavillos & ſcommata, ut ad tribunal interdum provocare neceſſe, aut alium honorarium arbitrum, qvi litem componat: Nunqvam pervenitur ad metam, incitato licet & volucri paſſu, nec de palma gloriari qvenqvam auditum hactenus, cum ea ſubſit difficultas, qvam ne dum conatu, ſed vel ſpe etiam aut voto nulli fas vincere; ſemper ab IGNORANTIÆ craſſiori fuligine adſperſum aliqvid hæret, qvod aciem mentis retundat aut ſiſtat. Qvod febricitantibus accidit, ut ſubſidente paroxyſmo, toto corpore langveant, & vix ægrum trahant ſpiritum, hoc animæ malè-curioſæ poſt acceptum primum vulnus; infirmatur graviter labefactatis viribus, & decuſſo vigore, nec ad antiqvum robur facilè aſſurgit, tota in marcore jacens, nihilqve qvod FELICIS LITERATI ſplendorem referat habens; Ridet argutias miſerorum illorum, & fractas vigiliis ſudorib⁹q; vires mors gloriæ literariæ invida, & ni qvantocyus priſtinæ mentis ſanitati illi reſtituantur, perpetuis ac ſempiternis calamitatibus illos involvit.

III. Prælustre licet Patrum noſtrorũ memoria, in LITERARIO Orbe nomen ex eo conſecutus ſit THOMAS ERASTUS, qvod ſolidis, verisqve principiis conſtanter inſiſtens, Aſtrologiam Curioſam (qvæ ex aſtrorum poſitu de hominum fortunis decernit) validiſſimis argumentis confutarit, & Medicinam Paracelſicam (qvæ ſeu novitate ſeu vanitate ſuâ curioſâ, nobiliſſima paſſim ingenia illexit) validis argumentorum telis ſit inſectatus; non levem tamen CURIOSITATIS NOXIÆ culpam apud ipſos fidei & profeſſionis ſuæ ſocios inde incurrit, qvod humanas ſcientias egreſſus, tractare non dubitaverit THEOLOGICA, & qvæſtionem de DISCIPLINIS ac CENSURIS agitarit, unde graviſſimæ in qvibuſdam Eccleſiis exortæ ſunt contentiones. Sic cum JOHANNES STURMIUS Scholæ Argentoratenſis Rector, noxiæ curioſitatis œſtro percitus, profeſſionis ſuæ limites exceſſiſſet, atqve temerè rebus ſeſe immiſcuiſſet theologicis, nihil non tentans, qvod ad impediendam Theologorum Concordiam facere videretur, deniqve omnem ſuam bilem in Joh. Pappum, veteranum in eâdem Scholâ Doctorem) publico ſcripto edito evomuiſſet; factum, ut nocentiſſimis Scholâ & Eccleſia illa concuſſa ſit diſſenſionibus, ipſeqve Polypragmon Sturmius, acri hâc cenſura à nonnemine fuerit notatus: *Qvare*

Conf. Thuan. hiſtor. lib. 78.

STUR-

Digitized by Google

STURMI qvando tam infeliciter in tantarum rerum, qvas non intelligis tractatione verſaris, redi obſecro ad tuam Scholam, & eâ profeſſione, qvæ tibi ordinariè contigit, contentus eſto, ſpartam qvam nactus es orna. Datum eſt iſtud tibi divinitus, ut in docendâ Grammaticâ, Dialecticâ & Rhetoricâ plurimum inter alios excellas; contigit tibi lingvarum cognitio haud mediocris; acceſſit etiam aliarum partium philoſophiæ eximia ſcientia. Sed CONTROVERSIAS RELIGIONIS ſolidè explicare & ſacras literas interpretari NON EST OMNIUM: neq; id donum Tibi datum eſt, ut res ipſa loqvitur. Ergò, Sturmi, explica tuas Ciceronianas Orationes, interpretare Demoſthenem, Homerum, Pindarum, Euripidem; oblecta Te in Plauto: & ſi libet, enarra veras Luciani narrationes: inculca tuis auditoribus Hermogenem, Qvintilianum, Ciceronem de Oratore, & alia hujus generis ſcripta; Sacras autem literas & religionis controverſias explicare deſine, ne alios tecum ſeducas, & Te ipſum coram univerſo Christiano Orbe ludibrio exponas.

Luc. Oſiander in Anti-Sturmio ſuo p. 31. 32.

IV. Utinam ſalutaria hæc monita ad animum revocarent noſtræ ætatis POLYPRAGMONES LITERATI, neqve illotis adeò pedibus in ſacra irruerent, aut ingenii doctrinæqve ſuæ politioris opibus penitus confiſi, ipſam Sacrarum literarum fidem & authoritatem ducerent impugnandã,* nullaq; non prodigioſa dogmata pro ſuo arbitrio & lubitu confingenda. Vel ſolus ISACUS PEY-RE-

* *Planiſſimè mihi ab aliqvot annorum decurſo tempore perſvaſeram, conſimilis audaciæ reum peragendum eſſe anonymum illum* Politici Hominis *informatorem, cujus effata tum in epiſtolâ* de eradicando atheiſmo, *tum in* Felicis Literati Commentat. I. num. XI. *adprimè fueram deteſtatus: Attamen cum nuper admodum ex amici cujusdam æſtimatiſſimi indicio cognoverim, ſcriptum illud nonniſi ſatyricum eſſe, & ad redarguendos potius, atque impietatis ſuæ convincendos, quam ſublevandos & confortandos atheos fuiſſe evulgatum; non potui non eâ de re operis mei anagnoſtas facere certiores, ut ipſi mecum ſiniſtram omnem de authoris illius ſcopo & intentione opinionem abjiciant, neqve impietatis ejuſce ducant inſimulandũ, quam verba primâ fronte, & ſententiæ (non niſi ad atheorum mentem conceptæ) præ ſe ferre videntur.*

Digitized by Google

RERIUS, FABULÆ PRÆADAMITICÆ author, triſti ſuo & miſerabili caſu docuit, qvantas NOXIA illa CURIOSITAS Literatis inferre clades, qvantaſqve concitare calamitates ſoleat. Vixerat ille cum librum de PRÆADAMITIS ederet, ſuasqve de primis hominibus ante Adamum conditis nænias divulgaret, in externâ communione Reformatorum, nec proletariam lingvarum & artium ſtudiis impenderat operam, geographica qvoqve, Aſtronomica ac Hiſtorica ſtudia curâ ſingulari excoluerat: Aſt qvamprimum profanitatis, noxiæqve Curioſitatis ſpiritui ſeſe devoviſſet, Magnatum menſas potius qvam Theologorum ſubſellia freqventaſſet, nec minus Sacrarum literarum authoritati convellendæ, Religioniſqve Chriſtianæ fundamentis ſubruendis pro virili ſua incubuiſſet, factum; ut graviſſimis jactatus fuerit procellis, nec ſolùm navem ſuam ad varios errorum hæreſeonqve (qvas eum ex ignorantia magis qvam ex malitia adoptaſſe qvidam judicarunt) ſcopulos adflixerit, verum triſte tandem fidei ipſius naufragium ſubierit, atqve cum cæteris venenatis fructibus, ipſum libro ſuo araneo effuderit atheiſmum. Variis dein oppoſitionum reſponſionumqve telis confoſſus, graviterqve à nonnullis exagitatus, Vir tantæ rei, h.e. motæ à ſe controverſiæ proſeqvendæ, duroqve adeò exercitio impar, librum

Confer Mareſ. confutat. fabul. Praad. p. 14. ſeqq.

brum ſuum qvem de Præadamitis ediderat ejuravit, & qvam cum ipſo lacte imbiberat Religionem cum aliâ commutavit, ac licet utriuſqve facti ſui rationes aliqvas peculiari ad PHILOTIMUM qvendam epiſtolâ exponere auſus fuerit, haud præter rem tamen prudentiores judicarunt, nullam pietatis aut religionis ſinceræ amorem, ſed extremas planè anguſtias * geminum illum ſudorem Peyrerio, lite-

Confer Iſaaci Peyrerii epiſt. ad Philotimum Francof. 1658 edit.

* De qvibus ipſe Peyrerius in epiſtola ad Philotim. pag. 27. *Inauſpicatâ*, ſcribit, *die menſis Febr.* 1656. *irrumpunt in cubiculum meum, agmine & impetu facto triginta homines armati, & extractum cubiculo & domo rapiunt per plateas, & per longos civitatis anfractus, ſublimem raptum intrudunt in carcerem. Ubi primum à tam improviſo auſu lux reddita menti eſt, & hiſcere mihi licuit, petii cujus decreto raptus fuiſſem in carcerem? Reſp. mihi adminiſtrorum dux, decreto D. Vicarii Generalis Archiepiſcopi Mechlinienſis; Neqve multo poſt tempore intravit carcerem D. ipſe Vicarius, duobus aliis & ſcribâ ſuo comitatus. Meqve interrogare cœpit, qvis & qvalis & cujas eſſem? -- Ego verò vehementer cum illo expoſtulavi, & qvo ſolent exulceratæ mentes verborum effluvio dolores ſuos exonerare. Ut*

Digitized by Google

ut D. Vicarius amoveri me inde juſſerit. &c. ita Peyr.

literatorum ævi hujus infeliciſſimo expreſſiſſe. Cæterum, ea qvam ad Philotimum ſcripſit epiſtola clariſſimè teſtatur, miſerum iſtum erronem, non niſi vanâ curioſitate & pudendâ philautiâ ductum, geminum illum labyrinthum incurriſſe: *Duo* [ſcribit ille] *dicam de libro edito. Qvæ me cauſa ad illum ſcribendum impulerint. Tum, qvæ me ratio ad illum edendum moverit. Ad primum, qvod eſt de cauſis, qvæ me ad ſcribendum impulerunt, illas ego ita tractabo, ut non ſtabilire videar, qvod abſit; ſed oſtendere, qvæ illarum facies mihi apparuerint, mihiq; ILLUSERINT - - Hoc per INCONSULTUM ERROREM apud me reputabam, hypotheſin hanc nihil omninò officere potuiſſe Religioni Chriſtianæ - - tum verò cum opinione illâ, qvam tamen falſam reputo, tolli (qvod non parvi momenti mihi videbatur) controverſiam omnem de Origine gentium illarum, qvas vel Patres noſtri ſuperioribus paulò ſeculis penetraverunt, vel qvas detectas tantum & delibatas, neq; dum etiam penetravimus, neqve adeò novimus, qvales & qvãtæ ſint, & à qvibus oriundæ &c.* Nonnè liqvido hinc conſtat, Peyrerium ſolâ curioſitate urgente, *FABULAM SUAM PRÆADAMITICAM* fabricaſſe, atqve vix aliam ſcribendi cauſam habuiſſe, qvam profanam illam

Idem l.c.

lam vanamqve de prodigioſâ gentium antiqvitate opinionem, cum tamen doctiores longè, prudentioresqve Viri diſertè oſtenderint, qvâ ratione antiqvitates ſacræ & profanæ invicem conciliari qveant. Neqve verò Curioſitatis ſolum noxiæ, verum philautiæ etiam ſuæ in citatâ ad *Philotimum* epiſtolâ notabile qvoddam dedit documentum: *Cavendum mihi videbatur diligenter unico illi, qvod mihi erat exemplari* (ſcil. operis MS. de Præadam.) *quodq; ut ingenuè fatear, quæque mea cæcitas fuit, unicè diligebam; tum propter novitatem cogitati, tum qvia cogitatum MEUM erat, atq; ut ait ille, QUIA NÆVOS NOSTROS & CICATRICES AMAMUS, atqve neqve ſemper & ubiqve portare poteram codicem illum meum - - timebam ſcil. oneri meo, neminemq; habebam, vel in Belgio, vel in Hollandia, cui pignus hoc confidenter crederem. Utendum ergò mihi fuit commoditate Typographorum Amſtelodamenſium, nec non libertate imprimendi, qva mihi tum Calviniſtæ laxior erat, qvam licuiſſet Catholico, conſultumqve hâc ratione putabam timori meo & ſecuritati fœtus mei, ſi qvod unicum illius habebam exemplar, typographo darem, qvi pro uno centum redderet, & qvamplurima alia exempla propagaret.* Rectius verò ſcriptor infeliciſſimus, & timori & honori ſuo conſuluiſſet, ſi iſta ſibi reſervaſſet ſomnia præadamitica, neqve in publicam

Confer G. J. Voſſii Iſagog. Chronolog. S. c. II, p. 37. & Theol. Gentil. lib. I. c. 28. p. 207.

ea

ea abire lucem permiſiſſet. Tum neutiqvâ objeciſſet illi antagoniſtarum qvidam, qvod Valentis Demoſtheni, improvidè ſe in Theologicas controverſias ingerenti, Magnus Baſilius olim repoſuit : *Tuum eſt juſculorum curare condimenta, nam cum aures habeas oppletas ſordibus, ſacro-ſancta dogmata audire*, vel *retum* tractare *non potes.* Cæterum, in eodem luto cùm miſero iſto Præadamitarum conditore haerent illi literati, qvi novorum dogmatum novarumqve ac curioſarum adinventionum, imò Biblicarum expoſitionum antea inauditarum architecti audire geſtiunt, etiamſi εὑρήματα ea nonnunqvam ipſi atheiſmo propagando,, omnigenæqve impietati diſſeminandæ inſerviant, aut profanum Scholis inferre, ſacrarum literarum contemptum, ſaltim manifeſtiſſimam τῆς διανοίας ἀῤῥωςίαν prodere videantur.

Mareſ. l. c.

Confer Theodoret. lib. IV. Hiſtor. Eccleſ. c. 17.

V. Prodigioſam Ingenii GROTIANI ſublimitatem, ſicuti nemo non doctiſſimorum ævi hujus hominum admiratus fuit, ita nemo ab omni humanitate tam alienus reperiebatur, qvi adhuc viventem Grotium non veluti Herculem qvendam Muſagetam, honore laudeqve debitâ ſit proſecutus. Qvæ enim diſciplina liberalis, qvod ſtudiorum genus, qvæ ſcientia, qvam nominis ſui omen habens Grotius non attigerit, delibaverit, imò penitus

nitus imbiberit & hauſerit animo? Singulas eqvidem vaſto ingenii ſui ſinu ita eſt complexus, ut dubium multis reliqverit, in qvâ potiſſimum excelluerit. * Qvi verò felicitatis

I lite-

* *Non ambiguo rumore, verum probatiſſimorum virorum teſtimoniis conſtat, Grotium vix novennem verſus fundere cœpiſſe, ac qvindecennem anno ævi ſuperioris octavo & nonageſimo de philoſophicis argumentis publico diſputaſſe, mox admodum juvenem ordini Advocatorum Hagienſium adſcriptum, renunciatum poſtea Fiſci Hollandici Curatorem, denique Civitatis Roterodamenſis Syndicum, in ſingulis muneribus miram ingenij judiciiq; probaſſe præſtantiam. Valde juvenis eruditiſſima dedit ingenij monumenta, videlicet:* Notas in Martiani Capellæ Satyricon 1599. Syntagma Arateorum, *ſeu notas in Arati phænomena & Dioſemeia, in Germanici Cæſaris & Feſti Avieni interpretationem, in fragmenta Ciceronis* 1600. *Ætate provectior,* notas in Lucani Pharſaliam emiſit *Anno* 1614. Mare item liberum, *ſeu de Jure quod Batavis competit ad Indicana commercia* 1609. *lib. de Antiqvitate Reipubl. Batavicæ,* 1610. *Ordinum Holland. pietatem, à multorum calumniis, vindicatam* 1613. *Florilegium Stobæi,*

ſive

ſive dicta veterum Poetarum, quæ apud Stobæum extant latino carmine reddita. 1623. *Notas breves ad Jus Juſtinianeum, quas Florum ſparſionem nuncupavit* 1643. *Emendationes in Cornel. Tacitum* 1640. *& alia.*

literariæ apicem jam attigiſſe credebatur, peſtiſeti polypragmoſynes & noxiæ curioſitatis ſidere afflatus, graviſſimam ſubiit tempeſtatem, ſum̃umq; vitæ ac famæ adijt periculum. Primùm, veluti ſeditioſæ Remonſtrantium (qvi eo tempore apud Batavos in materia prædeſtinationis divinæ à Calvini Gomariqve aſſeclis diſceſſionem fecerant, turbaſqve graviſſimas concitaverant) factionis anteſignanus jubebatur apprehendi, dein cum læſæ etiam Majeſtatis reus, inter vitæ ſpem neciſqve timorem per octo menſes eſſet detentus, tandem carceri in arce Lovenſteinia propè Gorcomium mancipabatur perpetuo. Qvem tamẽ, miro uxoris ſuæ fideliſſimæ, Mariæ Reigerſpergiæ aſtu feliciter evaſit, arcæ ligneæ incluſus; & per medias cuſtodias exportatus; vectusqve hinc Gorcomium, atqve inde veſte ficta Antvverpiam profectus, ad Ordines Fœderatos literas dedit, *ſe liberationem quaſiviſſe & inveniſſe denuncians, feciſſe autem qvod omnes creaturæ egiſſent in conſimili rerum ſtatu conſtitutæ.* Dehinc cùm magis ſeriæ incubuiſſet doctrinæ, atqve per omne Scriptorum

genus, ſacrum juxta ac profanum eſſet exſpatiatus, celeberrimum illũ ingenij & eruditionis ſuæ fœtum, hoc eſt Librorum *de Pacis & Belli Jure* trigam in lucem publicam emiſit. Hoc in opere [qvo jus Naturæ & Gentium, item Juris publici præcipua explicavit] tria maximè ſibi propoſita fuiſſe præfatus eſt, † nimirum ut definiendi rationes redderet qvam maximè evidentes, ut tractanda ordine certo diſponeret, qvæ deniqve eadem inter ſe videri poterant, nec erant, perſpicuè diſtingveret. Cæterùm proteſtatus eſt, ſe ad noſtri ſeculi ſpeciales controverſias neutiqvam reſpexiſſe, nec ad rerum tractandarum multitudinem verborum copiam adhibuiſſe, ſed genus docendi concilum ſecutum fuiſſe, docentiqve conveniens, id porrò ſummo egiſſe ſtudio, ut velut uno conſpectu negotia publica tractantes habeant, & controverſiarum, qvæ incidere ſolent genera, & principiorum unde dijudicari poſſint pondera atqve momenta.

VI. Utinam verò tantus Vir, ab illaudatis qvibuſdam κενοδοξίας conatibus abſtinuiſſet, aut rectiora & meliora monentibus, aures præbuiſſet benigniores, cæterum ea qvoqve voluiſſet indicta, qvæ ſacris literis Chriſtianæqve Eccleſiæ conſenſui diſſentanea tum *in Annotatis ſcripſit Biblicis*, tum in peculiari *de An-*

† *Conf. Prolegom. Librr. Grotij de Jure Belli & Pacis, § 6.*

Antichriſto Commentatione, tum in *Voto pro pace Eccleſiaſtica*, atqve in *Caſſandrum Conſultantem* notationibus; ſi inqvam ea meletemata vel nunqvam edidiſſet, vel ad Divini Verbi normam & regulam diligentius exegiſſet, longè rectius & ſibi & ſuæ conſuluiſſet exiſtimationi, ſublimius longè literariæ, imperturbatæqve felicitatis conſcendiſſet faſtigium, nec tantum eorum incurriſſet odium atqve indignationem, qvi ipſo dictante ſancto Spiritu, potiorem *Veritatis* qvam *Pacis* [præſertim intempeſtivæ inconſideratæqve] habent rationem. * Porrò cum Curioſitatis

Ggg 2 no-

* *Non pauca ad hæc Grotium Eccleſiæ Chriſtianæ conſenſui repugnantia ſcripſiſſe, obſervarunt plurimi, acriq; propterea cenſurâ illum notarunt. Gloriatur paſſim, ſibi ubiqve curæ fuiſſe diſcrimen antiqvæ & novæ legis ut loqvitur; verum huic fundamento enormem illum ſuperſtruxit errorem, qvo legis divinæ naturam & conditionem, Servatorisq; Chriſti (qvem Legislatorem tantũ ſalutavit) officium ac inſtitutum pervertit atqve confudit, eaq; inde deduxit placita, qvæ multis ambagibus doctrinas implicant ab Eccleſiâ orthodoxa pridem rejectas atqve damnatas. Scilicet* Socini *nimiũ à ſe adamati ſcriptis debuit, qvod cunctis ferè operibus ſuis inſan-*

fauſta ejuſmodi inſeruerit emblemata. Nihil eqvidem [gravi qvodam viro dicente] utilius eſſet opuſculo Grotij de Veritate Religionis Chriſtianæ, *verum farinæ ejuſce nævi fecêre, ut adoleſcentibus non ſatis præmunitis ab eorum lectione aliqvantiſper ſit abſtinendum.*

noxiæ glaucomate deceptus, inter partes in Religionis negotio hoc ævo diſſentientes qvendam agere voluiſſet Ariſtarchum, non parum [uti fieri ſolet] ſingularum partium offendit propugnatores, qvi paſſim illum veluti novum in Religione monſtrum, & tantum non omnium ſectarum advocatum ſunt adorti, famoſorumqve illorum Neopoliticorum Ducem atqve anteſignanum vocarunt, qvi diverſas atqve adverſas religiones in qvâvis Rep. permittendas eſſe comminiſcuntur.* Et

* *In conflictum & arenam præ cæteris cum Grotio deſcendit Andreas Rivetus, ſcripto examine Animadverſ. Grot. in conſidr. Caſſandri, & diſcuſſionis à Grotio dein adornatæ dialyſi, qvibus ſcriptis conſilia ejus Irenica diſſipare, arduaqve molimina dejicere laboravit; qvemadmodum etiam Grotium eodem fine aggreſſus eſt Jac. Laurentius Eccl. Amſtel. Min. libro peculiari cui* Papiſſantis Grotij *titulum fecit, ejuſqve cum Romanis Doctoribus adverſus Eccleſias Reformatas conſpirationem Orbi expoſuit.*

Digitized by Google

Et cum multis planiſſimè perſpectum fuerit, illum principiò Reformatorum Religioni addictum, poſtea Remonſtrantium, Sociniana inſuper dogmata (licet aliqvando ea ſcripto adverſus Socinum de ſatisfactione Chriſti opere impugnaverit) pinxiſſe, nec ab ipſis Judæorum erroribus abhorruiſſe, tandemqve Romanæ religionis amore ac ſtudio captum fuiſſe; * hinc multiformem Politicorum religionem ab ejus ſive authore ſive fautore, GROTIANAM qvidam appellare non dubitarunt. Providerat eqvidem ipſe Grotius procellas ejuſmodi adverſus ſe ſurrecturas, neqve in eo deceptus eſt, qvod multis conſilia ſua ſtudiaqve haud placitura exiſtimaverit. † Nec minus probè cognoverat, plurimorum eruditorum animos admirationem ſubiiſſe, qvod profeſſione JCtus eo uſqve ſe controverſiis immiſcuerit Theologicis, falcemqve miſerit in alienam meſſem, qvin imò nobilis cujuſdam Svecici latum de ſe judicium ex Jacobi Lau-

† *Conf. H. Grotij Præf. libri apologetici contra Rivet. pro ſuis notis ad Conſult. Caſſandri.*

* *Henr. Valeſ. Orat. in obit. Dion. Petavij Jeſ. Pariſ. 1653. habita*; Qvid non [ait] præſtitit Petavius, ut Cl. Virum H. Grotium ad Catholicam communionem adduceret? Erat ille qvidem minimè à nobis alienus, ac pænè noſter; qvippe qvi doctrinam Tridentini Concilii in OMNIBUS ſeſe amplecti palam profiteretur, &c.

Jac. Laur. in Epiſtola Grotij anatomizata, p. 5.

Laurentii indicio perceperat, qvod tale: *Verò magnus eſſet Grotius, ſi miſſam feciſſet Theologiam, & non ſcripſiſſet de Antichriſto:* Tantum tamen abeſt, ut gravibus adeò famæ & exiſtimationis ſuæ periculis cautior ſit factus, ut potius controverſiarum Religionis, qvæ per ſeculum & ultra decidi non potuêre, Conciliator & arbiter, Scripturæ qvoqve univerſæ interpres, & dubiorum qvorumvis in eâdem etiam ἀπείρων, καὶ ἀλύτων diſcuſſor ab omnibus haberi voluerit, ſuoqve patrocinio qvamcunqve religionem defendere ſe poſſe crediderit, & qvæcunqve elegerit placita tueri. * Id verò ſummoperè dolendum, qvod inſignem omnigenæ eruditionis ſuæ apparatum, qvem ad illuſtrandum utrumqve Teſtamentum Vir magnus attulit, in *locis fidei præcipuis*, atqve clariſſimis *vaticiniis* non tam ad Religionem Chriſtianam firmandam atqve ſtabiliendam, qvam ad corruptelas Rabbinorum heterodoxorumqve aliorum multivarias incruſtandas adhibuerit, *ſicqve* (Riveto dicente) *Propheticos libros in præcipuis eorum de Chriſto oraculis ita deformarit,* ac ſi ab *hoſtibus Chriſtiani nominis ad id fuiſſet* con-

* *Hinc ægrè fert J. Laurentius d. l. qvod ubiqve dictatorem agere Grotius voluerit, & faſtu inaudito atqve intolerabili omnia velut ex tripode, qvaſi alter αὐτὸς ἔφα ſit prolocutus.*

conductus. † Conſilium qvidem initio Hugoni, Annotata in Vetus Teſtamentum paranti fuerat, ea tantum, qvæ ad oram librorum Veteris inſtrumenti proprios ad uſus notaverat, publici facere juris, longius tamen poſtea provectus, qvæcunqve obſcuritatis aliqvid habere videbantur, explicare penitius conſtituit, ſententiis Hebræorum moralibus aut civilibus ſimiles addens ex præſtantiſſimis tã latinis qvam græcis Scriptoribus, ex hiſtoriis etiam externis afferens plurima ad ſacræ hiſtoriæ confirmationem aut explicationem pertinentia. In multis ſane ad verborum emphaſin explicandam, ſenſum textus eruendum, ad illuſtrandam hiſtoriam dubiaqve varia diſcutienda, præclarè facere Grotiano-Biblicum opus, vel ſummi non diffitentur Theologi: In aliis tamen, qvi potioris ſunt κόμματος, fidemqve concernunt, imò ipſum pietatis Religionisqve Chriſtianæ fun-

Conf. Præf. operis Grot. qvod Annotata in Vetus Teſtam. appellavit.

 da-

† *Hinc etiam Bœclerus magnus aliàs Grotii admirator, in præfat. Notation. ſuarum ad libros de Jure B. & P.* Theologiam Grotii ſummè deplorandam eſſe exiſtimavit, vel cum interpretur Scripturas, vel cum de interpretibus dicat ſententiam; non magis feliciter ei ſucceſſiſſe affectatam Theologicæ eruditionis lauream, qvam Salmaſio ſuſceptam *cum JCtis diſceptationem*, &c.

damentum, profeſſis fidei hoſtibus illum gratificari voluiſſe, advocatisqve multivariæ doctrinæ ſuæ fidiculis, ſanctiſſimas Scripturas miſerum in modũ detorſiſſe atqve depravaſſe alii oſtenderunt.(*) Nec ipſe Grotius inficias ire potuit, ſe à recepto oraculorum propheticorum ſenſu ut plurimum receſſiſſe: *In Prophetijs* (verba adſcribo præfationis qvam ſuis in V. T. annotatis præfixit) *plurimum poſui operæ, ut ſingulas ad reſpondentes ipſis hiſtorias referrem: in quo qvid præſtiterim, æqui lectoris erit æſtimatio. In hâc parte locos nonnullos, qvos veteres ad Chriſtum & Evangelij tempora retulêre, retuli ad hiſtorias ævo Prophetarum propiores, ſed quæ tamen involutam habent Chriſti & Evangelicorum temporum figuram. Feci autem hoc, qvod ni id fieret, viderem malè cohærere verborum rerumq; apud Prophetas ſeriem, quæ cæteroqui pulcherrima eſt, &c.* Aſt corruptelis haud levibus Scripturam ſacram ab eo depravatam fuiſſe, nec paucis nec obſcuris ſpeciminibus Orbi Chriſtiano pridem innotuit. Haud tamen indignus commiſeratione foret, ſi non ſcientia & data opera, ſed caſu qvodam & ex humana lapſus eſſet infirmitate. Obſervationem eqvidem inſignem meretur qvædam epiſtolæ ejus ad G. V. Galliæ Procancellarium ſcriptæ verba, qvæ ita ſonant: *Servabit mihi ut ſpero hunc*

ani-

* *Cumprimis D. Abrah. Calovius, in Annotatis ſuis Biblicis, quæ oppoſuit Grotianis.*

animum Deus, ut neqve ſpe neqve metu ullo abductus, factis dictisq; ſeorſim tam ab eo qvod animus ſentit. Qui ſi qva in re fallitur, propitius idem ut confido Deus, aut orantem inſtruet aut ignoranti ignoſcet. Qvis tandem illi exitus fuerit, D. Joh. Qviſtorpius Facult. Theol. Roſtoch Senior epiſtolâ qvâdam ad N. N. in hunc expoſuit modum: *Hugo Grotius ager ad nos ex Suecia, poſtqvam in Caſſubiæ finibus naufragium paſſus eſſet, delatus eſt, me ad ſe vocari curavit. Acceſſi, in agone fermè conſtitutum offendi, ut ad beatam emigrationem ſe componeret monui, cumqve inter loqvendum Publicani, peccatorem ſe fatentis feciſſem mentionem; reſpondit, ego ſum ille publicanus; progredior, ad Chriſtum, extra qvem nulla ſalus, ipſum remitto; ſubjicit ille: In CHRISTO OMNIS ſpes mea eſt repoſita.* Ad hunc ſempiternæ felicitatis portum, ſi poſt tot tantasqve animi tempeſtates fluctuationesqve, agnitis peccatis ſuis & infirmitatibus ſincerâ fide confugiſſet, moreqve Chriſtiano atqve Evangelico ad beatam ſeſe compoſuiſſet emigrationem, TANDEM verè FELICIS LITERATI conſecutus eſſet characterem, & infinitæ clementiæ ac benignitatis divinæ ſcatebra fuiſſet recreatus. *

* Optandum (*ita præclarè ſcripſit D. Calovius Praloq. in Annot. Anti-Grotiana*) ut agni-

gnitis graviſſimis erroribus, verâ fide unicum θεανθρώπου meritum apprehenderit, ne qvi naufragium honorum in Svecia, bonorum & vitæ in Caſſubia paſſus, ſalutis naufragium in mortis umbrâ pati neceſſum habuerit.

COMMONEFACTIONIS XXIIX.

APPENDIX GEMINA:

I. JOH. BAPTISTA HELMONTIUS,

SIVE

SPECULUM LITERATORUM VANÆ PRIMUM, DEIN SANÆ CURIOSITATI LITANTIUM.

Præfixa eſt hæc hiſt. operibus Helmõtij Amſtel. & Lugd. Bat. ed.

SIſto nunc conſpectui tuo, *Anagnoſta ingenue*, memorabilem admodum raramqve, Viri doctrinâ & literis noſtro ævo clariſſimi hiſtoriam, non alieno, ſed proprio ipſiusmet calamo exaratam; *vani* inqvam pariter ac *ſani* ſcrutatoris ideam, ac Felicis ex infelice Literato illuſtre admodum exemplar Tibi

Tibi do contemplandum. Patebit inde clariſſimè, qvam tenue revera ſit & exile, qvod mortalis homo in re literariâ & ſcientiarum adeptione proficere qveat, ut ut ſibi & alijs ſcientiſſimus habeatur, atqve vulgò tanqvam ſapientiæ abyſſus, & nulla bolide pervadendum eruditionis profundũ celebretur. Ecce, Helmontius, inter doctiſſimos & ſingulari laude conſpicuos Viros numeratus (nec qvidẽ immeritò) ſe ipſo judice adeò non erat multiſcius, ut multo tempore in abſtruſarum rerum perveſtigatione conſumto, pleraq; ignorarit. Helmontij exemplo diſces, utiliſſimũ eſſe hoc ſcire, qvod pauca ſciamus; & pleraqve, qvæ à nobis ſciri neqveant, neceſſariò ignorari.

Anno 1 5 8 0. totius Belgij calamitoſiſſimo, parens meus obijt: Fratrum ac Sororum poſtremus & viliſſimus ego. In ſtudiis enim educabar. Anno autem 1594. curſum Philoſophiæ abſolveram, qvi erat mihi decimus ſeptimus. Itaqve cum ſolam matrem habcrem, videbar Lovaniæ, totus mei juris & arbitrii factus. Quocirca videbam neminem ad examina admitti, niſi tunica talari & cuculla larvatum, qvaſi veſtis doctrinam ſponderet; cœpi cognoſcere, qvod Profeſſores, ab olim, Juve-

ve-

venes, in artibus proponendos, ludibrio exponerent: delirij qvoddam genus in Profeſſoribus, adeoqve in toto mundo admirabar, ut & ſimplicitatem credulitatis Juvenum. Contraxi me in calculum, ut ſaltem meo judicio cognoſcerem, qvantus eſſem Philoſophus; an veritatem, an ſcientiam adeptus, ipſe examinabam. Comperi,me litera inflatum, & velut manducato pomo vetito, plane nudum, præterqvam qvod artificiosè altercari didiceram. Tum prius enotuit mihi, qvod nihil ſcirem, & ſcirem qvod nihili. Sphæra namqve in Phyſicis aliqvid ſcientiæ promittere videbatur, cui idcirco Aſtrolabium, uſum annuli, & theoricas Planetarum adjunxeram; Logiſticem ſimul & Algebram, loco oblectationis, qvoties aliorum lectio tædia adduxerat, colebam: Qvibus elementa Euclidis neſtebam, hancqve doctrinam ſocialem feceram genio meo, eo qvod veritatem contineret, fortuitò autem, ars Cyclognomica Cornelii Gemmæ, velut altera Metaphy-

phyſica in manus venit. Qvæ cum Nicolaum Copernicum unicè commendaret, non deſtiti, donec eundem mihi familiarem feciſſem. Unde didici vanas excentricitates, alium cœlorum gyrum, adeoqve non impenſo tempore dignum, qvidqvid de cœlis magnis laboribus acqviſiſſe præſumebam. Cœpit itaqve vileſcere ſtudium Aſtronomicum penes me, qvod parum certitudinis ac veritatis polliceretur, inania verò plurima. Peracto ergo curſu, cum nihil ſolidi, nihil veri ſcirem; titulum Magiſtri artium recuſavi; nolens ut mecum morionem Profeſſores agerent, Magiſtrum ſeptem artium declararent, qvi nondum eſſem diſcipulus. Qværens itaqve veritatem & ſcientiam, non autem apparentiam, me ſcholis ſubduxi. Canonicatus opimus mihi promittebatur, modò Theologiæ me emanciparem; ſed deterrebat me S. Bernardus, qvod peccata populi comederem. Rogavi autem Dominum JESUM, me dignaretur eò vocare, ubi maximè ipſi

pla-

placerem. Annus enim erat, qvo Jeſuitæ Lovanij cœperant docere Philoſophiam, Rege, Proceribus, & Univerſitate invitis, idqve cum illis à Clemente VIII. vetitum eſſet, diſcipuli verò illorum ad gradum aſpirantes, ad Pædagogia confluxiſſent, cæteros verò ac ditiores, plauſibili ſtudio alliciebant Geographico: alterqve Profeſſorum Martinus del Rio, qvi prius Judex Turmæ Hiſpanicæ, ac dein in Senatu Brabantico ſeſſus, ad Societatem allectus, confluxerat, Diſqviſitiones Magicas exponebat. Utramqve lectionem ſuſcepi avidè. Ac tandem pro meſſe, ſolas ſtipulas inanes rapſodiaqve pauperrima collegi, judicio privatus. Interim ne hora abſqve fruge evaneſceret, trivi L. Annæum Senecam, qvi mihi impensè placuit, ac præſertim Epictetus. Videbar itaqve in Morali Philoſophia veritatis ſuccum reperiſſe: Statim dein cogitavi, hanc eſſe, pro qva Pythagoras tot annorum ſtricta exigeret ſilentia, judicium excellens ac propterea obedientiam

tiam inſignem. Tandem paucis mutatis, videbam Capuccinum eſſe Stoicum Chriſtianum. Arriſit qvidem ſtudium pro æternitate: Sed pro tanta auſteritate, obſtabat valetudo tenerior. Oravi Principem vitæ aliqvoties, vires daret, qvibus nudam veritatem contemplarer, immediateqve amarem; auxit hoc mihi deſiderium Thomas à Kempis, ac deinde Taulerus. Cumqve per Stoiciſmum me proficere in perfectione Chriſtiana præſumerem, & certò fiderem, tandem poſt aliqvalem in iſto exercitio moram & fatigationem, incidi in ſomnium. Videbar factus Bulla inanis, cujus diameter, à terra, in cœlum uſqve vergeret: Supernè enim eminebat Sarcophagus, infernè verò, loco terræ, abyſſus erat obſcuritatis, horrui immenſum, ſimulqve excidi extra omnem rerũ meiq; notitiam. Ad me verò rediens, intellexi unico conceptu: Qvod in CHRISTO JESU vivimus, movemur, & ſumus. Qvod nemo vel nomen JESU ad ſalutem dice-

re, ſine peculiari gratia DEI poſſit. Qvod continuò orandum ſit, *Et ne nos inducas in tentationem*, &c. Datus eſt mihi nimirum intellectus, qvod ſine peculiari gratia, ad qvaslibet actiones, non niſi peccatum nos exſpectet. Quo conſpecto & ſaporabiliter cognito, admiratus ſum priores meas ignorantias; & cognovi, qvod Stoiciſmus me, inanem & tumidam belluam, inter abyſſum inferni & mortis imminentis neceſſitatem, detineret. Cognovi inqvam hoc ſtudio, ſpecie mediocritatis fieri me arrogantiſſimum: qvaſi libertatis arbitrij fretus, gratiæ divinæ renunciarem, ac qvaſi qvæ vellemus per noſmetipſos efficeremus. Abſit tale nefas, dixi. Qvapropter iſtam blaſphemiam, Paganiſmo qvidem indulgendam; at Chriſtianum dedecere, adeoqve Philoſophiam Stoicam, hoc titulo, odibilem cenſui. Interim cum nimia rerum aliarum lectione, tædio afficerer, ac fatigarer, recreationis ergò, Matthiolum ac Dioſcoridem volvebam, ducens mecum, nil mortali-

talibus æqve neceſſarium, qvàm DEI gratiam, in vegetabilibus admirando, propriis miniſtrare neceſſitatibus, fructusqve eorundem carpere. Mox dein comperi, à diebus Dioſcoridis nil artem herbariam increviſſe; qvin imò hodie ab ipſo traditis herbarum iconibus, nominibus atqve faciebus plantarum, utrimqve duntaxat diſputari: nil verò virtutum proprietatum ac uſuum, eſſe adjectum priori inventioni atqve hiſtoriis. Præterqvam qvod poſteri confinxerint gradus qvalitatum elementarium, qvibus tota herbæ craſis tribuenda eſt. At cū ducentas fortè herbas, unius qvalitatis & gradus, diverſas habere proprietates comperiſſem, atqve aliqvot diverſarum qvalitatum ac graduum, ſymphoniam (puta in potionibus vulnerariis) habere in productione ejuſdem effectus, cœpere mecum vileſcere, non qvidem herbæ, ſed ipſi herbarij: cumqve cauſam inſtabilitatis effectuum, tantæqve obſcuritatis, in applicando, ac medendo mirarer: Inqviſivi, num

eſſet liber aliqvis, tradens axiomata & regulas Medicinæ? Rebar namqve Medicinam doceri, ac per diſciplinam tradi poſſe, inſtar artium & ſcientiarum, adeoqve eſſe traditivam: Non autem, qvod eſſet merum donum. Saltem cum Medicina ſit ſcientia, donum bonum deſcendens à Patre luminum, cogitabam, qvod haberet ſua theoremata, ſuosqve principes Autores, ſcientiâ infuſâ inſtructos, qvibus tanqvam Beſaliel & Ooliab, Spiritus Domini inſpiraſſet morborum omnium cauſas, & cognitionem, ſimulqve ſcientiam proprietatum rerum. Cogitabam itaqve, hos illuſtratos, eſſe anteſignanos Profeſſores medendi. Inqviſivi inqvam, annon eſſet alter, qvi deſcripſiſſet vegetabilium dona, proprietates, applicationes & convenientias, ab Hyſſopo uſqve ad Cedrum Libani? Reſpondit mihi Profeſſor qvidam Medicinæ nihil horum in Galeno vel Avicenna deſiderari poſſe. At cum non eſſem credulus, nec apud ſcriptores reperirem certitudinem qvæſitam,

Digitized by Google

tam, illam ſuſpicatus ſuam juxta veritatem, qvod dator Medicinæ maneret continuus ejuſdem diſpenſator. Itaqve anxius, & incertus, cui profeſſioni me reſignarem, reſpexi ad populi mores, leges, ac Principum placita; vidi jus eſſe traditiones humanas, incertas proinde, inſtabiles, & veritatis expertes: Qvippe qvod in humanis nulla eſſet ſtabilitas, nullaq; ſcientiæ medulla, videbar inutilem vitam tranſigere, ſi in placitis hominum illam traducerem. Cognovi deniq;, me ipſius gubernationem mihi ſat fore difficilem, judicium verò de bonis, ac vitâ aliorum, eſſe obſcurum, & mille ſpinis obnoxium. Qvapropter prorſus ſtudium Juris, aliorumqve regimen, abnegavi. Ex altera parte inſtabat vitæ humanæ ærumna, & DEI voluntas, qvâ qviſqve ſe tueri debet, qvàm poteſt longiſſimè: Propendebam autem ſingulari aviditate, in rerum placidiſſimam naturalium cognitionem: & prout anima, ſerva advenit ſuis inclinationibus, omninò in ſcien-

tiam naturalium, inſenſibiliter lapſus ſum. Legi itaqve Inſtitutiones Fuchſii & Fernelii, qvibus totam medendi ſcientiam velut per epitomen, me inſpexiſſe cognovi & ſubriſi mecum. Siccine ſcientia medendi traditur, abſqve theoremate & Doctore, qvi ex adepto medendi donum hauſerit? Itaqve tota naturalium proprietatum hiſtoria clauditur qvalitatibus elementariis? Itaqve legi opera Galeni bis, ſemel Hippocratem (cujus Aphoriſmos penè memoriter didici,) totumqve Avicennam, & tàm Græcos, Arabes, qvàm modernos forte ſexcentos ſeriò, & attentè perlegi, ac per locos communes annotans, qvidqvid ſingulare mihi in ijs, & calamo dignum videretur. Tandem collectam ſuppellectilem relegens, cognovi meam egeſtatem, piguitqve me inſumpti laboris atqve annorum. Cum ſcilicet libros omnes, eandem cum inſtitutionibus cantilenam canentes, animadverterem ſolidi nihil, nihil qvod ſcientiam veritatis, aut veritatem ſcientiæ

tiæ ſponderet. Interim vel ab initio comparaveram à mercatore omnia ſimplicia, ut tantillum ſingulorum penes me ſervarem, deinde ab Amanuenſe officinarum; ſive ſimplicium collectore, habui omnes plantas uſuales patriæ noſtræ: Sicqve plurium cognitionem, per vultum eorundem didici. Simulqve perpendi mecum, qvod faciem qvidem ſimplicium, & nomina agnoſcerem: nihil minus autem, qvam eorundem proprietates. Volui itaqve comitari practicantem Medicum; mox inſufficientiæ, incertitudinis, & conjecturarum medendi, me etiam atqve etiam pœnituit. Noveram qvidem problematicè diſputare de qvovis morbo; at ne dolorem qvidem dentium, radicitus curare ſciebam, vel ſcabiem. Vidi deniqve febres, morboſqve obvios, nec certò, nec ſcienter, nec tuto curari; Graviores autem & qvi non ſpontè ceſſant, plerumqve incurabilium in catalogum deſtitui. Subiit mihi tum in mentem, qvod ars medendi inven-

tum eſſet impoſtura plenum, citra qvod Romani feliciter qvingentos egerant annos. Reputavi, artem medendi Græcorum falſam eſſe: remedia verò ipſa, aliqvot velut experimenta, juvare abſqve methodo non min⁹ qvam qvod eadē remedia cum methodo pleroſq; fallerent. Utrobiq;, canonū medendi, in complexionum diverſitatibus fundatorum; fallaciam, atqve incertitudinem deprehendens, dixi corde meo, bone DEUS! qvouſqve eris mortalibus ſuccenſus? qvi hactenus ne unam qvidem veritatem, medendo tuis Scholis recluſiſti? qvouſqve populo te confitenti, veritatem denegabis? hiſce diebus pluſqvam præteritis neceſſariam? At tibi placet holocauſtum Moloch? vis tibi vitas pauperum, viduarum & pupillorum, ſub miſerrima morborum incurabilium tortura, & deſperatione conſecrari? qvomodo ergò non ceſſas, tot familias perdere, per medentium incertitudinem & ignorantiam? Concidi in faciem, & dixi: Domine ignoſce: Si favor in proximum, me extra limites abripuit. Condo-

dona, condona Domine, indiſcretæ charitati meæ: nam tu es radicale bonum ipſiuſmet bonitatis. Noſti ſuſpiria mea, & qvod fatear, qvod nihil ſim; ſciam, valeam, poſſim, & habeam, ſim egenus, nudus, vacuus, inanis: Da, Domine, da Scientiam creaturæ, ut creaturam tuam intimè noſcat, ſe primum, cætera præter ſe, propter mandatum tuum charitatis, ultimò in te, omnia, & ſuper omnia. Qvod cum à multo tædio, & animi fatigatione, intensè oraſſem, fortè in ſomnium deductus ſum, & vidi totum univerſum, in conſpectu veritatis, tanqvam aliqvod informe chaos, qvod merum pene nihil eſſet. Et hauſi inde conceptum unius verbi, qvi ſignificabat, mihi qvæ ſeqvuntur: Ecce tu, & qvæ vides, ſunt nil; qvidqvid agas, minus qvam ipſum nihilum, in conſpectu altiſſimi. Ipſe ſcit fines omnes rerum agendarum, tu tuæ ſaluti ſaltem intendas. Imò in iſto conceptu erat præceptum intrinſecum, qvod fierem Medicus, & qvod mihi daretur qvando-

qve ipſum Raphael. Actutum ergò, ac deinceps per triginta ſolidos annos, ſubſeqventesqve ordine noctes laboravi, meis impenſis ac vitæ detrimentis, ut vegetabilium, & mineralium naturas, atq; proprietatum cognitiones, adipiſcerer: Interim non ſine oratione, lectione, ſcrutinio rerum, errorum meorum trutina, & experientiis diurnalibus conſcriptis vixi. Tandem cum Salomone cognovi, me fruſtra adhuc plerumqve ſpiritum meum torſiſſe, vanamqve eſſe ſcientiam omnium, qvæ ſub Sole ſunt, vanas CURIOSITATUM INDAGATIONES. Et qvem Dominus JESUS vocaverit ad ſapientiam, ille, & non alius venturus eſt. Imò qvi ad faſtigium pervenerit, minimum adhuc poterit, niſi Domini favor benignus affulſerit. En, ſic adolevi, factus Vir, & nunc qvoqve ſenex inutilis, & ingratus DEO, cui omnis honor.

* * *

COM-

COMMONEFATIONIS XXIIX.

APPENDIX ALTERA,

DE LITERATIS, EX FUNCTIONUM PUBLICARUM TEMERARIA MUTATIONE INFELICIBUS.

CUm omnigena Vitiorum, Literatos Homines infamantium colluvies, è NOXIA CURIOSITATE, tanqvam univerſali malorum genitrice proveniat, mirum adeò non eſt, qvod etiam funeſtam ſuam originem inde trahat, Viroſqve doctrinâ exqviſitiori conſpicuos, graviter qvandoqve infeſtet BONORUM PRÆSENTIUM FASTIDIUM, eoſdemqve pro impudentia ſua freqventiſſimè ſollicitet, ne ſtatu & conditione præſentaneâ velint eſſe contenti; qvo fit, ut alia ſubinde atqve alia loca & officia appetant atqve conſectentur, qvin imò turpi ejuſmodi tædio præſentis ſtatûs affecti detentiqve, calamitates graviſſimas incurrant, meliores conditiones in deteriores commutent, qvinimò ad ſyrtes & ſcopulos periculoſiſſimos, non rarò naves ſuas adfligant, donec extremæ tandem tradantur internecioni. Et qvod *multis hominibus difficilimum eſſe* Iſocrates enunciavit, ſc. *non appetere majora, ſed in præſenti fortuna acqvieſcere*; id Literatos

Iſocrat. Orat. de pace.

aliàs

aliàs eximios peſſimè non raró faſcinavit, pariter ac de felicitatis ſuę ſede miſerè deturbavit. *Multi enim* [addit idē notanter] *præſenti conditione & ſtatu contenti eſſe non poſſunt, & ſubinde alia majora appetunt, qvibus ſibi & aliis perniciem accerſunt.* Nimirum haud abſimiles illi, Æſopico aſino evadunt, conditionem ſuam in deteriorem commutantes, neqve ſua [ut Sophocles ait] bona agnoſcentes, priusqvam amittant, poſtea autem enixè deſiderantes amiſſa. Nec aliunde, explorata illa eruditorum qvorundam vanitas originem trahit, qvam ex fœtulento illo malorum & calamitatum omnium fonte, PHILAUTIA ſcil. ſive præpoſtero damnificoqve Amore proprio, haud raró doctiſſimos etiam homines eò impellente, ut ſemper plus de ſe, qvam in veritate ſit, opinentur, majora & ampliora vehementer deſiderent, nec ſuâ ſorte unqvam vivere velint contenti. Plebeos ſæpè videmus, divitiis (vel à patre uſurario, vel aliàs impio & injuſto conqviſitis) elatiores, ad majora ſubinde honorum tendere faſtigia, nobilium ambire titulum, atq; inanibus nominibus, illuſtris cujuſpiam progeniei induere perſonas. Haud levior præſumtio, Viros qvandoqve occupat doctrinâ & literis excultiores, ut rebus ſecundis vix ullum conſtituendum putent terminum, neqve finem pudendis cupiditatibus ſuis imponant.

Hinc

Digitized by Google

Hinc & infrunitæ viperæqve AMBITIONIS genimen haud abs re appellaveris temerarias illas ſtationum publicarum, functionumqve literariarum mutationes, cum nonniſi illa urgente, ſortem ſuam infeliciſſimi qvidam literati ducant immutandam, nec rarò inde ruinam omnium triſtiſſimam incurrant, igni à nobis alibi comparati, qvi qvo altius adſcendit, & ad celſiora nititur, eò citius ſæpe extingvitur. Qvam multos ambitionis ejuſmodi æſtus, & cupido gloriæ omnibus affectibus potentior, ita tranſverſos egit, ut ampliores honores qvæſiverint, etiam cum notabili aliorum bonorum, tranqvillitatis cumprimis & exiſtimationis ſuæ detrimento. Parco illuſtrium qvorundam literatorum nominibus qvi haudqvaqvam de felicitatis ſuæ ſolio dejecti atqve deturbati fuiſſent, ſi alio ſub Sole calentes, fluxas tamen & inconſtantes dignitates, minori animi fervore fuiſſent conſectati, & experientiâ edocti, magis ab inani mundanorum gloriâ abhorruiſſent. Sanior utiqve mens ætate noſtrâ inſedit doctiſſimo Viro EDONI NEUHUSIO, cui cum Reip. Groningenſis Proceres ampliſſimas dignitates ſponte obtuliſſent, forti animo eas duxit rejiciendas, atqve humiliorem longè ſpartam Leovardiæ ad finem vitæ uſq; exornare conſtituit. Sed & Cl. SALMASIUS in eo Literati prudentioris documentum dedit, qvod nullum

Confer Coment. VII. de Ambit. liter. p. 801.

Confer vitam Neuh. edit. à doctiſſ. Witten. Dec. V. Philoſ. p. 65.

lum Gallicanorum Procerum [emigrationem ejus ex Belgio honorificis admodum conditionibus propoſitis poſtulantium] deſideriis locum apud ſe conceſſerit, atqve in commodiſſima ſuâ ſede Lugduno-Batavâ dies vitæ reliqvos conſumere decreverit. *Præ ceteris ille in Cardinale Richelio liberalem in ſe notarat affectum. Nam ſi Larem in Gallia figeret, ſtipendium duplo majus, qvam in Belgio caperet, ſpondebat, ſolutionem certam & promptam; addebat, nihil exigi laboris, ſolam ipſius in Gallia præſentiam deſiderari. His & Regis & Cardinalis ſollicitationibus ut ſe ſubduceret, in Burgundiam iter maturavit, de paterna hæreditate cum Germanis tranſacturus. Divione dum moratur, anno 1642. ad finem decurrente, Richelius ex humanis abit. Rex Ludovicus XIII. ſeqventis anni vere imperium vitamqve ponit. Tantis nominibus extinctis, jam de libertate ſua retinenda ſecurior, anno 1643. Lutetiam revertebatur. Ibi vero peculiarem in ſe propenſionem, qvam cum Richelio ſepultam credebat, in ipſius ſucceſſore Cardinale Mazarino reviviſcere intelligebat. Quare ut tam forti ſe ambitioni ſubtraheret, confeſtim eodem anno in Bataviam rediit. Lugdunenſes Conſules, ut reduci magis gratum ſtabilemqve conſtituerent Larem ipſam principalem arcem in civitate ſuâ conceſſerunt habitandam. Paulo poſt de Salmaſio in Galliam reducendo cum alii tum imprimis*

Confer vit. Salmaſii à M. Hākio ſcript apud eundem Witten, l.c. pag. 114. 115.

mis Mazarinus cogitabant. Sed irrito ſemper ſucceſſu &c. Noxam qvippe mutationum omnium Salmaſius planiſſimè habebat perſpectam, eaqvepropter cunctas Gallorum, ſeſe expetentium blanditias duxit repudiandas. O qvam præclarè cum Viris qvibuſdam doctrinâ eminentiori celebratiſſimis actum huc uſqve fuiſſet, ſi pari conſtantiâ honores alibi oblatos rejeciſſent, & ſorte ſua præſentaneâ magis vixiſſent contenti! Qvamprimum verò extraneas vocationes non ſolum lubentes admiſère, verū etiam per ſumā imprudentiam ambivere ipſi, accidit non rarò, ut calamitatum graviſſimarum funibus inde fuerint conſtricti, totoqve vitæ reſiduæ ſpatio miſerrimam ſervitutem ſubire debuerint. Cum non rarò officiorum mutationes malè etiam illis ceſſerint, qvi urgente neceſſitate peregrinas regiones duxère adeundas; qvemadmodum conſtat Martinum Bucerum cum Paulo Fagio ad Anglos uſqve delatos, diutius vitam haud produxiſſe, ſed ob novi cæli intemperiem (ut Pantaleon notanter ſcribit) in graviſſimum morbum incidiſſe, riviſqve humorum à capite defluentium fuiſſe extinctos; Nemo facilè mirabitur, graviores atqve moleſtiores temeritatis ſuæ pœnas eos utplurimum literatos dediſſe, qvi nulla urgente neceſſitate, ſed ſolâ ambitione incitante, ſuas (licet honorificas valdè & fructuoſas fun-

Pantal. proſopograph. p. III. pag. 239.

functiones) deſeruerunt. Utinam infeliciſſimum qvandoq; ſalutis naufragium in mortis umbrâ illi non pati neceſſum habuerint, qvi periculoſiſſimarum mutationum tempeſtatibus culpâ ſuâ fuêre expoſiti, qvinimò honorum æqve ac bonorum, ipſiusqve vitæ citius decurtatæ jacturam luctuoſiſſimam ſubiêre. Dum arduo nimis volatu aqvilæ iſtæ nubes verberare præſumſerunt, freqventiſſimè accidit, ut inter eas penitus evanuerint. Non mirum profectò, qvod maximis illi utplurimum difficultatibus impliciti, & æmulorum ſannis ludibriisqve ob irritos conatus, gravesqve fortunæ illuſiones fuerint objecti. Idem illis accidere dixeris, qvod cani Æſopico, imaginario panis fruſto inhianti, & qvod mordicus tenebat, infeliciter amittenti. Tantum profectò abeſt, ut ſtolidiores illi literiones, bonis ſuis jucundè fruantur, & optato gaudeant laborum jam exantlatorum fructu, ut potius iisdem propter cupiditatem ſuam inſatiabilem priventur, & melioribus ſolidioribusqve bonis, qvæ tenuerunt aliqvamdiu, miſerè excidant. Prudenter Demoſthenes olim ſuos cives ad majora & ampliora adſpirantes, ſuâq; ſorte neutiqvam contentos, hunc in modum compellavit: *Cum duo ſint commoda in tota vitâ humanâ, unum qvod maximum atqve præcipuum eſt, fortuna proſpera; alterum, hoc illud qvidem inferius*

vius, ſed inter catera maximum, conſilii boni, non ſolet utriuſqve ſimul copia contingere hominibus; neqve qviſqvam rebus ſecundis terminum ſibi conſtituit; neqve finem imponit cupiditatibus acqvirendi plura. Itaqve permulti ſepenumero DUM MAJORA CONCUPISCUNT, EA QUÆ JAM OBTINEBANT, AMISERUNT. Hoc ſi ad animum ſibi etiam atqve etiam revocarent infelices illi literati monitum, à noxio præſentiū bonorum faſtidio providè abſtinerent, neqve cupiditate conſeqvendi ampliora, ardua qvæq; aggrederentur, unde irreparabilia ſibi damna plurimi ingenerant.

COM-

COMMONEFACTIO XXIX.

ÆSTUS INGENIORUM TEMPERATUS,

SIVE

DESIDERII SCIENDI INSATIABILIS ET NOXII CHRISTIANA REFROENATIO.

Ad Comment. IX. num. IX.

I.

FErunt PERRONUM, illum celeberrimi apud Gallos nominis Cardinalem, in excerptis ſuis rarioribus, à Puteanis fratribus ſtudioſiſſimè aſſervatis, eos potiſſimum Literatos INEELICIUM albo inſeruiſſe, ac PERDITIS INGENIIS accenſuiſſe, qvi uni alicui è ſex iſtis invigilent, ac operam navent diligentiorem, videl. *Quadraturæ circuli, multiplicationi Cubi, perpetuo mobili, lapidis qvem vocant philoſophici præparationi, Aſtrologiæ divinatrici, & Magiæ*, qvod illa omnia hominem ſibi ipſi qvaſi furentur, & judicii

 dicii

Digitized by Google

dicii vim peſſimè infringant, qvæ magis in rerum utilium tractatione perficiatur. Plura his addere Perronus potuiſſet, infructuoſæ CURIOSITATIS crepundia, qvibus puerilem in morem non pauci ſeſe omni ævo oblectant Literati, neqve à veritatis ſulco aberraſſet, ſi nullos non malè-curioſos, & intemperantes ſtudiorum profanorum tractatores, PERDITORUM ingeniorum ſyllabo duxiſſet adjiciendos. Hos inſatiabili illi Orbis domitori Alexandro haud abſimiles dicas; ſicut enim ille inſanâ dominandi libidine tantoperè laboravit, ut plures ſibi Mundos dari poſtularit, ita haud minori ſciendi deſiderio curioſi illi exardeſcere videntur, qvi vix ullâ doctiſſimarum lucubrationum lectione, nullâ ſolertiſſimarum diſputationum auditione, non aſſiduâ plurimarum rerum meditatione contenti, nec in definitis à Naturâ Scientiæ humanæ terminis acqvieſcendum eſſe arbitrantur. Qvidni, (reponent æſtuantes illi animi,) immensâ ſciendi cupiditate vehementius incendamur, eâqve in re omne vitæ noſtræ tempus, & induſtriæ ſummæ vires collocemus, cum naturâ mentibus mortalium inſatiabilis qvædam ſcientiæ cupiditas ſit indita, qvæ perficere conditionis noſtræ dignitatem, & reſtituere divinæ imaginis integritatem, & præſtare perpetuam LITERATO Homini felicitatem creditur. Si damnificis

umbrarum gentilium tenebris obnuptus Socrates, ſcientiam, unicum certiſſimumqve hominis bonum; inſcitiam verò malum unicum eſſe ſtatuit, Virumq; doctrinâ excultum, pulcherrimum in terris animal duxit appellandum; ſi Ariſtippus *ſatius mendicum fieri* reputavit, *qvam indoctum: qvod ille tantum pecuniis egeat, hic verò etiam humanitate*; nec minus ipſe Diogenes, interſtitiū ingens qvod inter doctos indoctosq; reperitur, expendens, hos graviſſima terræ pondera nuncupare non dubitavit: Qvis obſecro nobis (ſanctioribus qvippe imbutis dogmatibus) vertat vitio, ſi ampliori ſcientiæ multijugæ apparatu delectemur, ejuſqve boni amore flagremus, qvod nos ad divinæ mentis conformatos ſimilitudinem, propinqvâ illi adſtringit cognatione. Non eqvidem felicitatem humanam, ut Epicuri de grege porci, corporis voluptate, aut opum honorumqve magnitudine, ſed abundante potius plurimarum rerum cognitione metimur, inexplebilem SCIENDI cupiditatem ac famam profeſſi, qvinimò honeſtiſſimâ illâ, h. e. literaria exercitatione ita faſcinamur, ut nos nec inopia, (ad Cleanthis exemplum,) nec aſpera objurgationum verba, aut fuſtium etiam intentata verbera inhibere poſſint, qvo minus venerabile doctrinæ abſtruſioris ſacrarium freqventemus, ſtrictos etiam ſupra caput gladios, ut Archimedes, & ſu-

Apud Eraſmū, l. 3. Apoph.

Laertius l. 2. c. 8.

Maxim. Serm. XVII.

prema victorum imperia negligentes. Utinam parem nobiſcum in excolendis diſciplinis diligentiam omnes adhiberent, aut priſcos illos ſcientiæ multijugæ procos (qvos nec ullæ ſumptuum impenſæ, nec capiendæ cognitionis difficultates, nec valetudinis jactura, nec longinqva exilia, aut periculoſæ ad Chaldæos & Indos peregrinationes, à diſcendi ſtudio avocare potuerunt) imitarentur, brevi tunc ex hominum conſortio peſtilens illa & ſummè deteſtabilis res, IGNORANTIA ſcil. demigraret.

II. Enimverò, meritiſſimo jure Heluonibus iſtis Literariis indeptum adamatæ doctrinæ theſaurum gratularemur, ſi in extremo deficientis vitæ exitu ipſis Scientia profana longo ſtudio, & indefatigabili operâ conqviſita, perpetuæ & immarceſſibilis felicitatis characterem conferre poſſet, atqve tot celebres ac illuſtres Reip. Literariæ Proceres, ſcientiæ illæ INFLANTES exitiali ſuâ cupiditate non ita dementaſſent, ut à veræ & ſummæ proſperitatis ſcopo longiſſimè aberrarint, & facili deſcenſu abiverint ad plures farinæ ejuſce philoſophos, qvi tum demũ ſuum agnovêre periculum, cum jam ceciderunt, atqve cum Thalete illo Mileſio aſtrorum curſus perpendentes, nullaſqve non rimantes literarias amœnitates, in damnationis æternæ puteum fuerunt deturbati. Eſt eqvidem

nobis Scientia etiam ſecularis [uti vocatur] valdè neceſſaria, ad inſtar Solaris luminis, ne omninò cæcutiamus, hoc tamen ipſumSolare lumen, qvod nos omnia videre facit, interdum etiam excæcat, ſicuti eadem cos, qvæ novaculam acuit, ejus aciem, indebitè ſibi applicatam, obtundit. Egregiè admodum eundem in ſenſum B. Hilarius; *Sicut Sol* (inqvit) *ita videndus eſt, ut poſſit videri, tantuſqve excipiendus lumine eſt, qvantus admittitur, ne ſi plus velimus ſpectare, minus qvoqve qvam poſſumus, conſeqvamur; Ita & ratio cœleſtis in tantum intelligenda eſt, in qvantum ſe permittit intelligi; in tantum expetenda eſt, in qvantum apprehendendam ſe dedit; ne ſi contenti indulgentiæ moderatione non ſumus, amittamus indulta.* Haud abs re Lactantius, cum inſignem illam Platonis in Timæo ſententiam laudibus condignis celebraſſet: *Majeſtas DEI tanta eſt, ut nec mente comprehendi, nec lingvâ exprimi poſſit*; gravem præſumtuoſis illis literatis ſcribit dicam, qvi in divinæ etiam Sapientiæ arcana & ſacraria ſeſe intromittentes, ſpiſſas extremæ ignorantiæ tenebras incurrunt; *Sunt enim* (ait notanter) *tam ſtulti in aſſeverando, qvam improbi in qværendo, cum neqve invenire qvicqvam poſſint, nec defendere, etiamſi invenerint; nam ſi verum vel fortuitò viderint, qvod ſæpius contingit, committunt ut ab aliis id pro falſo refellatur.*

Hilar. l. X. de Trin.

Lact. lib. de falſ. ſap. c. 20.

latur. Non enim deſcendit aliqvis de cœlo, qvi ſententiam de ſingulorum opinionibus ferat. Qvapropter nemo dubitaverit eos, qvi iſta inqvirunt, ſtultos, ineptos, inſanos eſſe. Caveant ſibi ab infami & pudendo hoc ſtigmate, ſinceræ cultores eruditionis, nec abſtruſarum rerum indagationi, curâ tam ſollicitâ invigilent, neqve inconceſſa ſcrutari inducant in animũ. Audiant obſecro, qvomodo ſuprema Sapientia apud Thomam de Kempis, nimiam qvorundã curioſitatem incuſet, & manifeſtæ convincat fatuitatis: *Qvidam non ſincerè corã me ambulant, ſed qvâdam* CURIOSITATE *&* ARROGANTIA *ducti, ſe & ſuam negligunt ſalutem, hi ſæpè in magnas tentationes & peccata propter ſuperbiam & curioſitatem ſuam, me eis adverſante labuntur.* *Lib. III. de Imit. Chriſti c. 4.* Sanè cum profundior profuſiorqve eruditio, utplurimum faſtum ſive ſuperbiam præſumtuoſam habeat finitimam & contubernalem, veroqve ac genuino Theoſophorum charactere (humilitate ſcil. ſinceráq; animi demiſſione) ſcioli illi freqventiſſimè deſtituantur; hinc eſt, qvod laudem iṁortalem, & honorificum in piè doctorum cœtu locum non niſi illi Literati ſint conſecuturi, qvi de ponendis exorbitanti ſcientiæ limitibus etiam atqve etiam fuerint ſolliciti: cum ex adverſo vani illi, male-curioſi, faſtuqve penitus occæcati literiones, in ſempiternæ perditionis abyſſum juſtiſſimo Dei ju-

August. lib. 7. Conf. c. 9.

dicio tandē aliqvādo ſint deſcenſuri. *Qvi enim* (inqvit Magnus Aurelius) *cothurno tanqvam doctrinæ ſublimioris elati, non audiunt dicentem: Diſcite à me, qvoniam mitis ſum, & humilis corde, & invenietis reqviem animabus veſtris; &, ſi cognoſcunt DEUM, non ſicut DEUM glorificant, aut gratias agunt, ſed evaneſcunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratur inſipiens cor eorum, dicentes ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt, & cum Lucifero, vanè ſuum exaltante ſolium, cadunt in profundum laci.* Siqve extremæ ejuſce infelicitatis alea, Literatis immenſo SCIENTIÆ abſtruſioris deſiderio æſtuantibus neutiqvā eſſet ſubeunda; vel ſola tamen INFINITAS, & nunqvam exhaurienda qvantovis labore immenſitas objectorum, infrunitum illum ſciendi impetum apud illos retundere, & irruentem qvaſi cataclyſmum cohibere deberet. Sanè cum ſcientiæ puteus ſit inexhauſtibilis, humaniqve intellectûs acies, omne qvod entis rationem habet pervadere neqveat, neceſſe eſt, famem illam ſciendi ſemper manere inſatiatam. Id qvod ſcitè admodum Philo (puteum illum juramenti, à qvo digreſſum Jacobum Scriptura memorat illuſtraturus) explicavit; *Mihi* [inqvit] *videtur hic puteus ſignificare SCIENTIAM, qva ſuapte natura in profundo ſita eſt, non in ſuperficie, nec in propatulo ſolet eſſe, ſed in abdito; nec facilè, ſed vix multo labore inveni-*

Philo init. lib. de ſomnijs circa init.

Digitized by Google

venitur: Id qvod videmus, non ſolum in magnas obſcuraſq; comtemplationes habentibus, verum etiam in viliſſimis. Elige qvamcunqve libet artem, non eximiam inqvam, ſed omnium obſcuriſſimam, qvam nemo liber in urbe educatus ſponte exerceret, ruri verò vix ſervus, coactus à duro moroſoqve Domino multa facere præter ſententiam. Invenies hanc qvoqve multiplicem, variam, qverulam, difficilem, adverſam pigritiæ, ſocordiæ, negligentiæ, plenam ſtudio curaqve, & laboribus ac ſudoribus. Qvin & aqvam in hoc puteo foſſores inventam negant; qvoniam fines ſcientiarum non ſolum difficiles inventu ſunt, verum etiam nnnqvam inveniuntur - - ſemper plura qvam diſcuntur, ſuperſunt: ut etiam is, qvi ſe putat attigiſſe finem ſcientiæ, ſemiperfectus habeatur ſub alio judice. Qvod ſi ſubeundum ſit ipſius veritatis judicium, adhuc circa principia hærere videbitur. Brevis enim vita, ut qvidam inqvit, ars longa; cujus amplitudinem is optimè cognoſcit, qvi in eam deſcendit profundius, tanqvam puteum fodiens: Qvalis qvidam jam canus, decrepitus, capularis ſenex, illacrymaſſe fertur, non ob ignaviam metumve mortis, ſed SCIENTIÆ DESIDERIO, qvaſi tum primum eam adiret, qvando relinqvenda erat. Viget enim ſemper ad SCIENTIAS anima, cum vires corporis longa ætate marceſcant, & langveant. Et in eundem ſenſum laudatus Phi-

Pilo lib. de plantat. Noë. lo alibi: *Qvi rerum* (inqvit) *naturas ſcrutantur, & ſingulas in diſpoſitionem vocant, magna cum diligentia, ſimiles ſunt PUTEOS FODIENTIBUS: Nam & illi fontes latentes inqvirunt, utriſqve commune eſt deſiderium potus inveniendi, ſed alteris qvo corpus, alteris qvo recreatur anima. Qvemadmodum igitur qvidam foſſores puteorum, qvæſitam aqvam ſæpe non inveniunt; ita qvi ulterius in ſcientiis, & diutius in eis inambulant, non poſſunt finem attingere. Certe admodum doctos ajunt accuſare ſuam magnam ignorantiam. Hoc enim tantum ſentiunt, qvam longe abſint à veritate. Ex his unus olim uſqve ad miraculum ſapiens dicere ſolebat, homines meritò ipſum mirari, qvi hoc tantum ſciret, SCIRE SE NIHIL.* Jam verò, ſi in particulari ſcientiæ noſtræ defectus ad veritatis lancem expenderemus, illam citra dubium ullum undecunqve imperfectam, & à veræ felicitatis metà abhorrentem cerneremus. Qvid exilius atqve abjectius formica? ab ejus tamen naturæ & ſtructuræ intelligentià qvam longè diſtemus, ſcitè admodum adverſus Eunomium oſtendit Baſilius, pariter ut Joh Chryſoſtomus, [refellens Manichæorum dementiam de materia infecta, & Deo coæterna, cum urgeret Manichæus: *Qvomodo ex nihilo aliqvid fieri potuerit*; idqve à nobis intelligi poſſe negaret,] præclarè demonſtravit, *pleraqve à nobis in hâc vita*

Baſil. M. epiſt. CXVIII.

Chryſ. homil. de jejun.

vita perſpici non poſſe; ut qvomodo hominis compages tam multiformis, tantaqve partium & munerum varietate mirabilis, ex una ſimplici ſubſtantia exiſtat: qvomodo panis in ſanguinem, phlegma, fel, bilem, oſſa, carnes, nervos, totqve alias hominis partes mutetur. Qvomodo è terra venis aurum educatur, ex arena vitrum lucidiſſimum fiat, aliaq; ejuſmodi, quæ cum fieri nemo ambigat, qvomodo tamen fiant, neminem facilè penetrare & explicare poſſe, &c.

III. Etſi igitur vix qvicqvam cognitione rerum ſolidiori ſit præſtantius, aut contemplatione divinius, nec ullum ad perficiendam mentem, & ſibi ipſi qvaſi reddendam præſentius remedium inveniatur; in illis tamen ſtudiis ſi debito modo literati neutiqvam verſentur, aut pro veritatis luce ſophiſmatum nebulas (ut ille in fabulis pro Junone nubem) amplectantur, facilè ex inſano illorum amore, pro genuinis ſapientiæ ideis notionum perverſarum Centauros, & chimæras, monſtroſosqve nugarum, & impiorum dogmatum fœtus ſunt ſuſcepturi. Ipſa qvod apprimè notandum, ipſa etiam innoxia ſtudiorum promiſcuorum tractatio, multum intemperantiæ habet adjunctum, dum animus à rerum ſummè neceſſariarum contubernio in ſeipſum vocatus, & qvaſi carcere qvodam detentus, vix unqvam liberos ad negotium pal-

marium afferre valet ſpiritus, qvinimò inextricabilibus qvandoqve involvitur labyrinthis; præſertim ſi ſpretis veſtigiis preſſioribus, per diverticula in ſylvas & tenebras plusqvam Cimmerias dilabatur, umbroſisqve & ſpinoſis dubitationibus ita conſtringatur, detineaturqve, ut nullam omninò menti excolendæ, & ſibi ipſi reddendæ viam rationemq; invenire poſſit. Qvam ſterilibus, Deus bone! & otioſis, æſtuantia illa ingenia incumbunt ſtudiis, qvā triſtem & luctuoſam ſubeunt theſauri omnium pretioſiſſimi, Temporis putà jacturam! qvam ærumnoſis laboribus umbras inſectantur, & venantur fumos, fameqve propemodum enecti, ciborum ſalubrium loco non niſi [velut à Heliogabalo qvodam hoſpite deluſi,] fictilia, lignea, & mormorea fercula, oculos potius, qvam pectora ſaturatura conſeqvuntur! Novos dixeris Domitianos, qvi inter religioſa Muſei ſilentia, non niſi muſcas captant, atqve ſtylo configant, aut Caligulas, inania qvædam conchilia in triumphum ducentes, ut devictum à ſe Oceanum literarium aliis perſvadeant.

IV. Sit nobis in exemplum Curioſus *rerum naturalium* ſcrutator, qvi cunctas cauſarum phyſicarum actiones & affectus eo fine, inveſtigare laborat, ut inde magis arcanos naturæ receſſus rimetur, abditioreſqve ſcrutetur fibras; ſed proh DEUM immortalem! qvam

Digitized by Google

qvam ſpiſſos in illa ipsâ indagatione utplurimum incurrit errores, qvam freqventer oleum perdit cum operâ, atqve (ut modo diximus) fumos venatur mox evaneſcentes. Qvod ſi omne ſtudium ille in eorum authorum evolutione poſuerit, qvi naturam non tam è naturâ, qvam è cerebri ſui anguſtiis depromtam, faſtidioſis commentariis magis intricarunt, qvam explicuerunt; damno ſuo irreparabili tandem ſentire incipiet, qvam ſtultum ſit, unius vel alterius Philoſophi authoritate, cunctas naturæ operationes definire; ſi verò aliam ingrediatur viam, atqve (ut noſtrâ ætate qvidam intemperanter curioſi conſvevêre) ſolis niti velit experientiis propriis, ne ſc. ſi qvid credat authoribus aliis, ſeſe errãdi exponat periculo atq; decipiatur; tunc multò difficiliores, nodos & laqveos inextricabiles infelix ille Dædalus inveniet, nec rigidiſſimis etiam per ignem experimentis, & ſagaciſſimis obſervationibus univerſum Naturæ ſacrariũ expugnabit. Errores, aliis in diſciplinis ex ſciendi intemperantiâ originem trahentes, Viris longè exercitatioribus relinqvo diſcutiendos; qvid, qvod pridem multo ſtudio & labore qvidam illos detexerint. *TEMPORI PARCITE* (dico cum Maximo Seneca) *Non vultis cogitare qvantum temporis vobis auferat mala valetudo, qvantùm occupatio publica, qvantùm occupa-* *Seneca epiſt. 88.*

tio

tio privata, qvantùm ſomnus? metire ætatem tuam, tàm multa non capit. De liberalibus ſtudiis loqvor, Philoſophi qvantùm habent ſupervacui? qvantùm ab uſu recedentis. Et rurſus: *Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit & copioſa diſputationes, qvæ acumen irritum exercent. Tam diu iſtis immorandum eſt, qvamdiu animus nihil majus agere poteſt. Rudimenta ſunt noſtra, non opera. Qvare liberalia ſtudia dicta ſint vides: qvia homine libero digna ſunt. Cæterum unum ſtudium verè liberale eſt, qvod liberum facit; hoc ſtudium ſapientiæ ſublime forte, magnanimum. Cætera puſilla & puerilia ſunt.* Præclarè etiam noſtrâ ætate hanc in rem diſſeruit *Hier. Hirnheimius*, in Tractatu ſæpè nobis laudato de TYPHO GENERIS humani &c. Digniſſima profectò ejus verba ſunt, qvæ legãtur atq; accuratius expendantur: *Qværit* (ſcribit ille) „Eccleſiaſticus? *arenã maris & pluviæ guttas, „& dies ſeculi qvis dinumeravit? altitudinem cœli, & latitudinem terræ & profundum abyſſi qvis dimenſus eſt?* Difficilia ſunt hæc, „& ingenii noſtri viribus omnino inaſſeqvibilia. Optimum eſt, qvòd ea ſcire non teneamur, imò & curioſius indagare prohibeamur. Sunt nihilominus aliqvi, qvi „non tantùm altitudinem cœli, & latitudinem terræ, nec non profundum abyſſi, ſed „etiam ſidereos orbes, ipſumqve cœlum Empy-

Epiſt. 45. Epiſt. 88.

Hirnheim. tract. de Typho Gen. humani, cap. 25.

pyreum uſqve ad ſpatia imaginaria, utinam „ non mentiendo metiuntur, & tanqvam „ arenarum exiſtentium multitudo non ſuffi- „ ceret, aſſignant numerū arenarum, qvæ in „ toto mundo & cœlo uſqve ad concavum „ firmamenti contineri poſſent. Dies qvo- „ qve ſeculi dinumerant, non ſolum præteri- „ tos, ſed etiam futuros, qvos Pater cœleſtis „ in ſua poſuit poteſtate. Satis eſſet hoc to- „ lerabile, ſi divinando, & rationabiliter „ conjecturando ſimilia proponerent, nec „ pro certis firmiter aſſeverarent; cum „ tamen toto, vel dimidio ſaltem cœlo à veri- „ tate ſæpius aberrent. Sed qvidqvid ſit de „ ſimilium veritate ac falſitate, parum ad æter- „ nam ſalutem prodeſt talia ſcire, parū obeſt „ ignorare. Videbimus hæc qvàm optimè in „ cœlis, imò forſitan nec illa videre in cœlo „ affectabimus. Nunc qvamdiu tempus labi- „ tur pretioſum, animum noſtrum rebus & „ qvæſtionibus magis utilibus, ædificatoriis, „ & ſcitu neceſſariis applicare debemus, va- „ nis & otioſis hominibus relinqventes curio- „ ſas hujuſmodi & doctas fabulas, *qvæ qvæ-* „ 1. Tim. 1. *ſtiones præſtant magis, qvàm ædificationem* „ *DEI, qvæ eſt in fide. Finis autem præcepti,* „ & omnis noſtræ doctrinæ *eſt charitas de cor-* „ *de puro & conſcientia bona, & fide non* „ *ficta.* „

Arcet à ſimilibus qvæſtionibus gentium „ Do-

2.*Tim.*2. „ Doctor ſuum Timotheum; *Stultas*, inqviti
„ *& ſine diſciplina qvaſtiones devita, ſciens*
*Epiſt.*56. „ *qvia generant lites.* Similiter Divus Au-
ad Dio- „ guſtinus, increpans Dioſcorum, de ſuper-
ſcorum. „ fluis & curioſis ejuſmodi qvæſtiunculis: *Ego*
„ *vellem*, ait, *te abripere de medio delitioſarum*
„ *inqviſitionum tuarum, & conſtipare inter cu-*
„ *ras meas, ut vel diſceres non eſſe inaniter cu-*
„ *rioſus, vel curioſitatem tuam cibandam at-*
„ *qve nutriendam imponere non auderes eis,*
„ *qvorum inter curas vel maxima cura eſt, re-*
„ *primere ac refrænare curioſos. Qvantò enim*
„ *melius, qvantoqve fructuoſius in literis tem-*
„ *pus atqve opera ad hoc potius impenditur, ut*
„ *reſecentur vanæ atqve fallaces cupiditates*
„ *tuæ, qvæ tantò magis cavendæ ſunt, qvantò*
„ *facilius decipiunt, neſcio qvâ umbra honeſta-*
„ *tis, & liberalium ſtudiorum nomine velatæ at-*
„ *qve palliatæ. Qvoniam ex gratuito Condito-*
„ *ris munere naturaliter inſitum eſt homini ſci-*
Laur. „ *re*, inqvit Laurentius Juſtinianus, *congruum*
Juſtin. „ *profectò eſt, ut fidelis qviſqve velit nedum*
de cont. „ *ſcire, verum etiam prudenter agnoſcere, qvid*
mundi „ *utilius debeat ſciri. Nam & ſæculi negotia-*
*c.*2. „ *tores ſemper invigilant, qvaliter commercia*
„ *ſua utilius agant. Nempe ſcire optimum di-*
„ *xerim, dummodo ſciatur, non qvod curioſita-*
„ *tem paſcat, ſed qvod ordinet vitam, componat*
„ *animum, conſcientiam ædificet, proximoqve*
„ *proficiat?*

Me-

Merentur hîc etiam annotari verba, qvi-„ bus ſuam Naturæ hiſtoriam orditur Euſebius „ Nierembergius, dum ita ſcribit: *Inter angu-„ ſtos vitæ terminos pervagata humana curioſi-„ tas, ipſam perdit vitam dum inutiliter occupat.„ Avidam libidinem ſciendi, qvam puto cupi-„ ditatem maximam, fortaſſe qvod mireris ava-„ ritiâ majorem, ſine delectu alit, qvidqvid „ ignoratum novitatem ſimulat. Et dum ſu-„ perflua diſcit, utilia & neceſſaria omittit.* Et „ infra: *Nos omnia torſimus, in pejus ſemper ver-„ gimus, atqve pruriginem ſciendi natura & „ DEO dicatam, in qvodvis cæci impingimus, „ jam ſtulti, qvia ſcituri, ſcilicet ibi plus igno-„ ramus, dum qværimus non ignorare, dum „ ſcire ſupervacua id eſt inutilia. Non mihi tam „ ſubtilis & acris obtutus eſt, ut inutilem ſcien-„ tiam ab ignorantia diſcernam.* Hanc mor-„ talium dementiam ſub qvadam ſimilitudi-„ ne expreſſit Ludovicus Granatenſis ita ſcri-„ bens: *Miſeratione dignum eſſet, ſi cum in re-„ mota aliqva regione infinita pene vis eſſet la-„ pillorum atque gemmarum, indigenæ autem „ adeò rudes eſſent, ut iis pro vilibus ſaxis in „ ſtructura domorum uterentur. Qvantò er-„ go magis miſerandi ſunt, qvi cum intellectu „ & voluntate, divino munere præditi ſint (qvi-„ bus DEUM contemplari, diligere & divinos „ mores imitari, diviniſq; deliciis paſci poſſent) „ hæc DEI dona ad res viliſſimas atque abjectiſ-„ ſimas*„

In collect. tit. Sapient.

,,*ſimas dejiciunt, & ſiliqvis porcorũ, qvàm di-*
,,*vinis epulis veſci malint? Qvid, qvod tempus*
,,*etiam & vitæ ſpatium [qvo inæſtimabiles,&*
,,*perpetuoqve duraturas divitias ſibi compa-*
,,*rare poterant] in rebus nihili expendunt?*
,,*qvodſi barbari illi & inculti homines miſera-*
,,*tione digni eſſent, tu profectò magis miſeran-*
,,*dus es, qvi res longè præſtantiores ita proteris*
,,*atqve conculcas.*

,, Refert Laertius, qvod cum Plato de Ideis
,,ſuis ſpecificis & genericis diſſereret, atqve
,,in ore haberet menſeitates & cyathitates,
,,Diogenes irridens, ſubtiles ejus nugas dixe-
,,rit: *Menſam & cyathum video, menſeita-*
,,*tem & cyathitatem non video. Ego bibam cya-*
,,*thum, tu bibe cyathitatem.* Qvem qvidem
,,ludens Plato reſpondiſſe legitur: *Non mi-*
,,*rum*, inqvit, *nam oculos habes qvibus cer-*
,,*nuntur menſa ac cyathi, mentem verò non ha-*
,,*bes, qva cernuntur menſeitates & cyathi-*
,,*tates.*

,, Nos, ut pace utriuſqve Philoſophi lo-
,,qvar, nec cyathis ebibendis, nec cyathita-
,,tibus formandis ſtudere debemus; & qvam-
,,vis oculos mentales habeamus, qvibus men-
,,ſeitates & cyathitates cernere poſſimus, non
,,ſunt tamen ad ſimilia curioſè aperiendi &
,,convertendi. Sapientiſſimum eſt illud Ec-
Eccli. 3. ,,cleſiaſtici monitum: Qvæ præcepit tibi
,,DEUS, illa cogita ſemper. *In ſupervacuis*

rebus

Digitized by Google

rebus noli ſcrutari multipliciter, & in pluri- „
bus operibus ejus non eris curioſus. Multi „
ſunt, qvi de univerſalibus cogitant, & qvo- „
modo individua ſua debeant ſalvare obli- „
viſcuntur. De poſſibilibus, imò & impoſſi- „
bilibus diſcurrunt, immemores exiſtentium, „
& futurorum ipſis noviſſimè impendenti- „
um. Inter infinita pericula æternæ ſalutis „
conſtituti, dum seriò eſt agendum, comœ- „
dias ludunt, vana & ridicula, mente ſimul „
& ore tractant. Legimus dictum „
de qvodam Religioſo, curioſarum e- „
juſmodi qvæſtionum & diſputationum „
vanitatibus infecto: *Melius eſt illi ad* „
ſalutem cum devota ſimplicitate orando lege- „
re, Pater noſter, *qvam de tàm ſubtilibus pro-* „
pter vanum mundi nomen ſophiſticè diſputa- „
re. Et rurſus: *Iſte Religioſus loqvax non* „
deſiderat medicinam, qvia ſtercus ſcientiæ va- „
nitatis eſt in ore ejus. Illa igitur potiſſimum „
cogitando, ſtudendo, atqve loqvendo tra- „
ctemus, qvæ ſeria ſunt ac ſolida, & anima- „
bus noſtris poſſunt eſſe medicinalia. Subtilia „
ad æternam ſalutem parum ſunt utilia. „
Qvin & ipſa ſcientiarum Præſes Minerva „
odit ſubtilitates, qva de cauſa *inviſa Palladi* „
eſt aranea. *Qvantum mali facit nimia ſub-* „
tilitas, ait Seneca, *& qvam infeſta eſt veritati;* „ *Epiſt.88.*
addam ego, qvam noxia & pernicioſa. „
Theologus qvò ſubtilior, eò periculoſior. „

„ Juriſtæ nimis acuti, inter fas & nefas non „ diſtingvunt,& æqvum cum iniqvo confun-„ dunt. Medicorum docta nimis & agglo-„ merata *Recipe* exiguos dant effectus. Sim-„ plicibus morbi optimè curantur. Veritas „ deniqve ſimplicitate gaudet. Sophiſticas „ aranearum telas teximus, & acutis magis „ quàm ſolidis hodie delectamur. Non ita fuit „ priorib⁹ ſæculis, qvib⁹ tamen viri doctiſſimi „ & ſapientiſſimi vixerunt. Noſtra illis præ-„ ferre volumus. Verum eſt, qvod ſcientiæ „ noſtræ ſuperent priorum ſeculorum ſcien-„ tias multis qvæſtionibus & elenchis, gry-„ phis & argutiis,non dico tamen *utilibus*, ſed „ *futilibus*.

„ Addam hic adhuc qvædam diſticha,occa-„ ſione duorum anagrammatum, ex nomine „ SCIENTIA confectorum: E CATENIS,& : „ INIS TACE :

„ *Magno ſe paſſim clamore ſcientia prodit,*
„ *Vociferando ſuas vendere qværit opes.*
„ *Tanqvam E fumoſis eſſet potata CATENIS,*
„ *Atq; vaporoſi nectaris hauſta ſcyphis.*
„ *Ora tace ſolitoq; minus doctrina loqvaris,*
„ *Si ſapienter INIS, ſi ſapienter INES.*
„ *Qvi tacet ille ſapit, non is qvi plurima garrit,*
„ *Vas cerebro vacuum denotat eſſe ſonus.*

V. Sit deniqve cunctis omninò Literati Orbis incolis, infrunitum ſciendi deſiderium, vel hoc ſolo nomine ſuſpectum, qvod inge-

nia

nia præſtantiſſima, ad peſſimos qvandoq; au-
ſ[9] abripuerit, ut ſatiandæ inqvietudinis ergò, *Conf. Coment. IX. num. 6.*
tandem nec dæmonis imperium ſubterfuge-
re dubitarint, ſicuti alibi diſertè oſtendimus,
& loco qvodam memorabili inſignis qvidam
ICt[9] edocuit: *Nimia* (ita ſcribit egregiè) Cu-
piditas Occulta Sciendi, *qvæ ipſos primos* *Joh. Georg. Godelmannus, lib. 1. de magis, c. 2. p. m. 19. 20.*
qvoq; parentes decepit, præcipua cauſa eſt, propter qvã Magi ſeſe diabolo obſtringũt. Nec enim qvisqvam ſua ſorte contentus eſt, ſed certatim omnes in DEI arcana penetrare volumus, ejusq; ſummam illam præſcientiam conſecuti nobis videmur, ſi qvædam futura, & aliis adhuc ignota ipſi præſciverimus, hanc vanitatem cum in animis hominum ineſſe videret omnibus ſeculis ſatan, & futura etiam prænoſſe geſtirent homines, iſtam hominum demulcendorum, ſibiq; devinciendorum & conciliandorum occaſionem ſedulò arripuit. Itaqve pollicitus eſt, ſe facilè iis præſtiturum, & effecturum, qvæ ipſi cuperent, daturumqve rerum cognitionem, ſi ſibi parere & obtemperare vellent. Id qvod vani, inſani, curioſiqve homines neqvaqvam renuêre.
Conſimili planè, h. e. impiâ & ſceleratâ curioſitate, avorũ noſtrorũ memoria faſcinatus
Johannes Faustus, dæmonis in ſe imperiũ admiſit, & per annos multos impoſtorem famoſiſſimum egit, tandemqve digniſſimum neqvitiâ ſua præmium reportavit, mortuus ſcil. juxta lectum repertus, inverſâ facie, &

Conf. etiam Bodin. lib. III. de dæmõ c. 2. & 3

domo, nocte præcedenti mediâ graviter qvaſſatâ. Compeſcatur itaqve inſatiabile illud noxiumqve ſciendi, cunctaqve perveſtigandi deſiderium; faceſſant MALE-CURIOSI, ne & ipſi tandem miſerè corruant, ac dæmonis magiſterium, perpetuumqve è Regno cœleſti excidium ſubire cogantur. Deſinant eruditi, intemperantes rerum univerſarum agere ſcrutatores, neqve præſumant intellectûs ſui funiculo rerum ſummè abſtruſarum, ipſorumqve cœleſtium myſteriorum profunditatem metiri. Si deſiderio verè Chriſtiano, verè ſalutari, ſacra arcana penetrandi teneantur, qvinimò ad ipſius cœleſtis ſapientiæ ſacrarium velint intromitti, ſciant precib⁹ piè ac humiliter fuſis divinæ clementiæ januam eſſe pulſandam. *Inveniet* (ait appoſitè D. Bernardus) *pius ejuſmodi pulſator, qvod temerarius ſcrutator invenire non poteſt. Et multò magis* (Auguſtino judice) *inveniet ſiderum Conditorem humilis pietas, qvam ſiderum ordinem ſuperba CURIOSITAS*; vitam deniq; ſuam religioſè ac devotè inſtituant, cujus exacto curriculo, DEUM ipſum à facie ad faciem videbunt, inqve eo cuncta ſapientiæ cæleſtis arcana, clarè ac dilucidè æternùm contuebuntur.

* * *

COM-

COMMONEFACTIO XXX.

SOLERTIA JUGIS,

SIVE

LITERATORUM, INGENIO PARITER AC LABORIOSA SEDULITATE ÆVO NOSTRO MAXIME ILLUSTRIUM

QVADRIGA NOBILISSIMA.

Ad Commentat. IX. n. XVII.

I.

QVæ ad Æstum Ingeniorum concitatiorum temperandum, impetumq; ſciendi nimium & noxium retundendum, ſuperiori Commonefactione ediſſeruimus, neutiqvam eo accipienda ſenſu ſunt, ac ſi inerti Vacunæ litare, & injectâ qvaſi manu, JUGI LITERATORUM HOMINUM SOLERTIÆ moram facere induxiſſemus in animum. Qvæ in o-

mni mortalium genere adprimè culpanda eſt OTIOSITAS, *illa mater nugarum* (ut ſcitè Bernardus vocavit) *& Virtutum noverca*; iis maximè vitanda & cane pejus ac angve fugienda, qvi meliores indies effici debent, aliosqve efficere meliores conantur. Abſit, ut vel laboris tædio, vel metu oblocutionis otiosè deliteſcant, vel qvod turpiſſimum foret, ſomno, ventri, ac libidini vivant literati ad veram adſpirantes felicitatem. Nihil tale ii admittant, qvi eo majora volutant in animo, qvo minus à vanis & noxiis curis agitantur, & *tum maximè ſibi aliisqve LABORANT, qvando* (ut præclarè D. Ambroſius ait) *requieſcendi causâ abducere animum à negotiis* (civilibus ſcil.) *ſolent, & à conventu cœtuqve hominum ſeſe abducere*; nunqvam minus OTIOSI exiſtentes, qvam cùm maximè tales videntur. Et cum planiſſimè ſibi perſvadeant, neminem unqvam inſigniter doctum fuiſſe, qvi non ſimul temporis parciſſimus fuerit, omni ſtudio cavebunt, ne rei longè pretioſiſſimæ jacturam ſubire, aut duriſſimam tandem, culpâ negligentiâqve ſuâ ſervitutem ſervire cogantur. Qvam temporis benè collocandi rationem ALDUM MANUTIUM Seniorem habuiſſe alibi notavimus, eam noſtri qvoqve ævi Viri eruditiſſimi apprimè duxêre obſervandam, ſingulari curâ rei omnium velociſſimæ manus qvaſi injicientes, & neglecti temporis

Ambroſ. lib. III. de offic. c. 1.

Confer Coment. IX. de Curioſ. Literar. n. 17.

poris damna omni virium ſuarum niſu antevertentes. Sicuti cæleſtes globi ad motum proclivitate ſuâ, ſummoqve ad gyrationem impetu feruntur; ita inſito illi conatu, atqve naturali qvâpiam contentione poſteritatis negotium agere, & nomina venturis ſeculis tranſmittere cogitarunt. Qvies mors erat illis, neſciebant conſiſtere, inſtar ſagittæ in medio curſu; ſemper fingebant, formabant, qværebant, educebant, meditabantur aliqva, eademqve nonnunqvam alia facie proferebant, diverſo colore, novo prorſus habitu. Non poſſumus, qvin ex ſplendido Literatorum ævi hujus conſeſſu, BIGAM advocemus GEMINAM, Virorum doctrinâ & literis elegantioribus maximè illuſtrium, qvi ſimul temporis parciſſimi fuêre; Qvatuor inqvam fulgentiſſimâ Orbis eruditi ſidera, videlicet ISAACUM CASAUBONUM, GER. JOHANNEM VOSSIUM, JOHANNEM SELDENUM, & SAMUELEM BOCHARTUM producemus, oſtenſuri, qvam præclara illi induſtriæ ſummæ, JUGISQVE SOLERTIÆ ſpecimina dederint, qvantiſqve (indefatigabili ſua ſtudioſitate) theſauris univerſam Rempublicam Literariam exornarint, locupletarintqve. Utinam poſt immenſos labores devoratos, unanimi ſtudio illi tandem ad Literatorum ſummè felicium adſpiraſſent ſortem, atqve per qvaſcunqve Labyrintho-

rum ſuorum ambages, ad boni omnigeni fontem Oceanumqve, nec non ſupremæ ſalutis domicilium fuiſſent deducti!

I.

ISAACUS CASAUBONUS.

SI qviſqvam alius ex univerſo Literatorum Hominum ordine, vel ob ſingularem ingenii præſtantiam, vel ob legendi ſcribendiq; INCREDIBILEM ASSIDUITATEM, operumq; editorum multitudine dignus fuerat exiſtimatus, ad qvem videndum vivum non à Gadibus * tantum, ſed è cunctis Orbis eruditi Provinciis ſtudioſi undiqvaqve profecti, agminatim concurrerent, ac cujus imaginem poſt mortem omnes contemplarentur, neſcio profectò, an ullus dignior fuerit ISAACO CASAUBONO, Viro ad miraculũ uſqve erudito, ac univerſæ, tum Sacræ tum profanæ antiqvitatis promo condo, qvem Literatorum etiam Principes ſplendidiſſimis exornare elogiis; mox *fulgentiſſimum Galliæ lumen, ac immortale literarum decus, columenq; antiqvitatis* a) mox *eruditorum Phœnicem* b) mox

* *Gaditanus qvidam, Titi Livii nomine gloriaqve commotus, ad eum viſendum ab ultimo terrarum Orbe venit, ſtatimqve ut viderat abiit.*

a) *Joſ. Juſtus Scaliger in epiſt. ad Caſ.*

b) *Dan. Heinſius in Theocr.*

Di

mox Solem eruditorum, ætatis decus, omnes doctrinæ opes velut in ſanctiore qvodam *ingenii ærario reconditas habens*, a) appellare non dubitarunt. Tantum ſc. famæ & exiſtimationis ex præſtantiſſimis ingenii INDUSTRIÆQ; ſuæ monumentis eſt conſecutus, qvibus rem auxit literariam, ſcriptores & mores corruptos emendavit, ac tantum non univerſam illuſtravit antiqvitatem. A teneris etenim ungviculis illi ſuppetebat rara lingvarum cognitio, in Græcis vix ſecundum, ne dum parem habebat; non deerat Sacræ, nec hiſtoricæ veritatis illuſtrandæ ſtudium. Qvantum in Svetonio recenſendo ſudaverit, qvantamqve circa hunc authorem exornandum adhibuerit judicii limam, ipſe in qvâdam eleganti epiſtola expoſuit. b) Nec minor humeris ejus labor incubuit, poſtqvam Athenæi ſuſcepiſſet editionem; *Negotium ſane* (ut ipſe ſcribit alicubi c) *moleſtum vel ipſo argumenti genere, nuſquam uberior qvam in illo ſcriptore occurrit πολυμάθεια, qvam tantopere olim ambiimus &c.* Cujus etiam ſtupendæ πολυμα-

a) *Thomas Lanſius in Orat. pro Gallia.*

b) *Iſ. Caſaub. epiſt. 30. ad Conr. Ritterſh.*

c) *Caſaub. epiſt. 41. ad Jac. Bongarſ. conf. epiſt. 102. ubi induſtriam ſuam in emendando & edendo Athenæo adhibitam luculenter expoſuit.*

μαθείας ſuæ illuſtria documenta dedit tum in eruditiſſimo de Satyrica Græcorum poëſi & Romanorum ſatyra ſyntagmate, tum in accurato ad Theophraſti characteres comentario, tum in exqviſitis ad hiſtoriam Auguſtam notationib⁹, tum deniq; in aliis cedro dignis monumentis. Cum in nobiliſſimo doctorum hominum cœtu, leges à Cicerone ſcriptas (qvibus omnium populi Romani Magiſtratuum deſcriptio continetur) expoſuiſſet, ipſorum Regum Principumqve in Gallia Virorum a) oculos & animos tantoperè in ſe (licet reformatorū parti addictum) convertebat, ut literis etiam regiis Lutetiam Pariſiorum ſit evocatus, b) mox codicillos, Regis manu exaratos acceperit, qvibus Bibliothecæ ſplendidiſſimæ cura c) ipſi demandabatur. Tantum inde ſupellectili ſuæ literariæ, profundæqve eruditionis apparatui acceſſit augmentum, ut diſertè alicubi d) ſit profeſſus,

ſe,

a) *Prodiit hoc opuſc. Caſ. Pariſ. 1605. conf. de eod. epiſt. Caſ. 407. ad G. M. Lingelsheimium, ubi ſcribit*, ſe in tractando iſto argumento ſibi indulſiſſe, neqve prolixitatis crimen reformidaſſe.

b) *Conf. epiſt. Caſ. 276. ad Joſeph. Scalig.*

c) *Non ſine inſignis benevolentiæ Regiæ teſtimonio Bibl. Pariſ. curam ſibi demandatam fuiſſe*, ſcribit Caſ. ep. 257. ad Dav. Hoeſchel. Auguſt. d) *Epiſt. 257.*

Digitized by Google

ſe, ni Lutetiæ fuiſſet, ea præſtare haud potuiſſe, quæ per optimam librorum ſibi tum oblatorum copiam præſtiterit feliciſſimè. Sed ex qvo Lutetiam fuerat delatus, ad diſputandum ſæpè ſe provocari deprehēdit, qvietumq; hominis ingenium eò eſt redactum, ut amœna illa, humanioraqve ſtudia miſſa qvodammodo facere, & polemica Theologorum utriuſqve partis ſcripta in manus ſumere cogeretur. Cumq; plurimorū Lutetiæ odium incurriſſet, a) qvi prætextu Religionis, graves Viris eruditiſſimis tēpeſtates cōcitare ſolent; factū, ut de patrio ſolo deſerendo, itinereq; in Angliam ſuſcipiendo (qvamvis denuo Bibliothecæ Pariſienſis curam cum ampliori ſalario Rex ipſi demandare voluerit) b) cogitarit. Londinum cum veniſſet, mox Regis & doctiſſimi & humaniſſimi Jacobi Sexti favore tantoperè eſt ſublevatus, ut omnem in ejus conſpectu transigere ætatem, ejusqve nutu & auſpiciis cœptā ſtudiorum magis ſeriorum telam pertexere conſtituerit. Ætas qvippe ingraveſcēs, non minus qvam Anglicanæ Reip. conditio ſtatuſqve reqvirebat, ut miſſis literariis illis amœnitatibus (qvibus in juvenili pariter ac virili vita delectabatur) ad ſacram antiqvitatem illuſtrandam, Religionemqve, qvam cum Rege Jacobo communem habebat, vindican-

a) *Conf. epiſt. eand. ad Hœſch.*
b) *Conf. epiſt. Caſ.* 321. *ad Joh. Scaligerum.*

dicandam ſe totum componeret. Prima autem ab ingreſſu in Angliam præcipuaqve Caſaubono cura fuit, ut ſceleratorum qvorundam fraudibus conflata, mox cœlitus difflata atrociſſima conſpiratio pulveraria, (qvâ Anglicani zelotæ Regem Jacobum, Reginam, Principem Henricum, cum fratre Eboracenſi Duce, cunctos item Regni Proceres, cunctos Epiſcopos, cum ipſo flore Eccleſiaſtici & Eqveſtris Ordinis, infinitamqve populi multitudinem uno ictu impetuqve è medio tollere in animo habebant,) ſuis genuinis coloribus depicta, ſtyloqve elegantiori repræſentata univerſi Orbis Chriſtiani pateret conſpectui. Scriptâ itaqve ad Frontonem Ducæum a) epiſtola Caſaubonus docuit, à qvibus parata ſit diabolica illa machina, qva occaſione & adſtructa & deſtructa, qvæ deniqve conjuratorum nomina, confeſſiones, pœnæq; fuiſſent &c. Cæterum cum Cardinalis Perronius alia longe ad convincendum Regem argumenta fabricaſſet, qvam, qvæ officina illa ſulphurea ſubminiſtravit, ſcil. miris Angliæ Monarcham deliniendo blanditiis, Caſaubonus Regis juſſu & nomine novam Perronio oppoſuit epiſtolam, b) priori & verborum amœni-

a) *Caſ. epiſt. 624. ad Front. Ducæum Jeſ.*
b) *Eſt ea in opere Caſaub. Epiſtolico num. 710. ad Jacobum Davy Perronium Cardin. exarata.*

Digitized by Google

mœnitate, elegantiaqve, & rerum ubertate haudqvaqvam inferiorem; qvâ multivarias Cardinalis blandientis haſtas repercuſſit, pluribusqve oſtendit, Eccleſias Anglicanas falſo ſchiſmatis propterea accuſari, qvod à Romana communione ſeceſſiſſent. Prodromus qvaſi, ſeu anteambulo hæc ſcriptio fuit conſpectioris operæ, qvam deinceps Caſaubonus ad vitæ uſqve terminum in examinandis Cardinalis Baronii Annalibus collocavit. Ferebat qvidem animus omnes Baronii a) Tomos ſtrictim percurrere, b) poſtqvam primum, in qvo certam legitimæ victoriæ ſpem credebat repoſitam, ſtudio qvo poterat maximo examinaſſet. Verum graviſſimus morbus c) [qvem hora tandem excepit fatalis] prohibuit, qvo minus & iſtos & alios plures conatus conſummare potuerit. Nactus erat

Vir

a) *Hunc in prolegomenis ad lectorem ita deſcripſit, ut neqve falſas ei tribuerit laudes, neqve veris detraxerit, conf. epiſt. 785.*

b) *Vid. Epiſt. Caſ. dedicator. ad Jac. VI. Angliæ Regem.*

c) *De qvo ipſe Caſaub. epiſtol. 797.* Scito amiciſſ. Heinſi [*ſcribit*] corpore nos eſſe admodum affecto, & graviſſima à Medicis morborum genera nobis denunciari, non tanqvam imminentia, ſed ut jam contracta, & qvæ diutius latere non qveant.

Vir ad doctrinam formatus a) corpuſculum tanto ingenio impar, qvod paulatim concuſſum, nec minus laboribus, ſomni parſimonia, animi perpetuâ contentione, deniq; morbi plane inauditi atrocitate fractum, ſubitò tandem concidit b). Ad ultimum tamen ſpiritum uſqve, in demandato munere ſibi perſiſtendum exiſtimavit, amicis verò qvietem ſvadentibus; *Qvid? vultis* (dicebat) *aliam ut naturam hoc ævo induam? parebo ſi jubetis, ſed ambos pœnitebit, vos conſilij, me obſeqvii; mihi ante hac imperatum otium, à me qvæſitum, ſed conatu irrito imò pernicioſo: non enim morbo,* SED MORTE GRAVIOR EST DESIDIA; *nec unqvam infelicius valeo, qvā ubi iners retracto corporis mala, & ex iis ſtudiorum naufragium præſentio.* Exeſis poſtea carnibus, oſſium triſtem compagem figuramqve contemplatus, reliqvis item corporis partibus flacceſcentibus, ventrem miratus in utrem augeri, vitæ breviſſimæ moleſtiſſimæqvè conditionem decenti ſermone omnibus ob oculos poſuit, auditusqve eſt non morbi qvidem deplorare tædium, non doloris ſævitiam, ſed ſtudiorum interitum, ſpemqve operis perficiendi jam pro-

a) *Hæc & ſeqventia ex narratione de morbo & morte Caſauboni, epiſtolico operi annexa, hauſta ſunt.*

b) *Extat de morbo Caſaub. peculi. epiſtola Raphaëlis Thorii ſub fin. epiſt. Caſ. p. 1047.*

propemodum mortuam. Cumqve poſt varias velitationes, ad pugnam tandem ſtatariam cum hoſte maximè terribili eſſet deventum, obfirmato animo victor ad ultimum uſqve ſpiritum inter acutiſſimos cruciatus depugnavit, colloqvia cum amicis talia miſcens, qvæ animi ſummam indicarent tranqvillitatem, pectusqve nullo amplius rerum mortalium deſiderio affectum, niſi qvod ſubinde leviter deplorarit hiſtoriæ Eccleſiaſticæ opus ad ſacros uſq; inchoatum, non relinqvi abſolutum, mox tamen verborum increpavit inſolentiam, ne qvid præter DEI arbitrium optaſſe videretur. Itaqve ordinatâ familia, valeqve neceſſariis ſuis dicto, oculos clauſit, & vitæ, laboribus prodigioſis conſummatæ, triſtem (ſi humana reſpiciamus) colophonem impoſuit.

II.

GERARDUS JOH. VOSSIUS.

IN Ordine & Conſeſſu ampliſſimo eorum Reip. Literariæ Procerũ, qvi noſtro cumprimis ævo LABORUM pariter ac DOLORUM graviſſimorum aleam ſubiêre, & fœtus ingenii matureſcentes, non minus qvã fulminantes [tum publicas tum domeſticas] miſerias aſpexêre, locum facilè palmarium occupabit GERARDUS JOHANNES VOSSIUS,

SIUS,* ſidus illud non Belgii ſolius, verum Orbis eruditi univerſi illuſtriſſimũ, qvod Ruræmundæ anno ævi ſuperioris ſeptuageſimo ſeptimo ortum, & juſtâ ætate, Dordraceno primum, Leidenſi poſtea candelabro [omni eruditorum cœtu ovante] impoſitum, tantis dehinc tempeſtatibus agitatum, & atrocibus adeò fortunæ novercantis ludibriis expoſitũ fuit, ut ſpeculum qvoddam LITERARIÆ INFELICITATIS, humanâ digniſſimum comiſeratione poſſit nuncupari, ſiqvidem Vir ille, omnium calculo maximus, non caſu ſolum fortuito, malignantiſqve invidiæ technis, nominatiſſimæ Academiæ Lugdunenſi ereptus fue-

* *Ger. Joh. Voſſius [ita Deſſel. in Bibl. Belg. p. 275.] Ruræmundæ anno 1577. natus, literas politiores Græcamqve lingvam didicit Dordraci, condiſcipulum ibi inter alios Erycium Puteanum habuit, & vixit ante Rector Scholæ Dordracenæ annos 20. Profeſſor Eloqv. ac Chronol. in Acad. Leid. annos plus minus 13. inde an. 1633. ad Ill. Amſtel. Gymnaſiũ migravit. Ejuſdẽ Voſſij elogiũ, ſermone Italico ſcripſit L. Craſſus, cum aliorum Clar. Vir. encomiis Venet. edit. an. 1666. adde ſi lubet Henr. Wittenij Memor. Philoſ. & Orator. Dec. V. p. 96. ſeq. Nos ex ipſiusmet Viri incomparabilis monumentis, aliisq; bonæ fidei documentis ea ſeligemus, quæ ad conſervandã memoriam illius aptiora videbuntur.*

fuerit, verum improviſam etiã ſuorum jacturam luxerit, & eventibus ſperatis tantum non penitus exciderit. *Horret profectò animus* [ita Franciſcus Junius ſcribit, in præfatione operis de quatuor artibus popularibus,] *dum liberos Viri cogito. Vix viderat illos ad juſtam vitæ & gloriæ maturitatem excreviſſe Parens, cum ecce turbato mortalitatis ordine, contra communem parentũ votum, videt alterum alterius quaſi premere veſtigia, dum ad vocantis DEI nutum ſe ſiſtunt penè omnes. Quis neget, omnem humanitatis ſenſum exuiſſe Tiberium, qui felicem vocabat Priamum, quod ſuperſtes omnium ſuorum extitiſſet? Quis ſortis ſuæ, ſuorumque memor, Camillum laudet, qui amiſſo filio dolori ſuccubuit; adeò quidem, ut non niſi inter ipſos mulierum cœtus, muliebrem in modum, caſum filii dolens inveniretur? Summus Voſſius, quanquam eos amiſiſſet filios, qui paternis paſſibus contenderent, quousque gloria eniti poteſt, quales etiam pro ſuo in literas amore non-filios non lugere non poſſet, quovis tamen dolore ſe oſtendit potentiorem, cui ſuccumbere triſtiſſimis cladibus, ducebat triſtius. Enimverò non Periclem, non Xenophontem, non Anaxagoram Clazomenium, conſtantiæ in adverſis animi exempla jactet antiquitas, quos nempe erigere poterat pulcra filiorum in bello pro patria virtus. VOSSIUS lectiſſimæ, atque eruditæ filiæ CORNELIÆ, prope inclytam Leidam, aquis*

hyberno frigore concretis fidem frangentibus, miſerrimè ſubmerſæ iturus exſeqvias, cum corpus humandum oſtendi ſibi peteret, atqve ægrè ab amicis, qvod crudum vulnus ſic refricari crederent, id obtineret, ubi vidiſſet, dictavit ipſe adſtantibus ſolatia, monuitqve divinæ acqvieſcendũ eſſe voluntati. Tantum itaqve abeſt, ut domeſticâ illâ horrificâq; calamitate, Voſſius à LITERARIÆ FELICITATIS ſede penitus ſit deturbatus, ut poti⁹ inde magis magiſq; ſit ſublimatus, ſiqvidem triſte illud infortunium, Virum afflictiſſimum bonis omnibus reddiderit conſpectiorem. Cæterum, ſtupendam illam *Liberorum Voſſianorum infelicitatem*, LIBRORUM [laborioſa *Sedulitate* conſcriptorum] ubertas & præſtantia feliciter adeò compenſavit, ut teſte non nemine, ætas noſtra vix viderit alia monumenta, qvæ magis æternitatis Ædi inſeri mereantur. Exploratiſſimum eqvidem eſt, plures ex Voſſii Herculeis propemodum laboribus ad doctos viros fructus redundaſſe, & porrò reduntaturos, qvam ipſi hactenus vel confeſſi ſunt, vel in poſterum confitebuntur. Nihil non obſcurum, nihil nõ abditum, vel parum intellectum è profundis omnigenæ eruditionis penetralibus explicavit, cumprimis utriuſqve antiqvitatis & Sacræ & Profanæ rariora monumenta ita eventilavit, ut dubium ſit, in qvonam eruditionis genere magis excelluerit. Profeſſio-

ni

ni Hiſtoriarum Amſtelodami deputatus, Hiſtoriæ omnigenæ perveſtigavit theſauros, antiqvas pariter ac recentes callens exactiſſimè. Verè Janus bifrons, noſtrâ & antiqva ſecula perſpectiſſima habuit. Tanta inſuper Oratoriæ facultatis peritia illum commendaverat, ut qvi propius paulò cognovêre, parem ipſi in hoc eruditionis genere non facilè reperiri crediderint.† Præter inſignem enim oratoriæ artis notitiam, [qvam doctiſſimo *Inſtitunum Oratoriarum* volumine * prodidit] ſvada ſingularis Viri labris inſedit, ut auditorum animos voluptate incredibili perfuderit, ſummiqve Oratoris reportarit laudem. Verum hiſtoricæ præcipuè eruditionis apparatu illuſtris, calumniantium ora, [qvæ merum literionem ** Grammaticumqve Voſſium

LII 2 pro-

†*Quanta dicendi præditus fuerit facultate, qvadam etiã teſtantur orationes in lucem editæ, nimir. panegyrica de felici expeditione exercitus fœderatæ Belgicæ, 1597. it. orat. habita in obitum Thomæ Erpenii 1625.*

* *Editæ ſunt* Inſtit. Oratoriæ *primum Dordraci 1606. auctiores poſtea iterum iterumque Amſtelodami prodierunt. Peculiari etiam opere egit* de Rhetoricæ natura & conſtitutione, deqve antiqvis Rhetoribus, Sophiſtis & Oratoribus, *ed.* 1621.

** *Hoc nimirum probro qvidam ipſum affecêre*

poſt

poſt editum opus Grammaticæ artis,*qvod libris VIII. conſtans,primum Amſtelodami prodiit* 1634.

proclamabant, nec rei ſeriæ intentum] ita occluſit, ut nihil habuerint amplius veneni, qvod in Virum undiqvaqve Magnum evomerent. Toto eqvidem Cœlo ab umbraticis diſtabat Doctoribus, qvi ſicut veſpertiliones atqve noctuæ Solem ferre neſciunt, ſicqve animo caligine obducto complecti haud valent, qvid ſit eſſe *Hiſtoriæ Conſultum*. Id verò Voſſius non ſuo duntaxat exemplo, verum eruditiſſimo docuit de *Arte Hiſtoricâ* commentario.* Etenim cum plurimum referre intelligeret, utrum confusè tantum, & ſine juſta methodo tractentur res geſtæ, an verò eædem cum fide diligentiaq; optimâ, tum prudenter ornateqve memorentur; ideò peculiari volumine ſcribendæ Hiſtoriæ præcepta tradere, ſicqve publicis præclarè litare voluit commodis. Mox bipartito opere de Hiſtoricis *Græcis* pariter ac *Latinis* agere inſtituit, æqvitati apprimè conſentaneum reputans, *ut qvi res geſtas literis ſignarunt, æternum vigeant flore-*

* *Commentarius iſte noviſſimè prodiit anno* 1653. *Lugduni Batav.*

† *Utriuſqve operis de Græcis ſc. & Latinis Hiſtoricis bina extant editiones Lug. Bat. divulgatæ.*

** *Conf. Præf. Comm. de Arte Hiſt.*

reantq;. Verùm non Hiſtoricis tantum, ſed ipſi Hiſtoriæ antiqvæ, & tam Sacræ qvam Profanæ philologiæ, profundiſſimæ eruditionis facem gemino iſto volumine addidit, atqve inexhauſti laboris, illuſtre admodum dedit documentum. Animus qvidem Voſſio, opus de *Latinis Hiſtoricis* paranti erat, in Caroli Magni deſinere temporibus, ſicqve ætatis [ut vocant] mediæ præterire monumenta, cum ea legantur à pauciſſimis, ſive qvod rarò in lucem prodeant, ſive nauſeam gignant ruſtico ſermone, nec minus im̃enſa eorum deterrebatur copia, qvi ſeculorum iſtorum tenebris lucem afferre ſtuduiſſent. Exhauſta tamen laboris graviſſimi potiori parte, conſiliũ repentè mutavit, noviſq; animis ſumtis, abſolutiſſimum de omnibus atq; ſingulis *Hiſtoricis Latinis* opus, Orbis literati conſpectui ſiſtere conſtituit, ad res potius qvàm verba reſpiciens politiora. Qvantæ autem, labore hoc utiliſſimo tenebræ diſpulſæ, qvantæqve eruditionis ſale, iſtæ dapes conſperſæ fuerint, pauciſſimi aſſeqvuntur, ut haud abs re alicubi ipſe Voſſius conqveſtus ſit, *ſe nihil laudis ſperare poſſe qvâcunqve etiam induſtria, qvocunqve item judicio adhibito, ſc. propter ambitioſulos iſtos, in ſtrenua inertia & ingenij & facundiæ laudem ſolis ſibi vindicantes, aliis relinqventes duntaxat laboris gloriam, cum Arcadico ut loqvi ament pecore communis* Hæc ſanè, ejuſ-

Conf. Præf. operis Voſſ. de Hiſt. Lat.

Confer Præf. Theol. Gent.

demqve farinæ alia ignarorum vel ignavorum contemti laboris præjudicia; ſicuti multis eruditorum operibus, ita utiliſſimis qvibuſdam Magni Voſſii monumentis obices poſuiſſe nulli dubitamus, apprimeqve dolemus, neutiqvam prodiiſſe inſignem Commentarium, qvo Poëtas Græcos & Latinos variis tenebris & difficultatibus liberare conſtituit. Rhetores qvidem, & Sophiſtas ab eo expoſitos habemus, * Mathematicos item, Geometras, Arithmeticos, Aſtronomos, Muſicos, Geographos, Chronologos, Mechanicoſqve ſumma induſtria alio opere tradidit. De Philoſophis, ſectiſqve philoſophantium Voſſio Authore, liber extat geminus, iſqve poſthumus † atqve ut ejuſmodi opera eſſe ſolent, haudqvaqvam perfectus. Omne autem punctum tulit, æternumqve præ cæteris operibus Authori ſuo decus conciliavit, illud ſtupendæ eruditionis monumentum, qvod THEOLOGIÆ GENTILIS, & PHYSIOLOGIÆ CHRISTIANÆ titulo conſpicuum, vice tertia lucem aſpexit, atqve in omnium pene doctorum hominum verſatur manibꝰ. ** Tantum eqvidem in opere iſto conſcribendo parandoqve Voſſius ſtu-

dium

** Liber de Rhetor. nat. & conſtitut. ed. eſt Hagæ 1658.*

† Prodiit Hagæ 1658.

*** Noviſſimè hoc Theol. Gentilis opus cum additamenta prodiit Amſtel. 1668. in fol.*

dium adhibuit, induſtriamqve collocavit, qvantâ poterat vel maximè, & ſplendido huic ſacrario, propemodum univerſum eruditionis ſuæ multivariæ inſeruit apparatum. Bone DEUS! qvæ rerum copia, qvi delectus verborum & authorum, qvi flores hiſtorici, & phyſici, qvantus labor, judicium qvantum, qvam infinita lectio, qvantæ eruditionis divitiæ, auguſtum illud Theologiæ Gentilis palatium impleverunt! Prima autem facileqve præcipua in iſto opere adornando cura ſtudiumqve fuit, paganicæ religionis reſerare penetralia, dein rerum pandere naturam, ſuosqve referre ad fines, imprimis veri uniciq; Numinis cultū; præclarè inſuper de hominis ex naturæ mirandis adſcenſu ad DEUM diſſerere; ut ſic non ſolum Theologiam Gentilem traderet, ſed eâdem & majori qvidem operis parte *Phyſicen Chriſtianam* complecteretur, nec minus lucem egregiam affunderet libris iis, qvi à ſanctis qvondam Patribus adverſus cœcas Nationes ſcribebantur. Nec intra veterum Scriptorum limites ſeſe continuit, verum ubi res tulit, per omnes ſeſe diffudit ætates. Sui etiam ævi ſuperiorisqve Philoſophos accedens, imo ad partes qvoqve advocans veteres & recentiores Grammaticos, Poetas, Oratores, Hiſtoricos, non qvidem oſtentationis gratia, ſed ipſa experientia edoctus, qvantum utilitatis habeat utriusqve erudi-

 tio-

elaboravit hiſtoriam, * atqve de celebrioribus JCtis egregia annotavit. Qvid, qvod libros qvoſdam de omnium ſcientiarum natura, uſu & præcipuis Scriptoribus elaboraverit, eoſqve veluti jam jam abſolutos non ſemel citaverit. ** Graviſſimas tamen cauſas Voſſium habuiſſe nulli dubitamus, ob qvas & ipſe ab operum qvorundam editione abſtinuerit, & ſeriò prohibuerit, ne temerè divulgentur. *Qvanqvam enim* [ſcribit alicubi **] *non dubito, quin ſi DEUS mihi vitam & valetudinem conceſſerit, deinceps etiam non paulò plura, partim obſervare ipſe, partim à viris præſtantiſſimis addiſcere poſſim: tamen ſi ſummus ILLE IMPERATOR de ſtatione vocarit, priuſquam extremam iis qvæ deinceps accedent, manum admoverim, nolim illa temerè divulgari, &c.* qvâ tamen cautione admonitioneqve ſuâ impedire non potuit, qvo minus varia ab obitu ejus imperfecta, mutilaqve monumenta luci fuerint expoſita.

Maximam deniqve meretur obſervationem, qvod Literatus ille ſolertiſſimus non ſoli duntaxat eruditioni, verum etiam menti cœleſti philoſophiâ imbuendæ ope-

 ram

* *Ut ipſe teſtatur libro poſthumo de Philoſophia & Philoſ. ſectis c. 19.*

** *In libello de ſtudior. ratione, fol. 18. & de gloſſematis, fol. 112.*

*** *Præf. Libror. de Hiſtor. Latinis.*

ram ſtrenuam navandam eſſe, & verbis elegantiſſimis, & proprio docuerit exemplo, vanam & inanem illam judicans ſcientiam, qvæ virtutis pietatiſqve Chriſtianæ fructibus ſit deſtituta. *Nec enim* [notanter ſcribit alicubi †] *qvoſvis fructus ex qvolibet ſeminio expectes. Qvis herbarum ſeminibus in terram conjectis, accenſet eam qvod non legumina produxerit? Vel qvis agrum inceſſat probris, ſi ubi ſeveris fabas, aut milium, non proferat frumentum? Qvo jure igitur ob crebra adeò divortia* PIETATIS *&* ERUDITIONIS, *ream faciunt doctrinam univerſam, ſi animus eorum, quos accuſant, aliis potius ſtudiis fuerit excultus, qvam iſtis, qvæ recta nos ad mores ducunt honeſtos, & pietatem ipſam? Hæc veriſſimè à me dici, nemo inficias iverit, qvi cogitare volet, qvam multi tanqvam ad ſirenios ſcopulos conſeneſcant in lingvarum notitia, omniqve literatura, vel etiam erudito illo Matheſeos pulvere, aut diſſerendi diſciplina, quæ inſcitiam qvidem aliqvam animis detergent, ſed ſola neminem reddunt meliorem. Idem de ſoluta ligataqve eloquentia cenſendum. Aliæ certè ſunt* benè dicendi, *aliæ* benè vivendi *artes. Cū igitur non eadem ſint doctrinarum omnium bona, non fructus idem, qviſqvis ſalutaria eſſe volet ſtudia ſua, ad duo hæc præcipuè collimare debet, ut & MELIOR & PRUDENTIOR* red-

† *Præf. Theol. Gentil.*

reddatur. Ac de priori potiſſimum laborandum, qvia ſine prudentia qvidem infelicem viveremus vitam in terris: ſed ſine pietate æternum miſeri foremus. Ad eundem Vir magnus collimavit ſcopum, in egregio de *Cognitione ſui opuſculo*, qvo artem illam artium, & ſcientiam ſcientiarum optimè tradidit; *Pauxillum eſſe* exiſtimans * *benè de aliis mereri, ſi de ſemetipſis eruditi malè mereantur, qvod fiat, ſi ſtudia in iis faſtum pariant non modeſtiam*, cui morbo depellendo haud melius proſtare remedium judicavit, qvam qvod duabus illis tritis contineatur vocibus: γνῶθι σεαυτὸν, *Temet noſce*, atqve hujus præcepti ſive remedij utilitatem duplici hominum generi apprimè commendavit, iis nimirum, qvi vel bona ſua neſciunt, vel qvi ſuos ignorent defectus. Horum cum longè maximum numerum ſupereſſe crediderit, author ipſis ſvaſorqve Voſſius fuit, ut ſaluberrimo illi *Cognitionis propriæ* ſtudio toti incumbant, agnitiſqve defectibus, ſolidæ eruditioni, Virtuti verè chriſtianæ ſociatæ navent operam, cumprimis ſollicitè attendant: *num in apibus, an fucis, an crabronibus nomen mereantur.* ** In hæc enim tria animantium genera doctos omnes, præſertim Profeſſores Academicos diſpeſcendos eſſe non inſcitè judicavit; deniqve ſingulis eruditis illud

* *Conf. Voſſ. opuſc. de cognit. ſui. p. 32.*

** *Voſſ. ibid. p. 29.*

lud freqventer animo obverſari voluit, *utcunqve pulchrum ſit audire doctum, pulchrius tamen eſſe haberi prudentem; pulcherrimum vero ESSE PIUM.* Hæc nimirum ſuprema eruditi hominis eſt ſapientia, cujus ſectatores laus manebit in ſeculum.

III.

JOHANNES SELDENUS.

FElix tunc erat, atqve beata Terra ANGLICA, cum inexhauſtum iſtum Antiqvitatis Hebraicæ, variæqve eruditionis theſaurum anno ſuperioris ævi qvarto & octuageſimo SALVINTONIÆ exciperet, nec ſibi uni ſolū ſervaret, ſed cum univerſo etiam communicaret Orbe literato. Dederat qvippe natura Viro huic (puerilibus ſtudiis Ciceſtriæ, Academicis vero Oxoniæ inſtituto) etiam SOLERTIÆ vim, ingeniiqve celeritatem, ut qvicqvid animo collibuiſſet, id non diſcere, ſed didiciſſe, & cum Platone reminiſci tantum videretur; dederat parem ingenio in ſuſcipiendis exeqvendiſqve SUMME ARDUIS LABORIBUS conſtantiam, ut qvæ rei literariæ bono & emolumento parare ſtatuiſſet, ea nullo torpore, (qvo erudita interdum pectora occupantur) minus otio & langvore continuo eripi ſibi pateretur. Hinc profunda

da ipſi lingvarum, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, Rabbinicæ, Syriacæ, & Arabicæ nata cognitio, hinc omnium philoſophiæ partium, nec non utriuſqve Juris Divini & Humani exqviſita notitia, ut qvicqvid uſpiam placitorum ſophicorum, commentationumqve Juridicarum extabat, id auſu planè Herculeo aggreſſus, incredibili cura volvendo velut conficeret, cum Ebræorum & legibus & placitis conferret, adeoqve in rem ſuam, hoc eſt Antiqvitatis ſanctæ & venerandæ converteret illuſtrationem; ſimilis venatori, qvem nulla LABORIS MOLESTIA, nulla aëris injuria aut tempeſtas ab inſidiando feris abſterret. In omnes qvippe eruditi Orbis plagas ſine intermiſſione oculos ſuos curioſos mittebat SELDENUS, an forſitan rarum qvoddam novumqve, aut aliis nondum obſervatum capi prehendiqve poſſet, & cum pluribus communicari antiqvitatis monumentum. Nec vitio qviſpiam illi vertere conabitur, qvod profanas plerunqve (aſt ſine noxâ) Sacris miſcuerit literis, cum citra illarum opem, divinas undiqvaqve haud intelligi poſſe exiſtimaverit. *Ita* [ſcribit alicubi] *literas miſceo profanas, ut Sacras illuſtrent, id nec qvis incuſet, niſi, qvi citra illarum opem omnia in his intelligi poſſe, imperitus atq; idem perqvam moroſus opinetur.* Eqvidem, cum ubiqve authorum profanorum adhibuit delectum, ut non ſuppoſi-

In Præf. Librr. de Diis Syris.

poſititios modo, verum nugatores alios òmninò ſit aſpernatus, atq; præſtantioribus duntaxat ſcriptoribus, ac velut *archetypis* (ut ipſe loqvitur) *vetuſtatis teſtimoniis* egregia ingenii induſtriæq; ſuæ exornaverit monumenta. Loqvuntur id ipſum famigeratiſſima SELDENI de DIIS SYRIS ſyntagmata, qvæ neutiqvam ſubleſtâ fide, aut ex aliorum compilavit ſcriniis, verum ex ipſis abſtruſæ vetuſtatis Sacro-profanæ fontibus hauſit, nec ſolum rariora de Numinibus commentitiis in Vet. Teſt. memoratis documenta inibi exhibuit, ſed etiam priſcam Arabum, Ægyptiorum, Perſarum, Afrorum, Europæorumqve Theologiam ſubinde illuſtravit. *Dum enim* [ſic ipſe præfatus eſt] *de Syris præcipuè inqviſivimus, ut in numeroſam inſuper, qvæ in aliis gentibus pullulavit, numinum ſegetem non ſubinde incideremus; fieri neqvivit. Inde & Perſarum & Ægyptiorum & Arabum, item Afrorum, qvin & Europaeorum veteri Theologia lux non rarò, neqve dubia accenditur. Ita enim Europaeorum maximè Dii à Syris pendent, ut propago ab origine.* Neqve hic ſtetit SELDENI inſignis SOLERTIA, verum etiam JURIS EBRAICI univerſi illuſtrationem, & cum cæterarum gentium legibus ac inſtitutis collationem eſt meditata; eo nimirum opere, qvod titulo *JURIS NATURALIS ET GENTIUM, JUXTA DISCIPLI-*

Prima ſyntagm. de Diis Syris ed. prodiit Londini 1628.

NAM

Digitized by Google

NAM EBRÆORUM prodiit *, multoq; cum plauſu ab univerſo Orbe erudito eſt exceptum †. Et qvamvis in eo conſcribendo Seldenus conſvetudinem Hebræorum, *ſeriem legum Noachicarum* [uti vulgo vocantur] *obſervantium* ſit imitatus, multis tamen nominibus ſeſe iſtud inſtitutum doctis Viris commendavit, ſiqvidem & diſſertationem generalem præmiſerit de neceſſario, diligentiorique ſententiarum, in rebus difficilioribus invicem pugnantium examine; & cura magis ſpeciali placita ſcriptorum diverſimoda de *Juris Naturalis fonte, ortu, ſedibus, capitibusque*

* *Opus Seld. de Jur. N. & Gent. primum Londini* 1640. *in fol. lucem aſpexit.*

† *Sunt qvi Seldenum opus hoc de* Jure Nat. & Gentium juxta diſciplinam Ebræorum, *eruditâ & modeſtâ æmulatione Grotiani operis de J. Belli & Pacis ſcripſiſſe, civilioremq; paulo titulum ei dediſſe exiſtiment; artificium autem hoc à Grotio fuiſſe deprehenſum, & lepidâ quâdam urbanitate exceptum; quando Seldeni MARE CLAUSUM (ſive de Imperio & Dominio Maris) parum latinè inſcriptum, noluerit barbaro vocabulo cum ipſo authore appellare, ſed meliori, & erudito Viro digna voce THALASSOCRATICUM dicere.* Confer Boecleri præf. ad Comment. in Grotii libros de J. B. & P. p. 4.

qve illuſtrioribus diſcuſſerit, nec minus alia interſeruerit tum ad doctrinam Talmudico-Juridicam, tum res Iſraelitarum, ſive ſacras ſive profanas ſpectantia, unice tamen ad lydium Chriſtianiſmi lapidem expendenda, atq; examinanda. Porrò, cum ſummis eruditorum votis atqve deſideriis efflagitari intellexiſſet, qvendam de VETERI SYNAGOGA, ſive priſcorum EBRÆORUM SYNEDRIO commentarium, hinc curam diligentiamqve incomparabilem operis tam præclari impendit elaborationi, tandemqve trigam librorum exqviſitiſſimam, de VETERUM EBRÆORUM SYNEDRIIS & PRÆFECTURIS JURIDICIS luci publicæ expoſuit, ibidem ubiqve interſerens digreſſiones diſqviſitionesq; argumento operis palmario cognatas connexaſqve, licet ætate haud parum disjunctas, eqve recentioribus ſeculis ſcriptoribusqve derivatas. Cæterum, æternitatis literariæ jam ſecurus [qvippe qvam nomini ſuo triplici illo opere conciliaverat] alia atqve alia dedit ingenii induſtriæqve ſuæ documenta; UXOREM puta EBRAICAM, ſeu de Nuptiis & Divortiis ex Jure Civili, Divino & Talmudico egregiam commentationem, qvam ad B. Hieronymi [cujus elegantiſſima verba fronti libri modo laudati inſcripſit,] exemplum, *de intimo Ebræorum fonte libavit, non opinionum rivulos perſeqvens, neque*

Seld. de Syned. Ebr. op9 prodiit Londini 1650. & 1655.

Hieron. ep. 138. ad Marcell.

qve

qve errorum, qvibus totus Mundus repletus eſt, varietate perterritus, SED QVÆ VERA SUNT, SCIRE ET DOCERE CUPIENS &c. idemq; inſtitutum SELDEN⁹ alio opere, ſcil. de *SUCCESSIONIBUS AD LEGES EBRÆORUM IN DEFUNCTORUM BONA*, tantopere teſtatum fecit, ut uno omnium doctiſſimorum Virorum ore propterea fuerit collaudatus. Et qvamvis ipſe, illud de *Succeſſionibus ex utroqve Talmude Hieroſolymitano & Babylonico*, nec non ſelectioribus *Rabbinorum comentariis* contextû opuſculum, pro inſigni ſuâ modeſtiâ, INGLORIUM LABOREM vocare non dubitaverit, faventiſſimè tamen à curioſioribus oculis idipſum exceptum fuiſſe conſtat, novâq; veſte ornatum in Germaniâ prodiiſſe. Neqve prætereunda exqviſita Seldeni commentatio, qvâ ANNUM CIVILEM, ET VETERIS ECCLESIÆ REIPUBLICÆQVE JUDAICÆ CALENDARIUM illuſtravit; Talmudicorum, Karræorumqve eâ de re diſciplinam tradidit, atqve re & opere ipſo oſtendit, *ſibi pariter ac Tertulliano, cum Magiſtris principalibus rem fuiſſe, non cum affectatis Ducibus diſcipulorum paſſivorum*,* Deniqve editione EUTYCHII ÆGYPTII nomen ſuum Seldenus apprimè nobilitavit, & Patriarchæ

Confer præfat. librr. de ſucceſſ. in bona defunct.

* *Confer diſſ. Seldeni de anno civili &c. Lond.* 1644. *ed. circa initium.*

qvondam Alexandrini, ſcriptoris ut in Oriente admodum vetuſti, & in Occidente perrarò auditi, cujus de ECCLESIÆ ALEXANDRINÆ ORIGINIBUS illuſtre monumentum, primùm ex Arabico in ſermonem latinum convertit, atq; cum doctiſſimo commentario divulgavit *. Nimirum, cum graviſſima multumqve vexata qvæſtio de Ordine Hieratico Eccleſiam Anglicanam exercuiſſet, nec pauci in Orbe Britañico libelli circumvolitaſſent, de munere Epiſcopali vel prorſus abolendo, vel pro antiqvæ Eccleſiæ more & conſvetudine retinendo ; Seldenus EUTYCHII PATRIARCHÆ, luculentiſſimum de prima Epiſcoporum inſtitutione teſtimonium duxit producendum, atqve cum pluribus communicandum. Id fide diligentiaqve ſumma ex arabico idiomate converſum, atq; perqvam erudito commentario illuſtratum, magna cum voluptate illi exceperunt, qvi multum inde ſubſidii & ſibi, & ſuæ de Epiſcoporum primâ inſtitutione opinioni ſunt polliciti. Cæterum, Seldenum Londini vitam utplurimum privatam ſolitariamqve egiſſe, conſtat, otiiqve laborioſi arcanum egregiè

cal-

* *Eutychij Alexandr. monumentum de Orig. Eccleſ. Alexan. cum not. Seldeni prodiit Londini 1642. in 4. poſt fata autem illius, Annales Eutychii integri lucem Oxoniæ aſpexerunt, operâ Edvv. Pocockii 1658.*

igitized by Google

calluiſſe, nimirum ad Socratis exemplum Vir maximus, inter libros ſuos & chartas ſedebat, cum nil præter Alcibiadem Athenienſes (nil præter CROMWELLIUM Londinenſes) loqverentur, atqve flagrantem Viri animum ſors nimia adulatione inflammaret; tunc inqvam tutus & ſecurus inter Muſas ſuas Seldenus ſedebat, dicens cum Seneca: *Poſterorum negotium ago, illis aliqva, qvæ poſſint prodeſſe conſcribo, in hæc me recondidi & fores clauſi, ut prodeſſe pluribus poſſem, nullus mihi per otium dies exit, ſtudiis vindico, non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigilia fatigatos cadentesq́; in opere detineo. &c.* Nil eqvidem otio Seldeni fuit operoſius ſive negotioſius, nihil Orbi literato fructuoſius. Nam qvemadmodum in ſylva ſemper amputandum aliqvid, aut cædendum, aut plantandum deniqve, ita in publico ſcientiarum, lingvarumqve diverſarum penu ſemper Seldenus aliqvid qvod agat invenit, & qvod antehac incognitum, Orbis eruditi conſpectui ſiſteret. Ac licet ſolitarius ſit nuncupatus, ſolus tamen aut nunqvam fuit aut rariſſimè, qvippe qvi cum ſummis Theologiæ Antiſtitib⁹, cum claris Juris interpretibus, cum ipſis deniqve ſcientiarum artiumq; omnigenarum parentibus (cum *Magiſtris noti ex Tertulliano ipſe dicebat, principalibus, non cum affectatis diſcipulorum paſſivorum Ducibus,*) ætatem tranſegit. Omnium qvippe

 æta-

ætatum ingeniis præſtantiſſimis familiariſſimè uſus eſt, donec horâ fatali imminente, è literariæ ſolitudinis diverſorio proximus ſeptuagenario emigravit.

IV.

SAMUEL BOCHARTUS.

SI pro inſignis cujuſdam felicitatis parte reputandum, multos habere LABORUM impenſorum fautores atqve æſtimatores, eoſqve in Republica literaria ſummos ac præcipuos; haud abs re feliciſſimum prædicabimus SAMUELEM BOCHARTUM Rothomagenſem, qvi ævo noſtro Cadomi in Gallia Eccleſiaſtico addictus muneri ita vixerat, ut Virorum doctiſſimorum plurimi, profundæ ejus doctrinæ aſſurrexerint, maximiſqve elogiis labores deprædicarint ac ſtudia, qvibus multam literis lucem, ſibi verò laudem gloriamqve vix perituram conciliavit. Sane cum Bochartus natalium inter Gallos ſplendore, æqve ac præcoci* maturi-

* *De præcoci Bocharti maturitate non ſolum verſus græci teſtantur, qvos cum claſſicus adhuc eſſet, in Thomæ Demſteri Comment. de Antiqvit. Rom. conſcripſit, atque Pariſ.*

riſ. 1613. divulgavit, verum etiam Andr. Rivetus in pecul. ad eum epiſt. Catholico Orthodoxo inſerta: Cũ nuper [*ſcribit ille*] Verronus voluit bellum ſuum inſtaurare, & Te chariſſime nepos Bocharte, adverſarium deligere ac provocare, effeciſti per DEI gratiam, ut ſentiret juventutem tuam non eſſe deſpiciendam, cum ejus in græcis & hebr. literis infantiam detexiſti, & impudenti ipſius ſophiſticæ injeciſti froena, &c.

turitate clariſſim⁹, à teneris ungviculis hebraicas literas ardentiſſimo ſtudio ſit amplexus; Syriacæ qvoq;, Chaldaicæ, Arabicæ & Æthiopicæ lingvæ notitiã incomparabilẽ ſibi compararit, factum, ut [præſidiis tantis inſtructus] inſignem adeò rerũ etiam orientalium peritiam conſecutus fuerit, ut doctiſſimos qvoſqve in ſui rapuerit admirationem, qvin imò *præcipuum ævi noſtri dictus ſit miraculum, cujus ſi qvis nomen* ignoret, aut ſtupendam cumq; ſum̃a modeſtia conjunctam eruditionem non ſuſpiciat, illum penitus ἄμουσον eſſe oporteat.* Tantæ verò gloriæ & exiſtimationis culmen attigit, poſtqvam geminum opus Sacro-phi-

* *Ita de Sam. Boch. Jo. Lud. Fabrici⁹ in Orat. inaug. de animor. immort. Heidelb. 1660. hab. quemadmodum & Mericus Caſaubonus loco quodam illum* divini ingeni Virum *nuncupavit.*

lologicum Orbis eruditi conſpectui expoſuiſſet. Alterum, GEOGRAPHIÆ SACRÆ bipartitæ titulo prodiit, accuratam de gentium diſperſione & terrarum diviſione (in ædificatione turris Babelicæ factâ) continens diſqviſitionem. Etenim cum eo de argumento plurimi qvidem ſtrictim & obiter, nemo accuratè & debito ſcripſiſſet ſtudio; Bochartus cura ſingulari telam nobiliſſimam pariter ac difficillimam ita pertexuit, ut è vetuſtiſſimis Chaldæorum, Phœnicum ac Ægyptiorum monumentis priſcarum gentium origines feliciſſimè exſculpſerit, atqve ex uno Moſis capite exqviſitiſſima de populorum originibus eruerit documenta; deniqve antiqvas Phœnicum navigationes ſubjunxerit, qvi aliqvot annorum centuriis ante Jaſonem & Argonautas, per totum mare mediterraneum ſe diffundere, & in plurimis Europæ, Aſiæ, & Africæ locis colonias diſſeminare cœperunt. Præclaro hoc opere viſo perlectoqve, Hieronymum Bignonium in hæc verba erupiſſe, conſtat *: SCALIGER, DRUSIUS, FULLERUS

Prodiit Boch. Geogr. S. primum Cadomi in Gall. an. 1646 in fol.

Gen. X.

* *Cadomenſis Bochartus* [ita Sarravius in literis ad Salmaſ. *an.* 1645 d. 15. Mart. exaratis ſcribit] *eruditiſſimum commentarium ad Geneſ. cap. X. perfecit, in qvo Geographia S. illuſtris & nova tractatio, cum omnigena doctrina conjuncta ſuaviter Te afficiet.*

Majus

Majus noſtro teſtimonium habet ab Ampliſſimo Bignonio, qvi hodie mihi affirmavit, Scaligerum, Druſium, Fullerumq; præ hoc noſtro ineptire.

RUS PRÆ BOCHARTO INEPTIUNT. Non cujuſvis enim eſt loca difficiliora interpretari commodè, & ad divini ſcriptoris mentem explicare gentium incunabula & primordia, præſertim cum nomina illa Ebraica decimo Geneſeos capite recenſita, tanqvam abſona & incondita Græci vel prorſus rejecerint, vel ita interpolaverint, ut qvæ manſerunt veteris appellationis veſtigia, ſæpè fugiant perſpicaciſſimos. Attamen Bocharto rara hæc obtigit felicitas, ut qvæ ἄλυτα aliis ſive minus explorata, ipſe mirô ingenii ſui acumine & facilè perſpexerit, & explicaverit dexterrimè. Luculentum ἀκριβείας hujus ſpecimen Bochartus in explicatione verſuum Punicorum, qvi apud Plautum in Pœnulo leguntur, edidit, primuſqve deprehendit, è ſedecim verſibus decem priores Punicos eſſe, ſex autem poſteriores Lybicos, in utriſqve eadem haberi qvæ in latinis undecim, qvibus ſcenam Poëta finivit. * Et cum eoſdem ver-

Geogr. S. lib. II. cap. 6. p. 800.

* Hinc Tanaqvillus Faber in notis ad Longinũ p. 288. Salmurij 1663. ed. Bochartum appellavit *Sacrarum humanarumqvè literarum lumen clariſſimum*, qvod *pro*

pro ſingulari ſua doctrina, longè aliter qvam cæteri eruditi loca obſcuriora in admirando opere, cui nomen eſt Phaleg tractaverit.

ſus craſſioribus mendis repurgatos ex Hebraiſmo egregiè illuſtrarit, ſenſumqve eorum mirâ explanarit felicitate, doctis Viris tantoperè ſatisfecit, ut cætera ejus meletemata ſingulari obſervatione commendationeqve digna judicarint, atqve univerſum Geographiæ S. opus ſummoperè deprædicarint vel eo nomine, qvod præclara adeò de lingvis antiqvis monumenta inibi reperiantur, qvemadmodū etiā rariora ejuſdem gazophylacii Bochartiani cimelia ampliſſimus qvidam in Gallia Senator, Moſantius de Brieux hunc in modum recenſuit: *De mari rubro, de ebore in Arabia Troglodytica, de thure Sabæo & Hyblæo melle, paſſim agit in ſacris ſuis pandectis, & ibi multa ſanctis Patribus vix lecta aut non ſatis intellecta aperit Bochartus ὁ πάνυ, cujus totum opus procedit à diluvio & ædificatione Turris Babel &c.* * Qvid dicturus fuiſſet integerrimus

Poëmat. pag. 41.

* *Sed & de Helleniſtarum idiomate Bochartum egregia, & magnam Ebraiſmi peritiam teſtantia in hoc opere prodidiſſe H. Grotius in qvadam epiſtola ad Sarravium 1650. ſcripta judicavit.*

ſimus ille Togatus, ſi alterum qvoqve *BOCHARTI* opus * *DE ANIMALIBUS BIBLICIS*, duobus voluminibus excuſum uſurpaſſet oculis, cujus rationem ac inſtitutum ipſe in præfatione operi præfixa hunc in modum expoſuit: *Poſtqvam,* [ſcil. in laudato Geographiæ S. opere] *de primis terrarum egimus incolis, qvorum origines in profundis tenebris merſas, & longa vetuſtate obſitas eruere conati ſumus, ad alios Mundi incolas nos conferimus, qvi licet ratione dignitatis cum hominibus nullatenus ſint conferendi, eos tamen & temporum ſuperant antiqvitate, & ſedium amplitudine, bruta nimirum animalia, qvæ ante hominem creata, non culta ſolum loca occuparunt, ſed & vaſtiſſimas ſolitudines, & altiſſima maria & patentiſſimos aëris campos, ne ulla naturæ rerum pars vacaret &c.* De hiſce itaqve irrationalibus Mundi incolis, in HIEROZOICO ſuo Bochartus ita diſſeruit, ut minutiora qvidem, atqve uberius ab aliis tractata omiſerit, nec ſcrutari penitius animalium natura-

Verba ſunt ipſius Bocharti ex præfat. Hierozoico præfixâ.

Mmm 5

* *Hierozoicon Bocharti, ſive bipartium opus de animalibus S. Script. primùm prodiit Londini 1663. in fol.*

turalem hiſtoriam voluerit *, attamen [qvod magis decet Theologum] ea qvæ Sacri ſcriptores, & præter Chriſtianos interpretes, ipſi Ebræorum, Chaldæorū, Perſarum, Arabumq; magiſtri, de brutis tradiderunt tum qvadrupedibus, viviparis & oviparis, tum de ſerpentibus, inſectis, aqvaticis, & fabuloſis animalibus, diligentiſſimè eruerit, multaqve eximia, & Europæis hactenus ignorata, cum eruditis duxerit communicanda. Evolverat qvippe Bochartus non græcorum ſolùm & latinorum doctiſſima monumenta, verum etiam Scriptorum Orientalium rariſſima volumina, & ex tam divite penu, ſuam inſtruxerat peram prius, qvam ad HIEROZOICUM conſcribendum ſeſe accinxiſſet. Neqve verò hic ſtetit animi *SOLERTISSIMI* ardor, ſed alia qvoq; dedit reconditæ eruditionis documenta, qvæ tamen in lucem nondū prodierūt. Deſideramus qvippe inſignem Bocharti de PA-

* *Quantum alias in philoſophico ſtudio profecerit Bochartus, epiſtolâ peculiari ad Anton. Walæum Leydenſem Theologum* de motu voluntatis per intellectū *exaratâ, operibusq; Cameronis inſerta oſtendit; nec leve eruditionis ſuæ Hiſtorico-eccleſiaſticæ ſpecimen edidit in alia ad D. Morleyū,* de Presbyteratu & Epiſcopatu *diſſertatione epiſtolari, Pariſ. & Lugd. Bat. excuſa an.* 1650.

PARADISO TERRESTRI diatribam, atq; aliam de *MANDRAGORIS* a) porrò eruditiſſimas in hiſtoriam *Veterum Gallorum obſervationes*, b) qvas ante laudato Senatori Moſantio inſcriptas, modeſto qvidem, aſt Reip. literariæ detrimentoſo conſilio typis mandari noluit. Qvid, qvod Ampliſs. Sarravius, grandem Bocharti epiſtolam de *Regicidio Anglicano* penes ſe eſſe, alicubi memoraverit, luci nondum expoſitam, nec forſitan exponendam? *Penes me* (ſcribit) c) *eſt grandis Bocharti noſtri epiſtola, ſuper Anglicanâ anni proximè præteriti Tragœdia, Jus Regium it ſtabilitum maximè ex S. Scripturâ, & à noſtris ſuſpicionem amolitur, quâ nonnulli eos infamant, iniqvum eſſet adeò pium ac nobilem fœtum premi & ſuffocari.* Enecatus tamen, inqve perpetuis tenebris hic qvoqve ingenii doctrinæqve Bochartianæ fœtus jacet ſepultus, idemqve fatum epiſtolica illa diſſertatio ſubiit, qvâ Grotii de Antichriſto ſententiam paulò

a) *Utriuſqve diatr. mentionem fecit Sarravius in Epiſt. ad Jacob. Palmerium Lut. 1639. ſcriptâ.*

b) *Laudat eas, ſibiq; inſcriptas memorat D. Petrus Moſantius Senator in epiſt. ſupra cit.*

c) *Sarrav. in Epiſt. ad Salmaſ. Lut. 19. Mart. 1650. ſcript.*

paulò accuratius examinavit: * *Bochartus nuper* [ſcribit idem Sarravius] *de Grotii Antichriſtiana diatribâ à me interpellatus, divinam epiſtolam reſcripſit, rationum pondere & momento, ut nihil validius ſubtiliusve poſſit in eo genere cogitari. Urge quæſo, ut ſcriptionem perficiat, ex quâ magnum authori decus, & puriori Eccleſiæ compendium maximum accedet.* Qvantumvis verò ab eruditis plurimis, iſtud ſententiæ Grotianæ examen anxiè fuerit efflagitatum, pacis tamen tranqvillitatiſqve ſtudiũ, (cui modeſtiã ſingularẽ author ſociavit) apprimè prohibuit; qvo minus in lucẽ fuerit emiſſũ. Sed & egregiæ αὐταρκείας documentũ in eo dederat Bochartus, qvod ad ſplendidiora munia, & altiora honorum Academicorum ſedilia vocatus, in humiliori ſtatione Cadomi conſeneſcere non dubitaverit. Haud ambiguo etenim rumore, verum probatiſſimi Viri, ipſiusqve D. Moſantii Senatoris indicio † conſtat, Bochartum ſæpius ſub maximi honoris, nec mediocris ſtipendii ſpe, à Fœderati Belgii Ordinibus invitatum, qvin imò literis humaniſſimis compellatum, illuſtres ejuſmodi

* *Sarravius Gallice in alia ad Jac Palmar. epiſt. Rothomagi Kal. Aug. 1650. exarata.*

† *Moſantius de Brieux in ſupra laud. Poem. p. 41. in cujus etiam obitum elegantiſſ. elegiam* [illegible] *Bochartus conſcripſit, atque Cadomi 1855. in lucem emiſit.*

di ſpartas modeſtè non minus, qvam prudenter ſubterfugiſſe, inqve humiliori functione permanere maluiſſe, qvam altiori in ſtatu dubiæ fortunæ ſubire aleam. Sedis itaqve patriæ amantior licet Bochartus fuerit; nullas tamen non de universâ Republica literariâ benè merendi occaſiones arripuit, atqve ſingularem in exornanda illuſtrandaqve philologia ſacratiori induſtriam ac diligentiam ad vitæ finem uſqve, doctis ubiqve applaudentibus * comprobavit, paucisqve ab hinc annis teſtatam fecit diſſertatione qvâdam eruditiſſimâ de qvæſtione: *Num Æneas unqvam fuerit in Italiâ?* † qvod Bocharti noviſſimum meletema etiam haud parum raræ ac

* *Utpote* G. Joh. Voſſio *de Philoſoph. ſectis p.* 5. Sarravio *in epiſtolis paſſim*, Menagio *not. Ital. ad Amyntam p.* 151. 196. Lud. Capello *præf. in Chronol. S.* Jo. Scheffero, *in opere de mil. navali p.* 341. Iſaaco Voſſio, *not. in Pomp. Mel. paſſim*, cumprimis Paulo Colomeſio *in Galliâ Orientali*, (*Bocharto conſecratâ*) *p.* 215. & 261. *ubi haud abs re illi illuſtrem inter Gallos hebraizantes, ſive linguam ſanctam excolentes locum aſſignavit.*

† *Hanc Bocharti epiſtolam ad Dn. de Segrais ſcriptam, ex Gallico ſermone in latinum vertit Joh. Schefferus Argentor. atque Hamburgi* 1672. *in lucem emiſit.*

ac reconditæ eruditionis continet, præcipuè qvod inibi uno qvaſi intuitu undiqvaqve collecta occurrant, qvæcunqve de lingvâ rebuſqve Phrygum apud veteres reperiuntur. Ut de locis qvibuſdam ſcriptorum veterum taceam, qvi in eo opuſculo ingenioſè ſatis ac feliciter ſunt emendati. Egregiè planè ibid. demonſtravit, ridiculum eum fore, qvi Æneam in regionem Latinorum duxiſſe ſtatuerét coloniam, ex qvâ ortus ſit populus Romanus, Cæſaresqve de progenie Veneris & Æneæ provenerint, qvin & probam, valdeqve neceſſariam eſſe judicavit ejuſmodi erroris refutationem, qvo DEI gloria impugnetur, & gentilis ſuperſtitio qvoddam capiat incrementum. Iis deniqve in univerſum placitis contradicendum eſſe, ſapientiſſime ſub finem diſſertationis laudatæ monuit, qvibus ſubſcribere neutiqvam poſſimus, niſi ut ſalutem noſtram graviſſimo periculo exponamus. Utinam Philologi huc ſemper vires ſuas, raramqve intenderent eruditionem, ne chriſtiana pietas ex irreligioſis, ſcandaloſis, & temerariis aſſertionibus qvicqvam capiat detrimenti; utinam conqviſitas Ægyptiorum opes ad Templi Dominici ſtructuram potius, qvam everſionem conferrent, atqve præclara Bocharti premerent veſtigia: ſic etenim dubio procul non tantam Religionis fideiqve chriſtianæ jacturam paterentur, ut alii,

qvi

qvi ſpinoſis & ſæpè pernicioſis qvæſtionibus decidendis intenti, revelatæ etiam veritati ſeſe opponere, ſaltim obſcurare eam potius ac intricare, qvam expedire evolvereqve conſveverunt. Tantam eqvidem laudem, inqve erudito orbe exiſtimationem, aſſertionibus ſuis temerariis atq; pernicioſis minimè illi lucrabuntur, qvantam Bochartus, cum aliis qvibuſdam doctioribus pariter ac melioribus Sacro-ſanctæ Scripturæ vindicibꝰ etiam poſt fata eſt conſecutus.

COM-

COMMONEFACTIO XXXI.

GENIUS ERRANS,

ET FIDUS ACHATES,

SIVE

DE NOXA ET PERNICIE PRÆSENTISSIMA DESULTORIÆ IN SACRO ET LITERARIO CAMPO LEVITATIS;

NEC NON DE

ARCANA FELICIUM QVORUNDAM LITERATORUM IN STUDIA MELIORA ET SANCTIORA PROPENSIONE.

UNA CUM

APPENDICE, DE VERA LITERATORUM HOM. NOBILITATE,

Ad Comment. IX. num. XIII.

I.

TAnta in LITERATORUM HOMINUM ſtudiis actionibus & conatibus varietas atqve diſcrepantia cernitur, ut haud abs re du-

dubitari poſſit, an facilè inveniantur in toto terrarum Orbe aliqvot eruditi, qvoad diſcendi inclinationem & ingenii rationem exqviſitiſſimè æqvales. Et ſive res ipſas conſideret Theoſophus, circa qvas docti occupantur, ſive cujuſcunqve ſtudiorum generis circumſtantias concurrentes intueatur, mirifica ubivis differentia illius obtutui obveniet, ſiqvidem alii hoc, alii iſto aut illo doctrinæ genere delectentur; hos literarum humaniorum ſvavitas alliciat, alios qvæ mentem magis erudiunt diſciplinæ recreent, pleriqve animum ad artes ac ſcientias ſublimiores æq; ac honorificentiores, nec non rei privatæ adaugendæ, & vitæ ſuſtentandæ aptiores ducant applicandum. Et ſicuti multivariæ in vitâ communi voluntatum & actionum humanarum inordinationes occurrunt; ita inter doctos cumprimis eas deprehendere licet animorum & ingeniorum, ex varietate aberrationes atqve anomalias, qvæ menti altiora ſpiranti graviſſimo offendiculo, viroqve ad ſummæ felicitatis adeptionem enitenti maximo obſtaculo eſſe poſſint, qvo minus ad optatæ illius proſperitatis ſedem propius accedere, & ſvaviſſimo Muſarum ſanctiorum contubernio gaudere qveat. Non rarò [eheu !] præclariſſima, & ad extendendos ſcientiarum terminos, per facilem naturæ inclinationem aptiſſima ingenia, modis variis depravantur,

cumprimis ſi indepta fuerint manuductores ſive ineptiores ſive ſegniores, qvorum culpâ neglecti agri, naturâ ſuâ ſatis fœcundi, ſterileſcunt, nec tam rigantur, placidéve nutriuntur plantæ teneræ, qvam obruuntur potius, ac ſubmerguntur penitus, evertunturq;. Atqve hæc non poſtrema cauſa eſt, qvod fœdi adeò INGENIORUM ABUSUS, & à regia ſupremæ veritatis felicitatiſq; via, tam pudendæ aberrationes, ſæpè prudentiorum obtutui obveniant.

II. Nec eſt, qvod prolixius enormem illam ingeniorũ diſcrepantiã explicemus, cũ argumentum iſtud fuſius pridem pertractarint alii. Animum potius admiratio ſubit, qvod tanta non rarò UNIUS ejuſdemqve INGENII diverſitas ac variatio deprehendatur, ut locum qvo firmiter conſiſtat, aut ſtudiorum genus, cui diutius inhæreat, invenire vix qveat, adeoqve à vero doctrinarum ſcopo toto qvod aiunt cœlo ſummoperè aberret. Freqventiſſima æqve ac pernicioſiſſima, & ad animos nobiliores immedicabiliter intoxicandos ſummè efficax eſt DESULTORIA illa ingeniorum LEVITAS, & continua literarii inſtituti variatio, qvippe qvæ efficit, ut mentes etiam præſtantiſſimæ, recto [uti modo diximus] tramite rarò incedant, verum ad ſyrtes & ſcopulos pericuIoſiſſimos naves ſuas adfligant, & præcociter nimis ad metam fatalem

talem devolvantur. Turgeſcentibus undis marinis eas dixeris ſimiles, qvæ vorticoſo impingunt in littora impetu, eâdem qvâ acceſſerunt celeritate mox in ſe ipſas retrocedentes: aut igniferis tubulis, artificio ſingulari jactis, qvæ celeriter qvorſumcunqve per aërem feruntur, tramitem regularem minimè obſervantes, nec qvicqvam conſtantiæ aut perpetuitatis, plurimùm verò nitroſi ſtrepitûs & evanidæ coruſcationis emittentes. Profectò non niſi deſultoriâ levitate qvoſdam incitari videmus ad illa rimanda ediſcendaqve, qvorum notitia nihil emolumenti, damni autem plurimum, graviſſimamqve ſanctiſſimi Numinis offenſionem apportat. Non qvidem multa ſciendi cupiditas mentibus præſtantioribus vitio vertitur, neqve deſiderium incognita rarioraqve pernoſcendi protinus illis eſt interdicendum, cum pleriqve philoſophorum veterum varias peragrarint provincias, ad magiſtros artium & ſcientiarum inviſendos, variæqve doctrinæ ſupellectilem conqvirendam; nimia tamen & inepta divagatio literato ad veræ felicitatis ſedem tendenti, cane pejus & angve eſt devitanda, qvæ nobiliora etiam ingenia tantoperè utplurimum infeſtat, ut promiſcuè & ſine ullo delectu, non ad inutilia modo atqve ſuperflua, ſed etiam ad non veſtigabilia imò prorſus noxia ferantur, & viis atqve rationibus minimè

conceſſis ſupremæ eruditionis faſtigium conſcendere pertentent.

III. Prodiit ante triennium in lucem Kilonii, de INGENIORUM in ſcientiis ABUSU perniciosiſſimo Commentatio inſignis, cujus author eruditiſſimus, Jo. DANIEL MAJOR Uratislavienſis [poſtqvam ſummam ingeniorum ac temperamentorum diſcrepantiam expoſuiſſet, & graviſſimos qvoſdam in ſcientiis notaſſet abuſus,] TRIPLICEM GENII humani ERROREM detexit, viviſqve qvod ajunt coloribus expreſſit. Primum errorem eſſe ſtatuit INGENIORUM ALTIVOLANTIUM; qvæ velut nimium ſibi blandientia, aut tribuentia, Phaëthontæo qvodam fervore ac impetu ad qvævis magnifica & ardua agantur, ac licet eam ob cauſam omni laude deſtituenda haudqvaqvam videantur, rationi tamen maximè conſentaneum eſſe, qvod inoffenſo niſu illa ad veritatis doctrinæqve ſolidioris Acropolin vix ac ne vix qvidem perventura, ſed perſvaſionibus ſuis obcæcata, retrò in errorum ſyrtes miſerè ſint prolapſura. *Dum enim* (addit notanter) *primo impetu pleraqve exiſtimant vel vilia nimis ac ſe indigna, vel facilè ſuperabilia, quæ verò intimius perſpecta, difficultates longè maximas oſtendere ſolent, utiqve illa hoc pacto in augmento ſcientiæ moram non levem patiuntur, ipſaqve adeò ſibi officiunt, ut longè fuiſſet conſultius a ſuſcepto au-*

ſu aliqvandiu deſiſtere, & exporrectas in altum pavonum pennas, aliqvantò modeſtius complicare. Cæterum, primæ illi Stellarum errantium claſſi, laudatus ſcriptor jungenda duxit ingenia, PROLIXA nimis atqve vaſta OPERA molientia, cum præſtet in ſingulari aliqvâ materia occupari, eamqve perveſtigare tantò curatius; qvandoqvidem inter vitæ noſtræ brevitatem, infinitis diſtractionibus animi ſubjectam, & inter Syſtematis alicujus dignè elaborandi amplitudinem, exigua prorſus imò nulla proportio exiſtat, ſed & ſingularis aliqva materia ejus plerumqve conditionis eſſe ſoleat, ut totam hominis, ingenio valentis, vivacis & alacris, nulliſqve immerſi curis rei domeſticæ, ætatem facilè ſuperet. Ad eandem deniq; GENIORUM ERRANTIUM ſeriem, præfatus ſcriptor nullos non EXCESSUS igeniorum revocavit, atqve eruditorũ, viribus ſuis nimiopere fidentium paroramata; dum ſc. vel vaſtiſſimorum operum compendia (verius diſpendia) moliantur, vel ex varietate ſcribendi inanem gloriolam conſectentur, vel pleroſqve authorum tractatus, uni alicui facultati conſecratos, neceſſariò ſibi legendos & evolvendos ſtatuant, vel pluribus lingvis addiſcendis nobile tempus & ſumtus cum memoria impendant, vel ipſa etiam tentent impoſſibilia, vel definitiones aut demonſtrationes de rebus omnibus poſtu-

lent, vel exoticas literas, v. g. Ægyptiaca monumenta, inſcriptiones Romanas, aliaſq; antiqvitates ſollicitè nimium ſcrutentur, vel deniqve experientias fictas pro veris multoties ad crepaturas aurium jactare non dubitent.

IV. Alterum INGENIORUM ERRANTIUM genus, laudatus author TORRENTIS MERSI titulo indigetavit, eos ſc. notãs errones, qvi nõ ad ſublimia, ut Altivolantes illi ferantur, ſed ad PROFUNDA NIMIS tendant, & ſubmerſi torrentis inſtar, in vetita qvædam barathra dilabantur: *Hoc cenſu* (pergit ille) *ſtant, qvi vel ad pauca qvædam principia phænomenon qvodvis volunt reſtringere, vel minutias qvaſdam nimis argutule ſectantur, vel indignas erudito labore materias ſcribendi eligunt, uti ſunt ficta, ludicra, ſordida, abjecta, aut alias otioſa, & ingenium ſaltem inutiliter prorſus torqventia; vel ſibimetipſis diffidunt, & omnia ingenio ſuo impoſſibilia judicant, vel per ignaviam nihil laude dignum tentare cupiunt, vel dubitationibus aut Sectæ neo-ſcepticæ enormiter adhærent, vel creduli ad qvidvis nimium ſunt, vel præjudiciis, undâqve authoritate veterum trahuntur, vel deniqve honore propriæ nationis negligentius habito, qvidvis ſaltem extraneum mirantur, ſtupent & celebrant.* Tertiam deniqve cohortem, ſcriptor ingenioſiſſimus ex illis erronibus conflavit, qvi ſibi ac

aliis

aliis moram non levem in ſcientiæ mundanæ curriculo injiciant, & qvi tranſverſim huc illuc, velut canes in itinere, aut alioqvin ſicut IGNES LAMBENTES aut fatui ad avia ferantur, nec minus circa modum ſcopumve tractandi toto cœlo exerrent. Atqve ad hanc poſtremam catervam, STELLÆ illæ ERRATICÆ ſunt referendæ, qvarum *deſultoriam levitatem* hâc potiſſimùm Commonefactione duximus configendam. Siqvidem noſtrum etiam ævum noverit præclariſſima atqve nobiliſſima qvædam ingenia, peſte illa execrabili miſerrimè correpta atqve corrupta, inqve perpetui exitij barathrum detruſa atqve deturbata. Rogamus itaqve atqve obteſtamur cunctos literarum amantiores, ut peſſimum iſtud ruinæ humanæ, pudendæqve fallaciæ elementum magis cognoſcant, & abdicatâ infelici illâ & infami variatione deſultoriâ, doctrinæ cujuſvis ſtudio ſolidiori invigilent, cæterum impuro illo aëre qvodammodo infecti, ad meliorem tranſmigrent Orbis eruditi regionem. Nec eſt, ut de ratione, qvâ id ipſum fieri debeat, aut de REMEDIIS, qvibus tempeſtivè, pernicioſiſſimis GENII ERRANTIS anomaliis, utcunqve obviam iri poſſit, prolixè diſpiciamus; ſiqvidem remedia illa alibi diſertè expoſita, atqve ſub Commentationis nonæ finem ſollicitè commendata fuerint. Hæc inter facilè præcipuum eſt,

SCOPI ſeu finis certi electio, qvam ſibi maturâ deliberatione literati vagi præfigant ut metam, ad qvam citatis eqvis abſqve longiori ambage decurrant; ut, Spartam, qvam incerto longoqve feſſi itinere aliqvando colant & incolant; ut portum, in qvo feliciter tandem acqvieſcant. Ac licet prolixior in ſtudia multivaria evagatio, non rarò hominis Literati induſtriam acuat, atqve torporem mirificè excutiat, frœnum tamen, ad nimiam ſcientiæ appetentiam temperandam, maturè prudenterqve eſt adhibendum, ne animus velut graviſſimo pondere ultra rectum deprimatur, & ad earum rerum cognitionem pertentandam abripiatur, quæ homini neutiqvam ſint conſentanea, aut qvarum apprehenſio, periculo animæ omnium graviſsimo finitima exiſtat.

Conf. Cōment. IX. pag. 1017. ſeqq.

V. Non abs re qvidem, maximo honori ac voluptati Vir literatus ſibi ducat, ſi in omnium omninò Sapientum poſſeſſiones figere veſtigium poſſit, & qvaſi ſcientiarum hæreditatem ſibi relictam cernere; cum nec alius olim fuerit Bibliothecarum extruendarum finis, qvam ut earum beneficio ſalutaria & utilia qvæqve in horreum memoriæ conderentur, menteſqve præſtantiores, copioſioris eruditionis ſcatebrâ recrearentur. Qvid, qvod eapropter aſſidua librorum pertractatio elegantiſſimè dicta ſit illuſtris illa Phœbi cortina,

qvâ, ſapientiora adeuntibus oracula fundantur, vel ipſius Minervæ apotheca, vel celebre Mercurii ſalinum, unde candidiſſimos ſales, omnium ſcientiarum & facultatum cultores promere poſſint. Nihilominus ſummoperè cavendum eſt Literato ad veram tendenti felicitatem, ne ipſa delitiarum librariarum nimietate & copia obruatur, multijugaqve lectione ſive confundatur, ſive in fatuam eorum ſententiam abeat, qvi olim apud Dionem & Platonem, OMNIA ſibi penitus PERSPECTA dicebant, qvemadmodum etiam eò vecordiæ nefas eſſet erudito procedere, qvo Euthydemus ille qvondam proceſſit, qvi in oſtentanda eruditione ſuâ diligentiſſimè cavebat, ne qvicqvam ab alio accepiſſe videretur: Sanè qvicunq; ſive iſto, ſive illo extremo ſeſe abripi, atqve in devexum agi patiuntur, nullibi non graviſſimos dementiæ ſuæ caſtigatores invenient; maximè verò infelices illi ſcioli, ERRANTI ſuo GENIO nimiopere indulgentes, & deſultoriâ levitate ab ipſius veritatis tramite miſerè aberrantes. Sicuti juſtiſſimè reprehenduntur intemperantius edentes, aut ſolius oblectationis, non verò nutritionis cauſa cibos capientes; ita meritiſſimo jure illi qvoqve ſunt redarguendi, qvi diffuſæ eruditionis ſtudium, & copioſam librorum lectionem non niſi ad ſolam animi voluptatem ducunt revocandam. Non qvod de-

lectabile ſolùm, ſed qvod utile potius & ſalutare videatur, ij curâ ſectentur diligentiori, qvi felicitatis perpetuæ brabeo tandem aliqvando volunt exornari. Tantum profectò eruditioni ſolidiori & ſacratiori ineſt oblectamenti, ut etiam ſæpius repetita non diſpliceat, novamqve ſibi ſubinde in ipſa ſatietate appetentiam creet, cum ex adverſo voluptati, ex deſultoriâ levitate enatæ, faſtidium plerumqve finitimum ſit, errori pudendo ſociatum.

VI. Cæterum, egregiam illam felicitatem mirificè promovet alter ille GENIUS, qvem FIDI ACHATIS titulo inſignivimus, & arcanam qvandam in ſtudia *meliora* & *ſanctiora* propenſionem duximus ſalutandum. Et cum nullo non tempore in omnibus illis, qvi meliores ſcientias & diſciplinas vel primi excoluêre, vel reſtauravêre collapſas, ſingularis erga bonas doctrinas προθυμία & propenſus affectus fuerit deprehenſus, nec unius ævi hiſtoria largam eorum copiam ſubminiſtret, qvi eruditionis amplioris conſeqvendæ gratia, arduos qvosqve labores, & longinqvas peregrinationes ad Græcos uſqve, Perſas, Indos, Chaldæos, Ægyptios, ipſosqve Garamantas ſuſcepêre, nihilqve (pro flagrantiſſimo ſuo erga literas affectu) inacceſſum & intentatum reliqvêre: Cumprimis tamen ſuperius & proximè antegreſſum ſeculum, ſtupenda prorſus fer-

fervoris ſive προθυμίας illius exempla atqve documenta ſuppeditavit, cum felicia adeò ingenia tulerit, qvæ auſu pluſqvam Herculeo, barbariei tunc regnantis diſpulſionem ſunt meditata, & ferventiſſimo erga doctrinas abſtruſiores affectu incitata, nihil non laborum & tædiorum, calumniarum æqve ac moleſtiarum duxêre devoranda. Qvantam bone Deus, curarum, qvantam invidiæ & detractionum molem, Magnus ERASMUS ROTERODAMUS ſibi attraxit, cum politioris doctrinæ reſtaurationem perficere inſtituiſſet, tanto magis profectò illi timendæ erant Stunicarum, Leorum, Sutorum, Bucentarum, Standiciorum, Dorpiorum, aliorumqve adverſantium, & miro barbariei amore flagrantium pſeudo-ſophorum inſidiæ, qvo & ingenio erat excelſiore, & animo ab ignorantiâ, (procaci impudentiæ ſociatâ) magis alieno, neqve tot ab eo conſcriptæ apologiæ, inqve publicum emiſſæ luculentiores famæ purgationes impedire potuêre, qvo minus etiam à doctioribus, inqve eodem ſecum literaturæ eruditionisqve genere verſatiſſimis Viris; Fabro ſcil. Budæo (qvi lucubrationes ejus, λεπτολογήματα appellare non dubitavit) aliisqve graviſſimè fuerit impetitus. Nec mitior ſors JOHANNI REUCHLINO, ſive Capnioni affulſerat, qvem feliciſſimum græcæ hebraicæqve literaturæ in Germania reſtauratorato-

Conf. Coment. IV. de invid. lit. p. 470.

ratorem, æqve caninis morſibus freqventiſſime læſum, probrisqve innumeris, ignarorum & ignavorum, invidorum æqve ac infidorum fratrum divexatum fuiſſe alibi memoravimus. Ac licet philognoſtæ alii, neutiqvam tantum fortunæ malignanti ludibrium debuerint, neqve ob adamatum doctrinæ melioris apparatum, atrocibus adeò injuriis odiisqve patuerint, incredibiles tamen labores illis ſuêre impendendi, & graviſſimæ moleſtiæ devorandæ, cum ſive lingvarum & artium, ſive ſcientiarum & diſciplinarum ſublimiorum reſtaurationem eſſent aggreſſi. Qvam ſollicitâ curâ JOH. ALBERTUS WIDMANSTADIUS Syriacæ Arabicæqve lingvæ peritiam in Chriſtianas ſcholas introducere ſtuduerit, qvantumqve laborem in plerisq; Novi Teſtamenti libris Syriacè edendis impenderit, non ſine ſtupore legitur in epiſtolâ ad Ferdinandum I. Auguſtiſſimum Imperatorem, qvam Sacro-ſancti Evangelii libro, characteribus & lingvâ Syrâ expreſſo præſcripſit. Nec minori remiſſioriq; ſtudio WOLFFGANGUS MUSCULUS cognitione græcæ lingvæ (licet qvadragenario major) Auguſtæ Vindelic. Xyſto Betulejo magiſtro exambivit, tantum ut ſalutarem qvandam in Patrum Græcorum, Baſilii, Euſebii, Chryſoſtomi, & Cyrilli monumentis latio donandis, locare operam valeret; qvinimò pro immenſâ ſua erga lingvarum

rum ſtudia προθυμία, literaturam etiam Arabicam apprimè duxit excolendam. Hieronymum Wolffium, præfulgidum Auguſtæ noſtræ, univerſæqve Reip. Literariæ decus, à mirifico doctrinæ humanioris amore, Muſarumqve elegantiorum culturâ, neqve pater indignans, ac ſumtus tandem denegans, nec alii graviores fortunæ inſultus, nec ipſa deniqve ſtudiorum ad tempus invita deſertio avellere potuerunt. Arcano itidem naturæ ductu, ætate noſtrâ Wilhelmus Schikardus non ad Ebræos modo & Chaldæos, verum Perſas etiam & Arabes fuit delatus, atqve ſtupendo prorſus labore, indefeſſoqve ſtudio, lingvarum iſtarum ſupellectilem ſibi comparavit. Et cum igneo planè cæleſtis ingenii vigore eſſet præditus, curâ etiam indefatigabili, per immensâ cæli ſpatia decurrit, h. e. ad augendas illuſtrandasqve diſciplinas Mathematicas tanta ſeſe applicuit induſtriâ, ut multa qvotidie novâ invenerit, multa veterum deprehenderit errata, nec pauca aptius longè atqve ſolidius commonſtrarit. Haudqvaqvam Medicorum filios latet, qvantâ ſollicitudine ANDREAS VESALIUS* collapſam penitus rem Anatomicam reſtituerit,

Confer Melch. Adam. in vit. philoſ. p. 304.

Confer Templ. Honoris p. 337.

* *Confer Veſalii epiſt. ad Carol. V. Imper. qvæ præfixa eſt operi de fabricâ corpor. humani, ut & libr. de radice Chinæ, &c.*

Cluſ. Præf. in rarior. plant. hiſtor.

erit. Et qvam præclarè fructuoſeqve ad plantarũ obſervationem propenſus fuerit CAROLUS CLUSIUS: qvo etiam ardore, noſtro tempore nonnulli erga doctrinas nobiliores flagrarint, qvodve operæ pretium in eâ arte fecerint, cujus deſiderio fuerunt occupati, (etiamſi illa diſcendi, artiumqve ſtudia excolendi cupido, in pleriſqve ævi recentioris animis valdè deferbuerit) notius eſt, qvam ut prolixiori opus ſit commemoratione. Neqve ulla planè ratio ſuppetit amplius ambigendi, qvin mira ejuſmodi proclivitas, pro ſingulari divinæ benignitatis charactere agnoſcenda ſit atqve habenda, idqve tantò magis, qvanto flagrantior iſte affectus fuerit, qvanto item conſtantior, & remotior ab omni honoris atqve emolumenti privati affectatione. Et cum nemo ſibimetipſi vel vitam, vel ingenium, vel præſtantiores qvaslibet animi dotes comparare poſſit, ſed bona illa omnia à DEO proveniant, ideò non alii, præclara qvæqve indoles, & propenſus erga honeſtiſſima ſtudia affectus erit tribuendus, qvam Luminum Patri, qvi deſuper cuncta mortalibus dona liberali manu elargitur.

VII. Qvid tandem de ſalutifero illo, & fructuoſiſsimo æqve ac flagrantiſsimo SANCTIORUM HOMINUM erga PIETATIS ſinceræ ſtudia affectu dicemus; & qvem de beatiſſimâ iſtâ προθυμίᾳ feramus calculum,

qvâ

qvâ pectora qvædam DEO devota, ejuſqve ſpiritu agitati Doctores, à longo ſeculorum decurſo tempore, tantopere ſunt incitati, ut in Virtutis chriſtianæ illuſtratione & propagatione unicè voluerint occupari, cætera omnia (palmarij illius ſtudij intuitu atqve reſpectu) cum Apoſtolo habentes pro ſtercoribus, qvinimò univerſam profanæ eruditionis Rempublicam, non ſecus ac apertam qvandam vanitatis glorioſæ ſcholam refugientes; in qvâ ſc. cuncta viſu audituqve percepta, vana ſint, & redoleant vanitatem, in qvâ porrò magna eruditorum hominum pars ſpiritum trahat inglorium & anxium, nihil cœleſte ſapiat & divinum, parumqve curet maximum illud Salutis ſempiternæ negotium; multi qvid agant neſciant, ſeqve id neſcire non neſciant, neqve diſsimulent, cum nullis facilè conveniant, ut qvi ſecum diſsideant, extremæ deniqve perditionis periculo etiam atq; etiam ſint expoſiti. Profectò non niſi COELESTIS SPIRITUS nutu & inſtinctu, feliciſsimi qvidã Literati, uti morum, ita & ſtudiorum mundanorum tædio maximo afficiuntur, cogitantes ſc. qvo vergant omnes profanè doctorum labores, qvibus invidiæ & æmulationis ſubjaceant ſtimulis, qvibus ſe fatigent vigilijs, qvæ devorent faſtidia, qvas deniqve moleſtias patiantur, ut acqvirant eam qvæ momento durat eruditionem,

nem, & famam mox in fumum abituram conſeqvantur; ac eapropter ad veram animi formatricem ſapientiam anhelantes, de excolendâ & propaganda PIETATE, h.e. perenni illa philoſophia unicè ſunt ſolliciti. Evidentiſſimum inqvam, felices ejuſmodi animæ, inhabitantis divini ſpiritûs faciunt indicium. Et ſicuti ſanctiſſimum Numen eam mentem illis indidit, qvam *divinæ particulam auræ eſſe*, extranei etiam vates agnoverunt; ita animos eorum, actiones & ſtudia ſingula pro arcano ſuo placito ita dirigit, ut reliqvum vitæ mortalis tempus, non niſi ſinceræ pietatis ſtudijs, & propagationi virtutis chriſtianæ ducant impendendum. Sicuti Bezaleel & Ahaliabus qvondam divinitus ad Tabernaculi extructionem deſignati adaptiqve fuêre; ita non niſi cœleſti calculo & conſilio, ſacri illi opifices ad Templi Dominici ſtructuram ſeſe accinxiſſe videntur, ſanè ipſummet Deum illos vocaſſe, eorumqve cordibus ſapientiam & peritiam rectè in cœpto opere verſandi indidiſſe non eſt qvod dubitemus. Scilicet huc omninò pertinet ſacrum illud epiphonema, qvod varijs Spiritus Sancti donis enumeratis gen-
1. *Cor.* tium Doctor ſubjunxit: *Omnia hæc agit unus*
XII. *ille & idem Spiritus, diſtribuens peculiariter*
℣. 11. *cuiqve ſicut vult.*

VIII. Ingens profectò HIEROSOPHORUM talium ſyllabus, ſive conſignatio dari

clari poſſet, qvi in Chriſti Eccleſiâ varijs temporibus extiterunt, ac miro pietatis excolendæ, divinæqve gloriæ propagandæ ardore deflagrarunt, *ab uno illo eodemqve ſpiritu* incitati. Verum cum venerandus adeò Chorus, anguſtis commonefactionis unicæ cancellis & limitibus comprehendi vix poſſit viſum fuit TRIUM duntaxat PRIMORUM SECULORUM SCRIPTORES [poſt Apoſtol.] FRUCTUOSOS in apricum producere, qvorum videlicet curæ ſanctiores, ſub ipſa Chriſtianiſmi ſurgentis initia, cæleſte in terris Sacrarium mira luce perfuderunt, qvorumve monitis pariter ac exemplis inſeqventium ætatum Doctores Chriſtiani egregiè ſunt colluſtrati. Ex PRIMO qvidem ECCLESIÆ fundatæ ſeculo, pauciſſima ſuperſunt προθυμίας illius ſacratioris monumẽta. Neq; ſine ſingulari Dei T.O.M. providentiâ factum fuiſſe exiſtimam⁹, qvod præter Apoſtolica & Canonica ſcripta, vix alia integrè & ſine falſi ſuſpicione, vel certè ſine manifeſtæ interpolationis notis ad nos devenerint; non qvod nihil omninò literis conſignarint Præcones illi Chriſtianorum primigenei, ſed qvod divina Pronæa, ſeculum illud ſcriptis cumprimis Apoſtolorũ voluerit nobilitatum, & hoc ipſo caverit, ne ob vicinitatem temporum, alia [ſi magno numero extarent] monumenta cum θεοπνεύστοις illis confunde-

Ooo ren-

rentur. Maximi qvidem, ab antiqvis æſtimatum fuit HERMÆ, Paulini illius diſcipuli volumen, PASTOR inſcriptum, cum inibi inſtructiones qvædam moribus expoliendis, virtutiqve propagandæ aptiſſimæ reperiantur, & perſpicua qvædam primigenei Chriſtianiſmi ſimplicitas, vetuſtiſſimam opellam apprimè commendet; qvo etiam reſpectu Origenes a) *eam ſcripturam valdè utilem, imò divinitus inſpiratam*; Athanaſius b) verò *utiliſſimam*; Hieronymus c) *revera utilem librum* vocare non dubitarunt, ipſeqve Irenæus Euſebio d) teſte eundē authorē *approbatione ſuâ* duxit confirmandum: Verum cum liqvidò non conſtet, utrum libros, hodienum ſub PASTORIS titulo extantes, Hermas ſive Hermes ille familiaris Apoſtolorum conſcripſerit, ſaltim haud obſcura gentilitatis non prorſus in animo auctoris extirpatæ, interpolationisqve ab hæreticis factæ veſtigia in iisdem reperiantur, evenit, ut non ſolum inter ſcripturas dubias, qvas ἀποκρύφους Græci vocant, verum etiam ſpurias, & corrupta vitiataqve monumenta illud HERMÆ volumen, Cenſorum curatiorum calculo computatum ſit atqve rejectum. Ut ut hæc ſint,

a) *Origenes lib. X. Comm. in XVI. cap. epiſt. ad Rom.* b) *Athanaſ. lib. de incarnat. Verbi.* c) *Hieron. in Catal. Script. Eccl.* d) *Euſeb. lib. V. Hiſtor. Eccleſ. c. 8.*

ſint, utilem tamen, dignumqve lectu librum ſentio, ſecutus ſententiam Magni Hieronymi, infantem cum ſordibus neutiqvam ejicientis, & ab incivili illa qvorundam arrogantiâ prorſus alieni, qvi uno vel altero loco claudicante, opera authoris ſemel ſimulq; omnia ſtatuunt rejicienda, haudqvaqvam attendentes, qvæ inde capi derivariqve in ſacram rem emolumenta poſſint. Non contemnenda profectò monita HERMAS ille ſub Paſtoris Daduchiqve fideliſſimi titulo, pietatis Chriſtianæ cultoribus ſuggeſſit, præſertim libro ſecundo, mandatis qvibuſdam ſive præceptis ſaluberrimis referto; utpote de fide uni DEO præſtandâ, de fugiendâ obtrectatione, & eleemoſynâ in ſimplicitate faciendâ, de mendacio abdicando, de pœnitentia reaſſumendâ, de DEO timendo, & dæmone non metuendo, de fugiendo malo, & faciendo bono, de oratione non intermittendâ, de non contriſtando DEI ſpiritu, &c. Tertius qvoqve ejuſdem Paſtoris liber, qvi SIMILITUDINUM inſcribitur, authorem rerum ſpiritualium minimè imperitum oſtendit, talemqve omninò, qvi cum fructu & emolumento ſingulari, à cunctis Euſebiæ ſacro-ſanctæ amaſijs [judicio tamen dexteriori pollentibus,] legi atqve perluſtrari poſſit.

IX. Multo majori fructu philotheis ſeſe cōmendabunt alterius Apoſtolorum diſcipuli,

& imitatoris feliciſſimi reſidua monumenta, videlicet IGNATII THEOPHORI, cum ætas pariter ac virtus Apoſtolicæ proxima, & inſignis animi ſubmiſſio, & morum innocentia, & in JESUM ardens amor, & pro eodem ſangvis profuſus, inſignem honorem Ignatio illi omninò prærogaſſe videantur. Tantam profectò Viri ſanctiſſimi EPISTOLÆ (ſæpius noſtro ævo recuſæ) tamqve ardentem fidem, infucatæ ſociatam charitati ſpirant, ut inter præcipua antiqvitatis ſacro-ſanctæ lipſana & cimelia illæ ſint reponendæ. Sed & ſinceræ humilitatis, & vigilantiæ paſtoralis clariſſima inibi veſtigia comparere, alio loco à nobis planiſſime fuit demonſtratum. Neutiqvam verò lateat ſinceræ cultores pietatis ingens diſcrimen, qvod inter germanas Theophori, & inter ſuppoſititias epiſtolas neceſſariò ponendum eſſe peritiores judicarunt, pro genuinis habentes eas, qvæ ad Trallenſes, Magneſios, Philadelphenſes, Smyrnenſes, Polycarpum, Epheſios & Romanos ſunt deſtinatæ; In poſteriorem verò, ſeu epiſtolarum ſuppoſititiarũ claſſem rejicientes tam eas, qvæ titulotenus, & inſcriptione ſaltem, qvam qvæ etiam ipſâ ſcriptione & materia ſint adulterinæ, veluti epiſt. ad Mariam Zarbenſem, ad Tarſenſes, Philippenſes, Antiochenos, & Heronem, licet enim & hiſce poſterioribus qvoqve fidem nonnulli tan-

qvam

Confer Acad. J. C. Veterem pag. 3. ſeqq. Vid. Vindiciæ Epiſtolar. S. Ignatii anthore Jo. Pearſon ed. Cantabrig. 1672.

qvam genuinis tribuendam putent, alii tamen ſapientiores, manifeſtæ eas convicerunt impoſturæ, atqve penitus explodendas duxêre. Id ipſum verò non impedit, qvo minus & ſuppoſititiis qvoqve Ignatii epiſtolis ſua qvodammodo laus ſit concedenda, ſiqvidem in ipſis ſuppoſititiis nonnunqvam genuina aliqva, (ad ſententias & monita ſalutaria qvod attinet) doctrinæ item ſaniori conformia, & pietati excolendæ idonea reperiantur. Qvæ verò minus probanda aut erronea in iiſdem anagnoſta candidus deprehenderit, ea à bonis & ſalubrioribus exhortamentis meritiſſimo jure, & bona cum æqvitatis pietatiſqve veniâ, ſive ſecernenda ſive eliminanda eſſe reputabit.

X. Cujuſmodi cenſuræ aleam, præ cæteris primi ſeculi Chriſtiani ſcriptoribus, ætate noſtrâ ſubierunt opera DIONYSIO AREOPAGITÆ vulgò adſcripta, & ſub ſplendidiſſimorum titulorum, ſc. *Cœleſtis & Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, Onomatologiæ divinæ, & Myſticæ Theologiæ* umbone in publicam lucem ſæpius emiſſa: Sanè cum ea opera totis tribus ſeculis, qvæ Dominicum in terris natalem proximè conſecuta ſunt, planè, penituſqve ignota, indicta, & innominata fuerint, & nulla uſpiã apud vetuſtiſſimos Chriſtianiſmi Scriptores, librorum illorum Dionyſianorum fama extet; non malè colligitur, qvendam

de qvarto vel qvinto ſeculo artificem, opuſcula illa, Dionyſio Areopagitæ falsò huc uſqve tributa, conſcripſiſſe, & pro tanti Doctoris, auditoriſqve Apoſtolici monumentis genuinis venditaſſe. Qvid, qvod & ipſe Græcanicæ literaturæ & philoſophiæ character in ſcriptis illis pſeudo-Dionyſianis elucens, apud primi iſtius ævi Scriptores chriſtianos planè inuſitatus fuerit; & obſervante nonnemine, nullus ex omni chriſtianiſmi remotioris memoriâ, nullus ex ipsâ Ethnicæ eruditionis officinâ author prodierit, qvi eam eloqvendi rationem, atqve ideam uſurparit, qvam iſte Dionyſius cupidiſſime ubiqve eſt conſectatus. Magis profectò ſpiritum Apoſtolicum redolet, & dicendi characterem exprimit, celebris illa CLEMENTIS ROMANI epiſtola, ad Corinthios primo ſeculo exarata, qvam Veteres indictam minimè tranſmiſerunt, & ob reconditum in ea doctrinæ melioris, atqve pietatis eminentioris theſaurum, effuſiſſimis elogiis exornarunt. Cujuſmodi etiam laus competit ſanctiſſimi Polycarpi *Epiſtolæ*, qvam è multis unicam ad PHILIPPENSES ſub ipſa Chriſtianiſmi primordia ſcriptam poſſidemus, & HIEROTHEI, PAPIÆqve fragmentis, ſi modo ea ſine falſi ſuſpicione ad nos perveniſſent, aut à Petro Halloixio, fide integra, priori *illuſtrium Eccleſiæ Orientalis Scriptorum* Tomo inſerta fuiſſent.

Confer Dalæi tract. de Scriptis quæ ſub Dionyſii nomine circumferuntur ed. 1666

Dubi-

Dubium ſanè non eſt, plures eoſqve inſignes, temporibus iſtis pietatis profeſſores extitiſſe, qvorum ſcripta ſacris hominibus maximo uſui eſſe poſſent; ſed cum divina Providentia (ut antea diximus) primum illud ſeculum, Apoſtolicis & Canonicis monumentis nobilitatum voluerit, non eſt qvod ſeqvioribus qvibuſdam nimioperè inhiantes, ſpuria pro genuinis, proqve veris & probatis ſcriptionibus ſuppoſititias, aut hæreticorum fraude interpolatas recipiamus atqve commendemus.

XI. Ad Secundum itaqve à Chriſto nato SECULUM, progreſſum facientibus, primo & facilè præcipuo loco ſeſe offert JUSTINUS Philoſophus & Martyr, omnium Scriptorum Eccleſiaſticorum, nunc extantium, poſt Clementem, Polycarpum & Ignatium antiqviſſimus, & fidei zelo non minus, qvam pietatis exqviſitæ gloria eminentiſſimus. Egregia ejuſdem ad Græcos *Parænesis*, & pro Chriſtianis *Apologia*, & de veritate Religionis dialogus, *Tryphon* inſcriptus, qvamvis directè ad redarguendos infideles pertineant, nihilominus plurima paſſim habent, qvæ morum compoſitioni chriſtianæ, & virtutis exercitationi apprimè inſerviant. Et qvemadmodum Juſtini religioſiſſimi ad DEUM veramqve pietatem acceſſio, ſingularis planè & admiranda fuit, cujus ipſe in laudato cum Try-

Confer de converſ. Juſtini piũ Literati hominis ſeceſſum. p. 35. ſeq.

phone dialogo prolixam fecit mentionem; ita pro eo qvo tunc agebatur ſpiritu, nefas eſſe duxit, eruditionis ſuæ talenta aut vana deterere oſtentatione, aut in otij & inertiæ fundo turpiter defodere, itaqve eò cumprimis impigrè contendit, ut perceptam ſacræ fidei doctrinam, & effuſas in ſe Spiritus S. dotes cum aliis qvam poſſet plurimis communicaret. Necqvicqvam magis neceſſarium ſanctiſſimus Philoſophus illo rerum ſtatu judicavit, qvam ut ſcriptis *fructu ſingulari* turgidis, Chriſtiani hominis nomen & officium explicaret, qvibus jure conveniret illa appellatio, à qvibus injuriâ uſurparetur, oſtenderet, deniqve efficeret, ut nemo converſorum, vano ſine re titulo gloriaretur. Atqve hunc præcipuè in finem duas peculiares, ſatisqve prolixas exaravit Epiſtolas, alteram ad Diognetum, *τὴν θεοσέβειαν τῶν χριστιανῶν* (ut ipſemet Juſtinus loqvitur) exponens; alteram *de Vita Chriſtiana* ad Zenam & Serenum, non niſi in virtutum chriſtianarum præceptis occupatam. In priori illa, apprimè notari meretur indoles primorum Chriſticolarum, & Eccleſiæ tunc adoleſcentis nitidiſſima & elegantiſſima facies, verbis expreſſa ſeqventibus: *Chriſtiani neqve regione, neqve ſermone, neqve politicis vitæ inſtitutis à cæteris hominibus ſunt diſtincti. Nam neqve proprias civitates incolunt, neqve ſermone utuntur, qui*

ab aliorum ſermone differat, neque vita genus habent, quod re aliqua ſibi peculiari ſit notabile, neque aliqvid a curioſis hominibus excogitatum proponunt ſibi diſcendum: neque alicui dogmati humano patrocinantur, ſicut nonnulli; ſed incolentes partim Græcas, partim barbaras civitates, prout cujuſq; ſors tulit, & indigenarum inſtituta ſequentes, in veſtitu victuqve, & cæteris, quæ ad vitam pertinent, mirabilem & haud dubie incredibilem ſuæ politiæ ſtatum oculis noſtris proponunt. Patrias proprias habent, ſed tanqvam inqvilini, omnia cum aliis communia habent, tanqvam cives, & omnia patiuntur, tanqvam peregrini. Uxores ducunt, ut omnes, & liberos procreant, ſed non abjiciunt fœtus - - In carne ſunt, ſed non ſecundum carnem vivunt. In terra degunt, ſed in cœlo politiam ſuam habent, obſeqvuntur legibus, quæ ſancitæ ſunt, & ſua vita genere leges ſuperant - - Atque ut ſemel omnia complectar, quod eſt in corpore anima, hoc ſunt in mundo Chriſtiani. Diſperſa eſt per omnia corporis membra anima, & Chriſtiani per mundi civitates diſperſi ſunt. Habitat qvidem in corpore anima, ſed non è corpore; ſic & Chriſtiani in mundo habitant, ſed è mundo non ſunt. Incluſa eſt qvidem anima corpore, ſed ipſa corpus conſervat; ſic & Chriſtiani detinentur qvidem in mundo, tanqvam in cuſtodia, ſed ipſi mundum conſervant. Æqve præclara do-

menta in alterâ, qvam laudavimus ad *Zenam* & *Serenum* epiſtola reperias, qvippe qvâ Juſtinus totam vitæ chriſtianæ rationem, miro exqviſitoqve verborum & monitorum ſalutarium apparatu duxit exponendam, cunctis ſinceræ pietatis cultoribus etiam atqve etiam præcipiens, ut à contentione & æmulatione mundanâ ſibi caveant, non facilè aliqvem damnent, primas non affectent, appetitui plus æqvo non indulgeant, neutiqvam nugentur, tempeſtivè loqvantur, ſuſpicionibus non indulgeant, neqve affectent miniſterium, pauperes facti qvieſcant, ſorte ſua ſemper contenti, id meditentur, qvod ad virtutem perficiat, non ſint anthropologi, aut cacologi, cum feminis cautè converſentur, ne ſint polypragmones, proximi delicto ne gaudeant, neqve videre multa, neqve audire ſtudeant, atqve etiamſi audiant, aut videant, tamen neqve videre ſe, neqve audire putent, cum bonâ conſcientia in vitæ conſuetudine cum hominibus agant, pauperum, puerorum & ægrotorum rationem habeant, orent deniqve qvotidie. Hæc inqvam, & alia plurima morum chriſtianorum dogmata, Juſtinus epiſtolâ illa fructu immenſo turgidâ eſt complexus, idq; cumprimis Doctoris ſinceri dedit documentum, qvod Scripturam ſacram, ut fontem nullius non placiti ſalutaris agno-

verit;

verit; cæterum (Photio notante) oratione pollucrit validâ, ſcientificumqve ſervarit ſtylum, rhetorica illa condimenta minimè ſpirarit, nec illecebris & blandimentis vulgus lectorum duxerit attrahendum. JUSTINUM excipiat IRENÆUS, ille ex certiſſimo nominis ſui præſagio verus Orbis chriſtiani pacificator, cujus, cum vita probatiſſima fuerit, monumenta etiam doctrinam æqve ac pietatem exqviſitiorem ſpirantia, cultores & laudatores nacta ſunt innumeros, eos cumprimis; qvi pſeudo-doctorum æqve ac pſeudo-chriſtianorum neqvitias & impoſturas toto pectore hacten⁹ ſunt deteſtati. Qvid, qvod inſignes qvidã priſcorũ Patrũ ſcrutatores apprimè notarint, ita ab Irenæo impugnata fuiſſe Valentini, & ſimilium Gnoſticorũ hæreſes, ut plurima inde à morali Doctore, & actuoſæ pietatis præcone, decerpi monita poſſint, ſiqvidem adverſus impuros ac voluptuarios hæreticos, inqꝫ comunes honeſtatis & pietatis leges graviter impingentes, acriter ſit invectus, & doctorum æqve ac auditorum officia ſignificantiori ſtilo exponenda curarit. Et cum præterea literas, pacis & concordiæ eccleſiaſticæ amorem undiqve ſpirantes, qvaqvaverſus expediverit, non optatiſſimam ſolum Eccleſiæ, inteſtinis rixis miſerè tunc laceratæ, tranqvillitatem conciliavit, verum etiam cunctis Chriſti cultoribus atqve

Phot. in μυριοβίβλῳ.

Conf. de Iren. vet. Acad. J. C. p. 44. ſeqq.

atqve Præconibus evangelicæ veritatis, illum genuinum Dei-filiorum characterem, ſive pacis reſarciendæ ſtudium, enixiſſimè fructuoſiſſimèqve commendavit.

Conf. pium Seceſſ. p. 24. ſeqq.

XII. Tertium inter ſecundi ſeculi ſidera locum THEOPHILO Antiocheno aſſignabimus, Viro juxta nominis ſui appellationem verè DEUM amanti, DEOqve amabili; cujus converſio à profanæ ſcientiæ vanitate ad pietatem ſeriam, cum æqve memorabilis ac JUSTINI Martyris fuerit, ingenii qvoqve monumenta, haud minori fructu & emolumento ſeſe hactenus Euſebiæ ſanctæ amatoribus commendarunt, ſiqvidem flores contineant, è vernantibus ſacrarum Scripturarum pratis decerptos, & miram cum varietate fragrantiam emittentes. Qvem in cenſum libri potiſſimum veniunt ad AUTOLICUM ſcripti, qvos plurimis ſententiis elegantiſſimis refertos, anagnoſta induſtrius deprehendet, veluti cum Autolycum illum, ita alicubi duxit compellandum; *Ante omnia in corde tuo antegrediatur FIDES & TIMOR DOMINI; Quam enim artem aut ſcientiam ediſcere qvis valet, ni ſe primum Magiſtro (huic) dedat credatqve.* Taceo alia æqve illuſtria pietatis, ex Theophili ejuſdem ſcriptis promicantis documenta, qvippe alio exhibita loco, & pridem cum pluribus in PIO SECESSU communicata. Illuſtribus hiſce ævi ſecundi luminibus jure

Theoph. Antioch. lib. 1. ad Autolyc.

Confer pium Seceſſ. l. d. pag. 31. ſeqq.

jure meritiſſimo accenſendus etiam eſt ABERCIUS, Hierapoleos in Phrygiâ Epiſcopus, eò qvod [teſte Simone Metaphraſte] *librum valdè utilem compoſuerit, & Presbyteris æqve ac diaconis diœceſeos ſuæ tradendum curarit, uti & poſt mortem per eum loqveretur, & qvodammodo poſteris prodeſſe nunqvam deſiſteret*, inſuper (ut in Græcorum Menæis legitur) miſeros eos, qvi in perniciem deciderant, & lapidibus cultum exhibebant, adorare Petram JESUM docuerit, fidemqve ſalvificam magno cum fructu prædicarit; deniqve, pientiſſimam ſimul ac utiliſſimam *ad M. AUREL. Ant. Imp. epiſtolam* exararit. Qvæ aliaqve divini Doctoris monumenta ſi è latebris ſuis aliqvando erueruntur, atqve publicis cederent uſibus, & gloriam ſanctiſſimi Viri [perpaucis, qvod apprimè dolendum cogniti] mirificè illuſtrarent, & univerſam Chriſti Eccleſiam ceu gemmæ qvædam maximi pretii condecorarent. Et cum tantum poteſtatis neutiqvam concedendum ſit temporum injuriæ, ut qvorum abſtulerit ſcripta, memoriam qvoqve ſcriptorum auferat & honorem, ideò in eundem ſcriptorum ævi ſecundi pientiſſimorum [tametſi in præſens ſcriptis vacuorum] chorum, ſeqventes qvoqve zelo pio ferventiſſimi Doctores ſunt referendi: DIONYSIUS Corinthiorum ſanctiſſimus Antiſtes, multarum ad diverſos populos

EPI-

EPISTOLARUM PARÆNETICARUM author, & conditor monumentorum, ad ſanctam eruditionem apprimè ſpectantium; CLAUDIUS APOLLINARIS, qvem conſtat præter *Apologiam M. Aurelio Imp. pro Chriſtianis exhibitam*, alia non pauca, nec minus egregia pietatis ſinceræ cultoribus ſcripta reliqviſſe, licet pauciſſima poſteri conſervarint. Sic & PANTÆNUS, Vir planè Apoſtolicus, inq; Orientalem Indiam fidei & Virtutis Chriſtianæ propagandæ cauſâ peregrinatus, *Commentarios in Sacram Scripturam* compoſuit, qvos utpote documentis exqviſitoribus refertos, hiſtoria Eccleſiaſtica divinorum theſauros documentorum appellavit. Deniqve ALEXANDER, Hieroſolymorum Archiepiſcopus, qvi divino ſuffragio electus, *EPISTOLIS SUIS*, qvas variis Eccleſiis varias miſit, ſpiritum DEI, qvo agebatur, & ſtudium fidei qvo fervebat, ſapientiſſime expreſſit*.

XIII. TERTIUM à nato Salvatore SECULUM, non minus illuſtres exhibet pietatis Chriſtianæ, & Theoſophiæ eminentioris Magiſtros. Hos inter locum facilè palmarium obtinet CLEMENS ALEXANDRINUS, laudati modo Pantæni diſcipulus, & in fidei ac

* *Horum omnium ævi ſecundi ſcriptorum vitas & elogia, Petrus Halloix altero de illuſtribus Eccl. Oriental. ſcriptoribus volumine comprehendit.*

ac ſacræ doctrinæ magiſterio ſucceſſor, ſcriptorumqve, utiliſſimis documentis refertorum author inæſtimabilis. Poſtqvam is nobili ſuo *ad Græcos protrepticô, & octo Stromatū libris*, Ethnicos ab idololatriâ graviſſimè eſſet dehortatus, & Chriſtianam fidem mirificè commendaſſet; tribus peculiaribus voluminibus, *PÆDAGOGI* titulo inſignitis, MORES Chriſtiani hominis graphicè deſcripſit, cunctosqve ad ſupremi illius *PÆDAGOGI*, Salvatoris ſcil. imitationem egregiè incitavit, præſertim libro ſecundo, ſummatim [ut propoſitio libri habet] deſcribente, *qvalem eſſe in tota vita eum oporteat, qui CHRISTIANUS nuncupetur?* libro autem tertio, præter inſignem *DE VERIS CHRISTIANORUM DIVITIIS* diatribam, eam dedit vitæ optimè inſtituendæ delineationem, qvæ omnium omninò ſtatui & conditioni conveniat. Et cum tria in homine Chriſtiano conſiderarit Pædagogus ille ſaluberrimus, MORES, videl. ACTIONES, & ANIMI PERTURBATIONES, horum unicuiq; conformatus, ut corrigat, & meliora reddat ſingula, apprimè laboravit; moribus qvidem adhortando, actionibus verò præcepta ſuppeditando; rurſus autem perturbationibus animi, conſolando: Haud rectius profectò Pædagogi ſanctioris munere defungi Clemens potuiſſet, qvam eo qvo diximus modo,

per adhortationem ſcil. Sacro-ſanctæ diſciplinæ alumnos incitans ut ſint meliores, per evidentem præceptorum explicationem, ea qvæ ab aliis errata ſunt, poſteris pulchrè ſuggerens, per conſolationem deniqve curans ſive medens, & reditum per pœnitentiam etiam atqve etiam commendans. Sed & *ex Stromatum libris*, veluti egregio qvodam eruditionis Sacro-chriſtianæ penu, non pauca in uſus ſuos decerpere poterit phileuſebius Doctor. ſiqvidem Clemens laudatiſſimo iſto opere egregiè DEO litaverit, oſtenderitqve, qvatenus per conſcientiam ad edenda ingenii monumenta qvis teneatur, qvare item, & qvo fine libros publicare debeat; qvomodo illuſtres variæqve Virtutes Chriſtianæ ſint excolendæ, nimirum Spes, Charitas, Timor, Tolerantia, Continentia & Hoſpitalitas, qvæ charitatis officia ſint præſtanda proximis, qvibus deniqve verorum perfectorumqve Gnoſticorum appellatio conveniat. Omne verò punctum Clemens ex eo tuliſſe videtur, qvod ſanctam morum doctrinam non niſi ex Scriptura Sacra derivandam eſſe judicarit, & profanos qvidem diſciplinæ moralis magiſtros audiendos eſſe edixerit tantum ut ranas, non verò ut philomelas, deniq; nobiliſſima qvæqve Chriſtianorum hominum officia ſtrenuè urgenda & injungenda duxerit, ita ut rigidiori nonnunqvam zelo pieta-

tis

tis cauſam egiſſe, & nimis ſeverum *Pædagogum* repræſentaſſe videatur.

XIV. Verum rigidâ illa ingenii duritie, & morum auſteritate, Clementem longiſſimè ſuperavit is, qvi tertium Seculum æqve nobilibus illuſtravit exornavitqve monumentis, Q. Septimius Florens TERTULLIANUS, Carthagine in Africâ natus, & Latinorum Doctorum omnium vetuſtiſſimus. Qvi licet [Hilario dicente] plurimum, errore ſeqvente, detraxerit ſcriptis aliàs probabilibus, & magna ut Vincentius in Comonitorio habet, tentatio in Eccleſia fuerit, poſtqvam in Montaniſtarum hæreſin eſſet prolapſus, id ipſum tamen minimè impedit, qvo minus ſcripta Tertulliani anteriora honorificum inter illuſtria Patrum priſcorum monumenta locum obtineant, & pietatis maſculæ cultoribus etiam atqve etiam commendentur. Cumprimis Liber de *Pœnitentia*; licet eum Tertulliani non eſſe, qvidam ex phraſi ſeu genere dicendi, Eraſmo præeunte exiſtiment, vim tamen operis præſtantiſſimi in lucrifaciendis peccatoribus ſenſuros omnes confido, qvi illi legendo attentius incubuerint, ſiqvidem non mirificis ſolùm elogiis, author pœnitentiam ſtatuerit exornandam, verum notas ejus genuinas, differentias item, & praxin ſaluberrimam præclarè oſtenderit, deniqve verè converſos ad propoſiti, ſeu conſilij in meliora

Tertull. lib. de Pœnit. Oper. p. 122. ed. Pariſ. an. 1663

mutationem etiam atqve etiam ſit cohortatus: *Qvem cenſeas* [ſcitè ait] *digniorem, niſi emendatiorem? qvem emendatiorem niſi timidiorem, & idcircò verâ pœnitentiâ functum?* Et rurſus: *Vaniſſimum eſt dicere: Volui, nec tamen feci, atqvin perficere debes, qvia vis; aut nec velle, qvia nec perficis. Sed ipſe conſcientiæ tuæ confeſſione pronuncias. Nam ſi bonum concupiſces, perficere geſtiſſes. Porrò ſicut malum non perficis, nec concupiſcere debueras. Qvaqva Te conſtitueris, crimine adſtringeris, qvia aut malum volueris, aut bonum non adimpleveris, &c.* Præter iſtum verò de Pœnitentiâ librum, cultoribus pietatis plurimum proderit liber ejuſdem Tertull. de *Oratione*, qvo & laudes ejus egregiè eſt proſecutus, & modum ac rationem (ad qvam inſtitui debeat) nec non varia orantium officia diſertè expoſuit, nimirum ut iram omnem deponant, nec profanis cogitationibus indulgeant, nec ſuperſtitioſis inhæreant ritibus, nec vultum ad audaciam erigant, neqve ſint clamoſi, nec inflati aut turgidi, ſed veram ſinceramqve humilitatem omnî curâ ſtudioqve conſectentur. Supereſt tertium Tertulliani volumen aſceticum, agens de PATIENTIA; atqve eò collimans unicè, ut *Patientiæ* ſtudeamus, & iræ perqvam noxiæ refrœnationi. Et cum qvinta perſecutione imminente opuſculum iſtud ſcripſerit Florens,

Extat Tert. lib. de Orat. inter opp. modo land. p. 129. ſeqq.

Ext. ib. p. 136. ſeqq.

rens, inſignes qvaſdam ad conſtantiam in fide, & alacritatem in ſubeundo carceris ſqvalore, judicumqve decretis fortiter excipiendis adhortationes eidem duxit inſerendas. Utrũ Tertullian⁹ meliore Patientiæ encomiaſten egerit, qvam gymnaſten (uti qvidam volunt) non eſt qvod prolixè diſqviramus, *qvid dictum* eo libro ſit potius expendentes, qvam *qvo authore* monita illa ſaluberrima ſint exarata. Cætera Viri monumenta prætereo lubens, utpote à ſcopo præſenti paulò alieniora, licet qvædam in iis occurrant moribus chriſtianis expoliendis haud incongrua, utpote in libro Tertull. *de Spectaculis, de Idololatriâ, de habitu muliebri, de fugâ in perſecutione, de exhortatione caſtitatis, de pudicitia, de jejunio, &c.* qvemadmodum anagnoſtæ diligentiori, & ſollicito ſententiarum ſacromoralium perveſtigatori evidentiſſimè patebit. Seqvitur ORIGENES, qvi cum mortalium, qvos Sol vidit laborioſiſſimus fuerit, & priſcos omnes, Græcos pariter ac Latinos Doctores, operum multitudine ſuperarit, perutilem etiam operam diſciplinæ ſacro-ſanctæ alumnis locaſſe videtur; HOMILIIS præſertim, qvas *in Pſalmorum* librum, & *Novum Teſtamentum* miro pietatis fervore concinnavit, nec non opere illo elegantiſſimo, qvod ſub PHILOCALIÆ titulo lucẽ aſpexit. Et qvamvis novos non rarò ſenſus, Scripturarum in-

Philocalia Orig. primum græcè & lat. ed. Pariſ. 1618. dein Cãtabrig. operâ Gvilel. Spencerì 1658.

terpretationi, ac rerum veritati minus convenientes allegorias intulerit, Platonica etiam dogmata ſinceræ Theoſophiæ freqventiſſimè admiſcuerit; non eſt tamen, qvod eapropter tanti nominis Virum, ex hominum, de pietate optimè meritorum ordine penitus excludamus, aut cum ſordibus infantem ſtatuamus ejiciendum. Celebre de Origene vetuſtatis judicium obtinuit; *Ubi benè Origenes, nemo melius, ubi malè, nemo pejus*; poſthabitis itaqve *malè ab illo conceptorum* fœtuum inqvinamentis, *benè ſcripta* tanto avidius recipiamus, ſpretiſqve adeò ſententiarum minus probatarum paleis, tritico fructuoſarum exhortationum etiam atqve etiam nos oblectemus.

XV. Præceptorem excipiat Diſcipulus, Origenem GREGORIUS THAUMATURGUS, ille felicior multò ſanctiorq; ex eodem ſeculo pietatis præco, qvi cum ſignis atqve miraculis valdè fuerit illuſtris, ut non ſine causâ θαυματουργὸς, id eſt rerum mirabilium effector ſit appellatus, ſcriptis etiam, plurimo fructu turgidis, tantoperè ſeſe virtutis doctrinæqve chriſtianæ cultoribus probavit, ut non abs re maximis Eccleſiæ priſcæ Doctoribus fuerit æqviparatus. * Illa verò inter monumen-

* *Præclarè de Gregorio hoc Gregorius alius, nempe Nyſſenus; Sicut de Moyſe ait Scriptura,*

ra, qvod eruditus eſſet omni ſapientiâ Ægyptiorum; ita quoque magnus iſte Vir, cum omnem Gentilium eruditionem atque doctrinam perſcrutatus eſſet, factoque periculo didiciſſet, quam infirmæ eorum opiniones ſint atque ſententiæ, quamque parum ſibi conſtent, diſcipulus ſit Evangelii, &c.

menta Gregoriana, ad eum, qvem nunc reſpicimus ſcopum, præprimis collimare videtur, tum egregia *in Eccleſiaſten metaphraſis*, tum Epiſtola Canonica, lapſis, qvi in barbarorum incurſione idolothyta comederant, aut alia qvædam peccata commiſerant, ſaluberrima agendæ inſtituendæqve pœnitentiæ præcepta ſubminiſtrans. Dignum apprimè notatu, qvod primus omnium Gregorius epiſtolâ eâ * omnes pœnitentium veteris Eccleſiæ gradus diſtinctè tradiderit, & *Deflentium* (qvi infimum inter pœnitentes locum habebant) non minus qvam *Audientium*, *Succumbentium*, *Conſiſtentium & Communicantium*, diſertam fecerit mentionem. Tertio etiam ſeculo non parum lucis, lucidiſſimæ aliàs diſciplinæ ſacro-ſanctæ conciliavit Magnus CÆCILIUS CYPRIANUS, tantosqve in pietatis fructuoſæ campo fecit pro-

 greſ-

* *Extat illa Gregorii Epiſtola in Codice Juris Canonici Græci, Commentariis Theodori Balſamonis illuſtrata.*

greſſus, ut nobiliſſimis etiam monumentis, DEO per ingenii oblationem feliciter litarit, nec paucis maximo fuerit emolumento. Principio valdè conducet, Cyprianum de ſaluberrimâ ſuâ à profanâ vanitate ad pietatem Chriſtianam converſione audire diſſerentem, qvippe qvam verbis planè mellifluis, Donato ſuo [cum ambo nuper à ſecularibus Oratorum diſciplinis ad DEUM converſi, unà feriis vindemialibus ruſticarentur,] expoſuit, cujus ſermonis notatu digniſſimi tale eſt initium: *Ergò cum in tenebris atqve in nocte cæca jacerem, cumqve in ſalo jactantis ſeculi nutabundus ac dubius, veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus, difficilè prorſus ac durum, pro illis tunc moribus opinabar, qvod in ſalutem mihi divina indulgentia pollicebatur, &c.* Et cum memorabilem illam Cypriani converſionem, flagrantiſſimum etiam alienæ reductionis & ſalutis deſiderium exceperit, omnemqve ille vitam divinis obſeqviis dehinc impendendam duxerit, factum, ut exaſciatis profuerit lucubrationibus, & lectu digniſſima fructuoſiſſimaqve ediderit monumenta. Atqve ut ſilentii peplo involvamus *EPISTOLICA* varia, qvibus vel de *MUNDI LAQUEIS & DAMNIS* præclarè diſſeruit, vel ſacros homines ſui comonuit officii, vel Martyres ad ſanctiſſima certamina evocavit; cumprimis legi merentur

Confer Cypriani Epiſt. I. ad Donat.

Cyprian. Epiſt. lib. II. ep. 2. Id. Epiſt. 4 & 5.. Id. lib III. epiſt. 6,

Digitized by Google

turtractat⁹ qvidã, inter ſanctiſſimi illius Martyris ſcripta, ſingulari chriſtianarum commonefactionum ſplendore coruſcantes; utpote Sermo Cypriani *de ELEEMOSYNA*, qvo miſericordiæ opera accuratè expoſuit circa qvæ homini Chriſtiano aſſidua & jugis operatio eſſe debeat; Sermo *de ZELO & LIVORE*, egregia evertendæ & eliminandæ invidiæ adminicula ſubminiſtrans, & qvam aliena à vero Chriſti diſcipulo omnis mordacitas livoris ſit, diſertè oſtendens; ſermo *de BONO PATIENTIÆ*, inſignia ſuſtinendarum afflictionum, & ſubeundarum extremarum calamitatum præcepta exhibens; Sermo *de MORTALITATE*, præclarè docens, *an invaleſcente peſte mors extimeſcenda homini Chriſtiano*, ac ſimul clariſſimum vitæ humanæ ſpeculum Chriſtianorum obtutui exponens. Porrò qvâ potiſſimum Oratione uti, qvâ animi & vocis contentione Deum compellare conveniat, in egregio *de ORAT. DOM.* ſermone commonuit. Neqve prætereundus à pietatis cultore eſt Martyris *de PUDICITIA* libellus, licet is Cypriani fœtus haud genuin⁹ eſſe videatur, cum eandem ille cum pluribus aliis Doctoribus priſcis ſubierit aleã, atq; monumentis ipſius non pauca aliorũ ſcripta ſint admiſta.* Inde verò præcipuam ſcriptis ſuis

 con-

* *Obſervat Deſ. Eraſmus, Cyprianum Patribus cate-*

ceteris in eo feliciorem fuiſſe, qvod cum horum voluminibus multa interſperſa ſint, lectu prorſus indigna, illi nihil niſi doctum adſcriptum ſit, & à magnis Viris profectũ. conciliavit authoritatem, qvod EXEMPLO etiam ſuo docuerit, *atqve* [ut Pontius ait] *in tantum exercitatâ virtute profecerit, ut nec damna ſenſerit temporalia, non illum penuria, non dolor fregerit, non proprii corporis diri pœna concuſſerit, qvin potius permanſerit in ſuis ſedibus fixa virtus, & altis radicibus fundata devotio, nullo diaboli tentantis impetu everterit, qvo minus Dominum ſuum fide gratâ etiam inter adverſa benediceret.* Et cum Cyprianus, Nazianzeno teſte, RE & VERBIS peregregiâ Eccleſiæ operam navarit, factum, ut ſcripta etiam, ſive monumenta tanto majori plauſu eo ſuperſtite, & ad ſuperos translato ſint excepta, inqve perpetua permanſerint veneratione.

Pont. in vit. Cypr.

Greg. Naz. Orat. XVIII.

XVI. Superſunt duo illuſtria TERTII SECULI ſidera, & pietatis fructuoſæ ſtrenui cultores atqve propagatores, ZENO videlicet VERONENSIS, & LACTANTIUS FIRMIANUS; Uterqve cum Magiſtrum Virtutis ſupremum [Salvatorem ſc.] ex æqvo ſit veneratus; indefeſſo etiam ſtudio ejus gloriam monumentis cedro digniſſimis illuſtrare, adeoqve feliciſſimorum ſcriptorum documenta dare inſtituit. Illum qvidem *HO-*

MI-

Digitized by Google

MILETICO, hunc *DIDACTICO* dicendi genere uſum fuiſſe deprehendimus: *ZENONIS* extant memorabiles de fide, ſpe, & charitate, de patientiâ item, pudicitia & juſtitia, de timore, de jejunio, de avaritia, de livore & invidia commonefactiones; LACTANTII verò Sacræ, ſeu divinæ INSTITUTIONES; qvibus Chriſtianorum officiorum ſumma, & diſcrimen qvod Virtutes Theologicas inter & Morales intercedit, accuratè egregieqve comprehenditur. Qvinimò vix ullam ſacroſanctorum officiorum partem eſſe conſtat, qvæ non aliqvam lucem, doctrinamqve aliqvam elegantiorem ab authore illo edecumatiſſimo acceperit, ut propterea Dux Chriſtianorum militum, & optimus piorum pectorum Daduchus poſſit nuncupari. Prætereo cæteros, ejuſdem gratiæ favonio adflatos Euſebiæ filios, qvorum vitâ doctrinæ puriſſimæ ſociatâ, veluti luce qvâdam præfulgidâ univerſus Orbis Chriſtianus in hunc uſqve diem fuit colluſtratus. Et cum hoc opus, pios formandi Doctores, ſanctiſſimamqve propenſionem in iis excitandi, præcipuum ſit cæleſtis magiſterii, unde ſumma ad Deum ipſum, utpote datorem benigniſſimum gloria redundat, dubium non eſt, qvin chariſmatis ejuſce collatio, ſive intenſiſſimi erga pietatis ſtudia affectûs progerminatio, ſemper fructu ſingulari ſeſe ſit commendatura, indeqve

Regnum cæleſte alia atqve alia emolumenta & incrementa certiſſimè ſit conſecuturum, idqve tanto magis, qvanto flagrantior fuerit philotheorum, & phileuſebiorum amor, qvanto item ab opum, gloriæ honorumqve inde conſeqvendorum cupiditate liberior. Nunqvam profectò fruſtraneus erit egregius iſte, qvo pii Doctores flagrant ardor, idem ille Spiritus, qvi ſanctum in iis excitavit deſiderium, dabit etiam eo bono, qvod tantoperè concupiſcunt feliciſſimæ animæ, tandem aliqvando potiri. Etiamſi pietatis ſinceræ ſtudia, qvibus illæ ipſæ ducuntur, vulgò parvi, ac longè infra meritum ſuum æſtimari ſoleant, neqve præmiis temporalibus cultores virtutis (qvæ Mundi eſt ἀχαριστία) exornentur, ſciant tamen illi, maximam & invidendam mercedem ſibi in cælis eſſe repoſitam, nimirum cum cæleſtis plane originis ea ſit, qvâ deximus indoles, utiqve, qvi ad ſtudia ſanctiſſima fervidâ adeò habent propenſionem, & ad ſacra divino inſtinctu feruntur, laudum ſuarum præconia, & exantlatorum laborum præmia, non à mundanis, qvippe in terrena unicè defluentibus, ſed à DEO ipſo, omnium bonorum largitore & æqviſſimo diribitore, certo certius olim ſunt reportaturi.

COM-

COMMONEFACTIONIS XXXI.

APPENDIX,

DE VERA LITERATORUM HOMINUM NOBILITATE.

CUm teſtatiſſimum ſit, Homines GENTE NOBILES, & claros, MENTE utplurimum animoqve nimiopere depravari, probriſqve ſuis inqvinatiſſimos vivere; non paucos verò humili & obſcuro natos loco, Virtute ſuâ ſupremæ laudis, perpetuiqve honoris faſtigium attingere; hinc ea Literatum Virum cura verſabit atqve cogitatio, qvâ ratione veram ex Virtute ſincerâ NOBILITATEM tandem conſeqvi, ac gente licet obſcurus, MENTE tamen CLARUS nobiliſq; fieri, qvinimò ſupremæ faſtigium dignitatis conſcendere qveat. SOCRATEM, à tenuiſſimæ ſortis parentibus editum Seneca prodidit & Maximus Tyrius, aſſerens eum & LAPICIDÆ FILIUM, & ſimum & ventricoſum fuiſſe. Qvibus conſentiens Porphyrius, Socratem patre marmorario genitum, per longum tempus artem paternam exercuiſſe memoravit; idemqve ex Porphyrio retulit Theodoretus,

Sen. ep. 44. *Maxim. Tyrius diſſ. 23.*

Theod. lib. I. contra græcos, ante medium. Cyrill. lib. VI. in Juliā.

retus, qvamvis apud Cyrillum, modicum temporis in fabrili illo exercitio inſumſiſſe dicatur. Non dubitavit eqvidem Socrates ipſe in Timæo Plat. de patre ut marmorario, de matre ut obſtetrice loqvi, nihil verecundatus ſangvinis & generis obſcuritatem. Sed & alios doctrinæ ſapientiæqve laude celeberrimos homines, apud græcos obſcuro planè loco natos Cyrillus obſervavit, longa & gravi oratione retundens, qvod Julianus Apoſtata objecerat circa Chriſtianorum Doctorum ignobilitatem. Nam & Platonem gladiatoris filium, ex ſudoribus athletarum [cum prius in Iſthmiis & Pythiis nudus ob parvam mercedem certaſſet,] ad philoſophiam tranſiiſſe demonſtravit; tum Zamolxim Thracem Pythagoræ miniſtrum, conditione mancipium, ſapientiæ laude clariſſimum oppoſuit. Pleniorem verò ſyllabum Virorum doctrina virtuteqve illuſtrium, humili ſorte ac genere editorum dedit Ælianus. Et in eandem rem magnificè ut ſolet Seneca; *Non omnes* [ait] *curia admittit. Caſtra qvoqve qvos ad laborem & periculum recipiunt, faſtidiosè legunt, BONA MENS OMNIBUS PATET. Omnes ad hoc ſumus NOBILES. Nec rejicit qvenqvam philoſophia, nec eligit, omnibus lucet, Patricius Socrates non fuit, Cleanthes aqvam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem philoſophia,*

Ælian. lib XII. var. hiſt. cap. 43. & lib. de remed. dialog. 5. Seneca ep. 44.

ſophia, ſed fecit. Qvid eſt, qvare deſperes his Te poſſe fieri parem? Omnes hi Majores tui ſunt, ſi te illis geris dignum, geres autem, ſi hoc protinus Tibi perſvaſeris, a nullo Te nobilitate ſuperari. Qvis ergò generoſus? Ad virtutem bene à natura compositus, *hoc unũ eſt intuendum.* Non inelegans olim contentio inter Appium pulchrum, & M. T. Ciceronem exorta, uter ex ambobus verè dicendus Nobilis? Appius irridens Ciceronis novitatem, ſuæqve familiæ vetuſtatẽ, nobilitatem non eſſe credebat, ubi non ἐυγένεια. Verùm præclarè Cicero eum monuit, ut diligentius attendat verbis Athenodori de nobilitate diſſerentis; *Poſſe ſc. qvempiam ἐυγένειαν habere, nec tamen eſſe Nobilem,* cum ſæpè nobilium filii flagitioſiſſimi exiſtant, itaqve ex virtute, non à natalibus veram naſci nobilitatem, errare vulgum, qvi exiſtimet, omnes ex claris familiis ortos eſſe nobiles, cum potius ſint ἐυγενεῖς, nec qviſqvam niſi virtute ſua verè clarus evadat. Eqvidem plebeja & ignobilis Ciceronis familia non obfuit, qvo minus Romani Conſulatus obtineret dignitatem. Ab amicis aliqvando admonitus, ut aliud ſibi cognomen aſciſceret; reſpondit, ſe CICERONIS nomen illuſtrius effecturum, qvam eſſet Catonum, Catulorum aut Scaurorum, hæ enim familiæ cumprimis illuſtres apud Roma-

Cicero lib. III. epiſt.

Romanos fuêre. Cognomen autem Ciceronis ideò patebat cavillis, qvod à cicere, viliſſimo legumine dictum videretur: *Qvaſi verò* (regeſſit Cicero) *non Fabii à fabis, & Lentuli à lente ſint nuncupati; parum illuſtris eſt, qvi præter imagines & cognomen nihil habet nobilitatis, pulcherrimum autem nobilitatis genus eſt, qvam ſibi qviſqve* PROPRIIS VIRTUTIBUS *conciliat.* Non ſanè fefellit M. Tullium concepta de nominis ſui claritate opinatio, ſiqvidem Ciceronis nomen hodie decantatius multò ſit, qvam Catulli aut Scauri, cum gentium harum ſtatuis & imaginibus. *Satius eſt* (notanter ipſe dicebat] *meis geſtis florere, qvam majorum opinione uti, & ita vivere, ut ſim poſteris meis nobilitatis initium, & virtutis exemplum.* Magis verò chriſtianè Gregorius Nazianzenus, æmulis, generis ignobilitatem exprobrantibus ad h. m. reſpondit: *Omnibus genus unum: ſi inferiora hæc ſpectare velis, pulvis; ſi ſuperiora, ſpiraculum illud, cujus participes facti ſumus, qvodqve conſervare jubemur, & cum qvo mihi ad tribunal ſiſti neceſſe eſt, ut divinitus inditæ nobilitatis, imaginisqve rationem reddam. Qviſqvis igitur per rectam vivendi rationem, animiqve ad exemplum ſuum inclinationem, ſpiraculum illud conſervaverit, huic demum nobilitas conſtabit. Contra qvi illud per VITIUM fœdaverit, formamqve alteram, hoc eſt,* ſer-

Cicero apud Plutar. in Apoph

Cicero in Orat. contra Salluſt.

Gregor. Naz. Orat. XXV. num. 32.

ſerpentis, ſibi ipſe induxerit, ille verè ignobilis & obſcurus habendus erit. Qveritur idem Nazianzenus alibi, qvod cum eqvorum virtus ex ipſis explorari ſoleat, non ex progenitorum dotibus æſtimari; homines tamen viritim æſtimari nolint, ſed majorum claritate, & iis qvæ ipſi non fecêre, decus ſuum & nobilitatem definiant, eoſqve, qvi majoribus minus claris orti ſunt, deſpicatui habeant, qvaſi magni aliqvid interſit inter *lutum* & *lutum*. Nec diſſimiliter Magnus Baſilius; *Non eſt* (inqvit) *cur Patres ac progenitores illuſtres proferamus. Nam turpe eſt aliunde ornare eum, qvi propria ipſe virtute illuſtris eſt. Lege namqve conſvetudinis talia inter encomia uſurpant. Alioqvi veritatis lege qva cuiqve ſunt propria afferenda encomia exiguntur: Neqve enim velocem eqvum reddit, qvod is unde natus eſt, ad curſum aptus fuit; nec canis encomium eſt, ex velociſſimis prognatum eſſe. Sed qvemadmodum aliorum animantium virtus in unoqvoqve propria conſideratur, ita & PROPRIA VIRI* [eruditi] *LAUS EST, cujus ex rebus ab ipſo benè geſtis teſtimonium habet. Qvid filio confert, de illuſtri natum eſſe parente?* Abſit tamen, ut veræ nobilitatis decoribus inde qvicqvam decedat: *Non abs re* [ait Auſonius] *multa dantur Nominibus, & eſt Roma pro merito.* Qvamdiu intra fines debitos nobilitas ſeſe continet,

Idem Or. XX.

Confer Naz. Orat. XXXIII. *Baſil. homil. XXVI. qva eſt in S. Mamãtem.*

Auſon. in grati-ar. act. n. 6.

net, àqve omni vitiorum turpitudine eſt aliena, laude ſua neutiqvam deſtituetur. *Omnes boni* (præclare ait Seſtius Orator) *ſemper nobilitati favemus, & qvia utile eſt Reip. nobiles eſſe homines, dignos majoribus ſuis, & qvia valere debet apud nos clarorum hominum ſemel de Republica meritorum memoria, etiam mortuorum.* Etſi igitur meritiſſimo jure virtuti Majorũ, in poſteris qvalibuscunq; aliqvid tribuendum ſit, generis tamen obſcuritas neutiqvã impedit, qvo minus ERUDITI HOMINES, qvi gente utplurimũ ignobiles ſunt, ſupremæ claritatis felicitatiſqve [qvæ ſolá virtute doctrinæ ſociata paratur] apicem attingere qveant. Longè clariores illi *Mente* evadunt, qvam alii *Gente*, cum non raró ſangvinis claritati vitia graviſſima adnaſcantur, imprimis illa inanis gloriæ teredo, qvam ſapientiores viri etiam atqve etiam volunt abactam. Qvodſi in uno eodemq; *homine erudito, Gentis* & *Mentis* nobilitas, generis & virtutis claritudo amicè conſpirent, maximis ille ævi ſui ornamentis accenſebitur, nec minus Orbem eruditum, qvam ſanctam Civitatem veluti inæſtimabilis pretij gemma olim exornabit.

Seſtius in defeſ.

* * *

COM-

COMMONEFACTIO XXXII.

SYNCRETISMUS SALUTARIS,

SIVE

DE SVAVISSIMA PIETATIS SINCERÆ, ET DOCTRINÆ MULTIJUGÆ CONSOCIATIONE,

Ad Commentat. IX. num. IX. ſeqq.

I.

QVantumvis Literatorum Hominum VITIA periniqvè in ipſas literas conijciantur, ac temeratæ, imò conculcatæ PIETATIS, falſiſſimè incuſetur eruditio profundior, ſiqvidem ea non omnibus promiſcuè, ſed malè utentibus duntaxat nocentior exiſtat; longa tamen ſeculorum experientia docuit, NIMIAM SCIENTIÆ CUPIDITATEM, qvam ſub CURIOSITATIS infructuoſæ noxiæqve titulo

d by Google

Confer Felic. Liter. Comment. IX. & ult. per tot.

qvondam deteſtati ſumus, FELICITATI, ex virtutis veræ ſinceræqve exercitio provenienti, graviſſimum utplurimum obicem poſuiſſe, tempus pietati debitum, ſacrilego auſu ſibi vendicaſſe, tantum non omnem diſtraxiſſe devotionem, qvinimò Ducem qvandoqve exercitûs vitiorum, literatos homines infamantium perdentiumqve extitiſſe. Nimirum, ut eleganter non minus, qvam verè qvondam PETRUS DAMIANUS; *Qvi vitiorum* (ſcripſit) *omnium catervas moliebatur inducere, CUPIDITATEM SCIENTIÆ, QVASI DUCEM EXERCITUS poſuit, ſicqve poſteà infelici Mundo cunctas iniqvitatum turmas invexit.* Sanè cum Literatis, inflantium duntaxat ſcientiarum glutino detentis, rara de DEO cogitatio obverſetur, doctiqve, continuæ profanorum ſcriptorum lectioni, ac intellectûs perfectioni intendentes, omne propemodum tempus otioſis contemplationibus conſumant, orationem faſtidiant, rerum cæleſtium ſtudium prorſus negligant, adeoqve divinæ gratiæ ſcatebrâ penitus deſtituti, de ſapientiâ Sanctorum acqvirendâ haudqvaqvam ſint ſolliciti; mirum non eſt, qvod culparum graviſſimarum mala, ſpiſſamq; animi cæcitatem incurrant, & perpetuâ tandem excidant felicitate. Non ægrè itaq; ferat Vir doctrinâ multijugâ coruſcans, ſed vehementer potius lætetur, ſi deprehendat, toties ſibi inculcari cômen-

P. Damian. ep. CV.

mendariqve ſtudium veræ ſinceræqve PIETATIS; totus ardeat nobiliſſimæ ejuſce virtutis, ſcientiæq; celſiſſimæ amore, deſpiciens præ illâ ejuſmodi doctrinam, vi cujus nec ſummum acqviritur bonum, nec à ſumo malo mortales revocantur; cæterũ pro virili ſua ſtabiliens ſalutarem illum ac verè fructuoſum SYNCRETISMUM, ſive chriſtianæ Pietatis, cum doctrinâ eminentiori conſociationem. Innumeros profectò tenet infernus, qvibus profanarum rerum cognitio fuit maxima, pietate deſtituta; cum dæmonibus iſti degunt δαίμονες, & cum doctiſſimo acutiſſimoqve Lucifero, cœlo æternum erunt extorres. Horreant licet boni omnes, vel ad ſolum SYNCRETISMI BABELICI nomen, atqve toto pectore infauſtam diverſarum religionum confuſionem deteſtentur; ſanctiſſima tamen illa, omniumq; felicium literatorum calculis ſummoperè probata ERUDITIONIS ac VIRTUTIS ſolidioris CONGLUTINATIO, incomparabili ſeſe fructu ubiqve commendat, atqve emolumento ſempiterno.

II. Elegantiſſimè Bernardus, SCIENTIAM MULTIJUGAM, chriſtianæ Pietatis igne neutiqvam decoctam, cum cibo contulit, ob nimiam in ſtomachum ingeſtionem, vi caloris nativi haud ſubacto, unde cruditates morbiqve exitioſi procreentur, nec rarò clades hominis, nimiam illam repletionem ex- *Bernar. Serm. 39. in Cant.*

cipiat. Et juxta Magnum Gregorium, corda, non niſi profanè ſapientium, *vaſa papyri* merentur nuncupari; *Qvantumcunqve* [ait] *illa ad horam ſtrepant, aliud non reportant, qvam divini furoris pondus, qvo opprimuntur & conteruntur.* Qvid, qvod Philo Judæus farinæ ejuſce ſapientes cum ſuibus duxerit conferendos, eò qvod illæ ungulam qvidem dividentes, attamen non ruminantes, in lege immundæ cenſeantur; nec ipſe Jacobus Apoſtolus dubitarit, ſapientiam hujuſmodi ANIMALEM vocare, & DIABOLICAM, ſiqvidẽ & carnis cœno penitus im̃erſa hæreat, & peropportunum diabolo inſtrumentum, ad inferenda Orbi graviſſima mala ſubminiſtret. Qvo doctiores olim fuêre hæretici, ſcientiiſqve profanis & inflantibus excultiores, eò pernicioſius ſunt graſſati, eoqve furentius [gladiis qvippe bis acutis inſtructi,] ad ipſa pietatis dogmata evertenda ſeſe accinxerunt. Inſtrumenta perditionis (ut Caſſianus loqvitur) ſuppeditarunt ſcientiæ noxiæ, arteſqve à virtute ſejunctæ, qvandoqve ſacram rem tantum non penitus deſtruxêre. Et cum pſeudoſophi illi, lucis naturalis uſum haudqvaqvam purum ac liqvidum habuerint, accidit, ut offuſis à depravato affectu tenebris, ipſam veritatem Orbi revelatam miſerè plerunqve obſcurarint. Opportunè huc veniet Clemens Alex. corruptionis graviſſimæ [ex

Gregor. M. l. 13. Moral. cap. 7.

Philo in lib. de agricult.

Caſſian. Coll. XIV c. 10.

cali-

caligine mentibus eruditis ſuffuſâ] originem noxamqve oſtenſurus; *Qvemadmodum* [ait] *exhalationes, qvæ & è terrâ, & ex lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem & nimboſam vertiginem; ita etiam carnalium cupiditatum* (inflantiumqve ſcientiarum) *vapores, malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis ſpectra animæ repræſentantes, & ante eam effundentes. Intelligenti itaqve luci* (h. e. eruditæ menti) *tenebras offundunt, attrahente animâ vapores, qvi oriuntur ex cupiditate, & perpetuitate voluptatum, vitiorum vertigines condenſante.* Clariſſimè eqvidem his verbis Clemens Alexandrinus innuit, omnem profanæ eruditionis apparatum, omnemqve ſupellectilem literariam, non alio, qvam nothæ, animalis ac diabolicæ ſapientiæ ſtigmate notandam eſſe, ſi ejus poſſeſſores cultoreſqve, virtutis ac pietatis ſinceræ amore & ſtudio deſtituantur. *Splendidiſſima licet illa in oculis ſit mortalium, offuſis tamen ab affectu depravato tenebris, æternùm obſcurabitur.* Hinc eſt, qvod cum Clemente Alexandrino, univerſus Patrum ſanctiſſimorum chorus, cunctos bonarum artium cultores ad pietatis infucatæ ſtudium freqventer adeò ſit cohortatus, & verbis pariter ac factis, exemplo proprio non minus qvam ſermone mellifluo, *ſvaviſſimum illud virtutis & doctrinæ ſolidioris conſortium* duxerit commendandum.

Clem. Alex. lib. II. Strom

Nō enim Patres theſauri latebāt, in illuſtri illo & congeminato gazophylacio reconditi; non præmii cœleſtis, piis parati Doctoribus excellentia eoſdem fugiebat; diſtrictum DEI adverſus flagitioſos literatos judicium minimè ignorabant, certoqve certius credentes, qvod eruditi homines, qvantò plus ſciunt, tanto ſint gravius puniendi, niſi ſanctius devotiuſqve vixerint; ſterilem illam coſmoſophorum & coſmophilorum ſcientiam vanamqve logomachiam toto pectore ſunt deteſtati. Qvod ſi Romani olim, majorem adhuc ſpirantes morum ſeveritatem, nugivendulos Græcorum philoſophos urbe pepulerunt, qvod non niſi otioſis & contentioſis diſciplinis inſtructi, juventutem à virtutis ſolidioris tramite averterint, atqve ad *differendum* duntaxat, non verò ad *agendum* reddiderint idoneos; nemo facilè ſanctiſſimis illis in veteri Academiâ J. C. Profeſſoribus vertet vitio, qvod philodoxos & paradoxos illos Doctores tantoperè ſint averſati, qvos praxi & moribus à Chriſti inſtituto alieniſſimos deprehendêre. Hos ſimiles eſſe putabant ligneis illis manibus, in agrorum limites infixis, qvæ qvá ſit eundum, viatoribus demonſtrant, ipſæ nihilominus loco fixæ permanent; campanis item, qvæ alios ad Eccleſiam vocant, ipſæ tamen loca ſua, qvibus affixæ ſunt, nunqvam deſerunt; Cytharis & Muſi-

cis

cis inſtrumentis, qvæ ſono qvidem proſunt aliis, ipſæ nec ſentiunt nec audiunt qvicqvam; Scribis qvoqve illis & Phariſæis, qvi magis viam in Bethlehem oſtendentes, ipſi eodem proficiſci noluerunt, & ne qvidem pedem moverunt.

III. Eccur obſecro, ſupremæ illi⁹, ſive revelatæ lucis radiis colluſtrati, Deoq; ſoli ſacrati Doctores, veram ſapientiam in nudâ ſcientiæ multijugæ conqviſitione, non item virtutis ac pietatis ſolidioris excercitatione collocarent? cùm è Gentilium cœtu non pauci præclarè ſtatuerint, ſapientiam ſupremam non in VERBIS ſolùm, ſed in REBUS etiam conſiſtere, non in hoc adhiberi, ut cũ aliqvâ oblectatione conſumatur dies, ut dematur otio nauſea, ſed eò collimare potiſſimum, ut animus formetur ac fabricetur, vita diſponatur, actiones regantur, agenda & omittenda demonſtrentur. *Diſcas* [ita egregiè qvondam admonuit Seneca] *qvod oportet, & qvod didiciſti, AGENDO confirmes; Nam qvi didicit, & facienda ac vitandâ præcepit, nondum ſapiens eſt, niſi in ea qvæ didicit, ejus animus transfiguratus ſit.* Et rurſus: *Antiqva Sapientia nihil aliud qvam facienda ac vitanda præcepit, & tunc longè meliores erant Viri, poſtqvà verò* DOCTI *tantùm prodierunt, BONI eſſe deſierunt. Simplex illa & aperta virtus, in obſcuram & inertem ſcientiam verſa*

Sen. epiſtol. 95.

Epiſt. 96.

 eſt,

eſt, docemurq́, BENE DISPUTARE, NON VIVERE. Qvis itaqve vitio vertat priſcis chriſtianæ pietatis Magiſtris; qvod illos Doctores infructuoſos eſſe cenſuerint, qvi multarum rerum ſcientiâ acqviſitâ, virtutis ſtudium negligunt penitus, perpetuæqve ſeſe tradentes deſidiæ, verorum ſapientum nomen haudqvaqvam promerentur? *Inſtructio* (ſcitè admodum ſcribit Doctor mellifluus) *doctos reddit, affectio autem ſapientes. Sol non omnes, qvibus lucet, etiam calefacit; ſic ſapientia multos, qvos docet qvid ſit faciendum, non continuò etiam accendit ad faciendum. Aliud eſt multas divitias ſcire, aliud poſſidere; nec notitia divitem facit, ſed poſſeſſio. Sic prorſus, ſic aliud eſt noſſe DEUM, & aliud timere; nec cognitio ſapientem, ſed timor facit. Tunè ſapientem dixeris, qvem ſua ſapientia inflat? Qvis illos ſapientes niſi inſipientiſſimus dicat, qvi cum cognoviſſent DEUM, non tanqvam DEUM glorificarunt, aut gratias egerunt? ego magis cum Apoſtolo ſentio, qui inſipiens cor eorum manifeſtè pronunciat. Et benè initium ſapientiæ timor Domini; qvoniam tunc primum DEUS animæ ſapit, cum eam afficit ad timendum, non cum inſtruit ad ſciendum.*

Bern. Homil. 25. in Cantic.

Nec minus eleganter idem Bernardus alibi; *Nonne illa ſcientia* (ſcil. virtute vera carens) *reputabitur in peccatum, tanqvam cibus converſus in pravos noxioſqve humores? annon ma-*

Bern. hom. 39. in Cant.

malus humor peccatum, annon mali humores, pravi mores? annon inflationes & torſiones in conſcientia ſuſtinebit, qvi hujuſmodi eſt, ſciens videlicet bonum & non faciens? annon reſponſum mortis & damnationis toties in ſemetipſo habebit, qvoties in mentem venerit ſermo, qvem dixit DEUS, qvia ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, dignè vapulabit multis? Qvid, qvod unumqveqve doctum, multa ſcientem & pauca facientem, nonnemo è veteribus, ſimulachris gentilium compararit, qvæ oculos habeant, & non videant, aures, nec tamen audiant: *Norunt fortaſſis* [pergit ille] *qvomodo vitam ſuam circumſpicere debeant, eam tamen, prout oportet circumſpicere diſſimulant; vivendi qvodammodo inſtrumentum habent, ſed videndi officio carent. Norunt fortaſſe, qvæ ſit virtus, & qvalis eſſe debeat, & tamen non volunt obedire; hoc eſt aures habere & non audire.* Utinam oculos ejuſmodi ligneos, aureſqve inanes, non ij hodienum haberent eruditi, qvi ſacratiori philoſophiæ nomina ſeſe dediſſe gloriantur, & tamen ſterili potius, qvam utili aut fructuoſæ eruditioni navant operam! Utinam illis non conveniat memorabilis illa ſtulti philoſophi deſcriptio, qvam magnus Climacus verbis ſeqventibus expoſuit: *Stultus Philoſophus à ſe ipſo damnatus expoſitor, ſibimet contrarius loqvitor, cæcus videndi magiſter, de ſanitate vulne-*

Conf. Richar. à S. Vict. lib. 1. de erudit. inter hō.

Joh. Climacus grad. XVII.

neris diſputat, atqve id fricando exaſperare non deſinit; contra morbum loqvitur, & qvæ ſunt noxia, manducare non ceſſat; adverſus ſe ipſum orat, & protinus ad opus ſuum proficiſcitur; id dum perficit, ſibi ipſi indignatur, nec verborum ſuorum pudet miſerum. Malefacio clamat, & tamen acrius inſtat. Os contra vitium orat, & corpus pro vitio luctatur. De morte philoſophatur, qvi qvaſi non ſit moriturus, ita vivit; de ſeparatione corporis & animæ ſeverius admonet, & qvaſi ſempiternus futurus ſit dormitat. Nullibi [eheu!] non, ejus farinæ ſtulti philoſophi reperiuntur, qvi (ut rurſus cum D. Bernardo loqvamur) verbum DEI habentes qvidem, ſed illud opere non exercentes, Religionis ſunt SOPHISTICÆ, ſub prætextu ſanctitatis palliatæ &c. Qvales miſeri illi ſint futuri, dies Domini declarabit, ubi locum nullũ, Religionis ſimulatio, nec fictio ſanctitatis, nec ſermo ſophiſticus, nec ſyllogiſmus verſutus inveniet. Nulla verò hinc contemptûs literarii capienda arripiendave eſt occaſio, neqve ad prolacerandas Scientias & artes liberales (emolumentis maximis ſeſe commendantes) propterea ſtringendus eſt calamus: Literis ipſis inqvam, minime tribuendum id, qvod ex pravo ſolùm earundem uſu proficiſcitur; verum monuiſſe ſatis fuerit, doctrinam, pietate ſolidiori deſtitutam, veluti tumidam imò pernicioſam pſeudoſo-

Bern. Serm. XII. in Cant.

doſophiam eſſe proſcribendam, typhumqve nuncupandam, ſeu aëris turbinem, [præcipuam navigiorum peſtem] circumrotatione ſuâ obvia qvæqve confringentem: *O qvot in genere mortalium* [ita piè non minus qvam eleganter Hirnheimi⁹ exclamat] *faſtuoſi ac eminentes arundinum flocci, hoc ſcientiæ VENTO agitantur & diſcerpuntur, qvot illo tumidi utres in exitium ſuum inflantur! qvot eodem, velut nubes ſine aqvâ per inane vitiorum, circumferuntur! qvot hoc typho, è terra virtutis, & baſi vitæ melioris eradicati, in altum exitioſè tolluntur! qvot turbulentus hic auſter contrivit, qvot typhonicæ hujus procellæ impetu contorta & confracta ſunt, pelagus hujus mundi ſulcantium navigia, Qvot ventum hunc ſeminantes, turbinem metunt æternæ damnationis!*

Hieronymus Hirnh. in præf. tract. de Tumore ſcient. human.

Hoſ. 8. v. 7.

IV. O Felices itaqve, O terqve qvaterqve beatos illos LITERATOS, qvi triſtibus adeò vitioſorum, miserèqve pereuntium literatorum caſibus, tot argonautarum periclitantium damnis, maliſqve ſempiternis edocti, huc omne ſtudium conferunt, ut fluctuum illorum exitioſorum impetui, hoc eſt vitiorum execrabilium, pluſqvam typhonicis procellis erepti, deinceps navigationem ſuam, h. e. ſe ipſos regant prudentius, atqve VIRTUTEM & PIETATEM SOLIDIOREM, UNA CUM ERUDITIONE EDECU-

MA-

MATIORI toto vitæ decurſu poſſideant. Id qvâ ratione commodiſſimé fieri, qvove artificio doctrina excellens, cum virtute & pietate verè chriſtianâ ſociari poſſit, præter alios, ſingulari curâ in nobili Militis Chriſtiani Enchiridio magnus ille Deſiderius expoſuit, hoc inter alia, notatu digniſſimum conſilium ſubminiſtrans: *Tutiſſimum eſt PIETATIS officiis occupari, ut opera tua non ad terrena ſtudia, ſed ad Chriſtum referantur. Sed ne ſcientiæ ſubſidia contemnas, illud conſidera: Antea ſatis erat Iſrael hoſtem effugere, at non prius ſibi fidit, ut Amalechiten provocet, ut cominus experiatur, qvam eſſet manna cœleſti, & aqvâ de petra ſcatente refectus. His epulis confirmatus egregius ille bellator David, univerſam hoſtium cohortem contemnit, paraſti, inquiens, in conſpectu meo menſam adverſus omnes, qvi tribulant nos. Crede mihi frater, nulla tam vehemens hoſtium impreſſio, id eſt, nulla tam valida tentatio, qvam ardens ſacrarum literarum ſtudium non facile retundat, nulla tam triſtis adverſitas, qvam non reddat tolerabilem - - - Ergò ſi Te totum ſtudio ſcripturarum dedicabis, ſi in lege Domini meditaberis die ac nocte, non timebis a timore nocturno ſive diurno, ſed ad omnem hoſtium inſultum munitus atqve exercitatus eris. Neqve equidem uſqvequaqve improbaverim, ad hanc militiam velut tyrocinio qvodam prælúdere in literis*

Deſ. Eraſmus Enchir. Milit. Chriſt. qvod extat Tom. V. opp. ſub init.

teris poetarum, & philoſophorum gentilium, modo modicè ac per ætatem qvis eas attingat, & qvaſi in tranſcurſu arripiat, non autem immoretur, & veluti ad ſcopulos ſirenæos conſeneſcat. Nam ad hæc qvoqve ſtudia vocat divus Baſilius adoleſcentulos, qvos ad Chriſtianos mores inſtituit, & ad Muſas revocat Licentium ſuum noſter Auguſtinus. Neqve pœnitet adamatæ captivæ Hieronymum. Laudatur Cyprianus, qvod Ægyptiis ſpoliis Templum Domini, locupletarit. Verum nolim Te cum gentilium literis gentilium & mores haurire. Alioqvi per multa reperies & illic ad rectè vivendum conducibilia: neqve aſpernandum, qvod etiam Ethnicus author benè monet, qvandoqvidem nec Moyſes Jethro ſoceri conſiliũ eſt aſpernatus. Fingunt illæ literæ vegetantqve puerile ingenium, atqve ad divinarum ſcripturarum cognitionem mirè præparant, ad qvas illicò pedibus manibuſqve illotis irrumpere, penè ſacrilegij genus eſt. Hieronymus eorum impudentiam taxat, qvi modo à ſecularibus ſtudiis profecti, audent divinas tractare ſcripturas. At qvanto faciunt impudentius, qvi ne guſtatis qvidem illis, iſtuc ipſum audent. Sed uti divina Scriptura non multum habet fructus, ſi in literâ perſiſtas hæreaſqve; ita non parum utilis eſt Homerica Virgilianaqve poeſis, ſi memineris eam totam eſſe allegoricam: Id qvod nemo negabit, qvi modo veterum eruditionem, vel

vel ſummis labiis deguſtarit. Obſcœnos autem Poëtas, ſvaſerim omninò non attingere, aut certè non introſpicere penitius, niſi forte noveris deſcripta magis horrere vitia, & contemtione turpium, vehementius amare honeſta. E Philoſophis autem Platonicos Te ſeqvi malim, propterea, qvod cum pleriſqve ſententiis, tum ipſo dicendi charactere, qvam proxime ad Propheticam Evangelicamqve figuram accedunt. Breviter, omnem ethnicam literaturam delibare profuerit, ſiqvidem id fiat ut dixi, & annis idoneis, & modice, tum cautim & cum delectu; deinde curſim, & peregrinantis non habitantis more: poſtremò qvod eſt præcipuum, ſi omnia ad CHRISTUM *referantur; ſic enim mundis omnia munda ſunt, cum immundis contra nihil ſit mundum. Neq; vitio tibi vertetur, ſi Salomonis*
Cant. *exemplo, ſexaginta Reginas, octoginta concubi-*
VI. *nas, & innumerabiles ſecularis ſapientiæ puel-*
NB. *las domi alas, modo DIVINA SAPIENTIA præter cæteras ſit unica tua, formoſa tua, columba tua. Et Iſraelites amat alienigenam, barbaramqve, forma captus. ſed capillis deraſis, unguibus præſectis, & allophila facit Iſraelitidem. Et Oſee fornicariam ducit, verum ex ea liberos*
Oſ. I. *tollit non ſibi. ſed Domino Sabaoth, ſanctumqve Prophetæ ſtuprum dominicam auget familiam. Hebræi poſteaqvam Ægyptum reliqverant, aliqvandiu conſperſo vivebant. ſed hic cibus temporarius erat, neqve ad tantam profectionem poterat*

terat ſuppetere. Ergò eo mox faſtidito, ad manna properandum eſt cæleſtis ſapientiæ, quæ te affatim alet animabitqve, donec propoſiti victor pervenias ad palmas illas præmii nunqvam deſituri. Ita præclariſſimè de nobili illo Pietatis ſinceræ (ex ſacrarum literarum latifundio hauriendæ) & eruditionis profanæ conjugio qvondam Eraſmus diſſeruit, cujus exemplum cum ſibi ætate noſtra imitandum ſumſiſſet GISBERTUS VOETI9; in illuſtri qvâdam Doctorum Academicorum coronâ, Sermonem memorabilem habuit de PIETATE cum SCIENTIA CONJUNGENDA; illius partem potiorem (utpote multo fructu ſeſe commendantem) transſcribendam duximus, & cum pluribus h.l. communicandam, eſt autem talis: *G. Vœtii piet. cũ Orat. de ſcientiæ conjung. extat ſub fin. exercit. piet. edit. Gorich. 1664.*

„ Cogitanti mihi, auditores clariſſimi, qvo „ potiſſimum Orationis genere in Athenæo „ hoc noſtro primitus Theologicam cathedrã „ dedicarem, in mentem venit ratio condi„ tionis & vocationis meæ; qvæ non tam ſci„ entiarum optimarumqve artium commen„ dationem abundè & egregiè ſatis à doctiſ„ ſimis Collegis præſtitam, qvam aliqvod ad „ pietatem incentivum jure ſuo poſtulare vi„ detur; ſi forte fugientem illam & tantum „ non terras relinqventem [ut olim Poëtæ de „ Aſtrea ſua] retrahere & ſiſtere qveamus. „ Præſertim cum nemo ſanus non videat, nemo

Confer Felic. Liter. Coment. IX. & ult. per tot.

qvondam deteſtati ſumus, FELICITATI, ex virtutis veræ ſinceræqve exercitio provenienti, graviſſimum utplurimum obicem poſuiſſe, tempus pietati debitum, ſacrilego auſu ſibi vendicaſſe, tantum non omnem diſtraxiſſe devotionem, qvinimò Ducem qvandoqve exercitûs vitiorum, literatos homines infamantium perdentiumqve extitiſſe. Nimirum, ut eleganter non minus, qvam verè qvondam PETRUS DAMIANUS; *Qvi vitiorum* (ſcripſit) *omnium catervas moliebatur inducere, CUPIDITATEM SCIENTIÆ, QVASI DUCEM EXERCITUS poſuit, ſicqve poſtea infelici Mundo cunctas iniqvitatum turmas invexit.* Sanè cum Literatis, inflantium duntaxat ſcientiarum glutino detentis, rara de DEO cogitatio obverſetur, doctiqve, continuæ profanorum ſcriptorum lectioni, ac intellectûs perfectioni intendentes, omne propemodum tempus otioſis contemplationibus conſumant, orationem faſtidiant, rerum cæleſtium ſtudium prorſus negligant, adeoqve divinæ gratiæ ſcatebrâ penitus deſtituti, de ſapientiâ Sanctorum acqvirendâ haudqvaqvam ſint ſolliciti; mirum non eſt, qvod culparum graviſſimarum mala, ſpiſſamq; animi cæcitatem incurrant, & perpetuâ tandem excidant felicitate. Non ægre itaq; ferat Vir doctrinâ multijugâ coruſcans, ſed vehementer potius lætetur, ſi deprehendat, toties ſibi inculcari cōmen-

P. Damian. ep. CV.

mendariqve ſtudium veræ ſinceræqve PIETATIS; totus ardeat nobiliſſimæ ejuſce virtutis, ſcientiæq; celſiſſimæ amore, deſpiciens præ illâ ejuſmodi doctrinam, vi cujus nec ſummum acqviritur bonum, nec à ſumo malo mortales revocantur; cæterũ pro virili ſua ſtabiliens ſalutarem illum ac verè fructuoſum SYNCRETISMUM, ſive chriſtianæ Pietatis, cum doctrinâ eminentiori conſociationem. Innumeros profectò tenet infernus, qvibus profanarum rerum cognitio fuit maxima, pietate deſtituta; cum dæmonibus iſti degunt δαίμονες, & cum doctiſſimo acutiſſimoqve Lucifero, cœlo æternum erunt extorres. Horreant licet boni omnes, vel ad ſolum SYNCRETISMI BABELICI nomen, atqve toto pectore infauſtam diverſarum religionum confuſionem deteſtentur; ſanctiſſima tamen illa, omniumq; felicium literatorum calculis ſummoperè probata ERUDITIONIS ac VIRTUTIS ſolidioris CONGLUTINATIO, incomparabili ſeſe fructu ubiqve commendat, atqve emolumento ſempiterno.

II. Elegantiſſimè Bernardus, SCIENTIAM MULTIJUGAM, chriſtianæ Pietatis igne neutiqvam decoctam, cum cibo contulit, ob nimiam in ſtomachum ingeſtionem, vi caloris nativi haud ſubacto, unde cruditates morbiqve exitioſi procreentur, nec rarò clades hominis, nimiam illam repletionem ex- *Bernar. Serm. 39. in Cant.*

cipiat. Et juxta Magnum Gregorium, corda, non niſi profanè ſapientium, *vaſa papyri* merentur nuncupari; *Qvantumcunqve* [ait] *illa ad horam ſtrepant, aliud non reportant, qvam divini furoris pondus, qvo opprimuntur & conteruntur.* Qvid, qvod Philo Judæus farinæ ejuſce ſapientes cum ſuibus duxerit conferendos, eò qvod illæ ungulam qvidem dividentes, attamen non ruminantes, in lege immundæ cenſeantur; nec ipſe Jacobus Apoſtolus dubitarit, ſapientiam hujuſmodi ANIMALEM vocare, & DIABOLICAM, ſiqvidē & carnis cœno penitus im̄erſa hæreat, & peropportunum diabolo inſtrumentum, ad inferenda Orbi graviſſima mala ſubminiſtret. Qvo doctiores olim fuêre hæretici, ſcientiiſqve profanis & inflantibus excultiores, eò pernicioſius ſunt graſſati, eoqve furentius [gladiis qvippe bis acutis inſtructi,] ad ipſa pietatis dogmata evertenda ſeſe accinxerunt. Inſtrumenta perditionis (ut Caſſianus loqvitur) ſuppeditarunt ſcientiæ noxiæ, arteſqve à virtute ſejunctæ, qvandoqve ſacram rem tantum non penitus deſtruxêre. Et cum pſeudoſophi illi, lucis naturalis uſum haudqvaqvam purum ac liqvidum habuerint, accidit, ut offuſis à depravato affectu tenebris, ipſam veritatem Orbi revelatam miſerè plerunqve obſcurarint. Opportunè huc veniet Clemens Alex. corruptionis graviſſimæ [ex

Gregor. M. l. 13. Moral. cap. 7.

Philo in lib. de agricult.

Caſſian. Coll. XIV c. 10.

cali-

caligine mentibus eruditis ſuffusâ] originem noxamqve oſtenſurus; *Qvemadmodum* [ait] *exhalationes, qva & è terrâ, & ex lacunis ac voraginibus oriuntur, conflantur in caliginem & nimboſam vertiginem; ita etiam carnalium cupiditatum* (inflantiumqve ſcientiarum) *vapores, malam animæ inurunt habitudinem, voluptatis ſpectra animæ repræſentantes, & ante eam effundentes. Intelligenti itaqve luci* (h. e. eruditæ menti) *tenebras offundunt, attrahente animâ vapores, qvi oriuntur ex cupiditate, & perpetuitate voluptatum, vitiorum vertigines condenſante.* Clariſſimè eqvidem his verbis Clemens Alexandrinus innuit, omnem profanæ eruditionis apparatum, omnemqve ſupellectilem literariam, non alio, qvam nothæ, animalis ac diabolicæ ſapientiæ ſtigmate notandam eſſe, ſi ejus poſſeſſores cultoreſqve, virtutis ac pietatis ſinceræ amore & ſtudio deſtituantur. *Splendidiſſima licet illa in oculis ſit mortalium, offuſis tamen ab affectu depravato tenebris, æternùm obſcurabitur.* Hinc eſt, qvod cum Clemente Alexandrino, univerſus Patrum ſanctiſſimorum chorus, cunctos bonarum artium cultores ad pietatis infucatæ ſtudium freqventer adeò ſit cohortatus, & verbis pariter ac factis, exemplo proprio non minus qvam ſermone mellifluo, *ſvaviſſimum illud virtutis & doctrinæ ſolidioris conſortium* duxerit commendandum.

Clem. Alex. lib. II. Strom

Nō enim Patres theſauri latebāt, in illuſtri illo & congeminato gazophylacio reconditi; non præmii cœleſtis, piis parati Doctoribus excellentia eoſdem fugiebat; diſtrictum DEI adverſus flagitioſos literatos judicium minimè ignorabant, certoqve certius credentes, qvod eruditi homines, qvantò plus ſciunt, tanto ſint gravius puniendi, niſi ſanctius devotiuſqve vixerint; ſterilem illam coſmoſophorum & coſmophilorum ſcientiam vanamqve logomachiam toto pectore ſunt deteſtati. Qvod ſi Romani olim, majorem adhuc ſpirantes morum ſeveritatem, nugivendulos Græcorum philoſophos urbe pepulerunt, qvod non niſi otioſis & contentioſis diſciplinis inſtructi, juventutem à virtutis ſolidioris tramite averterint, atqve ad *differendum* duntaxat, non verò ad *agendum* reddiderint idoneos; nemo facilè ſanctiſſimis illis in veteri Academiâ J. C. Profeſſoribus vertet vitio, qvod philodoxos & paradoxos illos Doctores tantoperè ſint averſati, qvos praxi & moribus à Chriſti inſtituto alieniſſimos deprehendêre. Hos ſimiles eſſe putabant ligneis illis manibus, in agrorum limites infixis, qvæ qvà ſit eundum, viatoribus demonſtrant, ipſæ nihilominus loco fixæ permanent; campanis item, qvæ alios ad Eccleſiam vocant, ipſæ tamen loca ſua, qvibus affixæ ſunt, nunqvam deſerunt; Cytharis & Muſi-

cis

Google

cis inſtrumentis, qvæ ſono qvidem proſunt aliis, ipſæ nec ſentiunt nec audiunt qvicqvam; Scribis qvoqve illis & Phariſæis, qvi magis viam in Bethlehem oſtendentes, ipſi eodem proficiſci noluerunt, & ne qvidem pedem moverunt.

III. Eccur obſecro, ſupremæ illi[9], ſive revelatæ lucis radiis colluſtrati, Deoq; ſoli ſacrati Doctores, veram ſapientiam in nudâ ſcientiæ multijugæ conqviſitione, non item virtutis ac pietatis ſolidioris excercitatione collocarent? cum è Gentilium cœtu non pauci præclarè ſtatuerint, ſapientiam ſupremam non in VERBIS ſolùm, ſed in REBUS etiam conſiſtere, non in hoc adhiberi, ut cũ aliqvâ oblectatione conſumatur dies, ut dematur otio nauſea, ſed eò collimare potiſſimum, ut animus formetur ac fabricetur, vita diſponatur, actiones regantur, agenda & omittenda demonſtrentur. *Diſcas* [ita egregiè qvondam admonuit Seneca] *qvod oportet, & qvod didiciſti, AGENDO confirmes; Nam qvi didicit, & facienda ac vitanda præcepit, nondum ſapiens eſt, niſi in ea qvæ didicit, ejus animus transfiguratus ſit.* Et rurſus: *Antiqva Sapientia nihil aliud qvam facienda ac vitanda præcepit, & tunc longè meliores erant Viri, poſtqvã verò* DOCTI *tantum prodierunt, BONI eſſe deſierunt. Simplex illa & aperta virtus, in obſcuram & inertem ſcientiam verſa*

Sen. epiſtol. 95.

Epiſt. 96.

malus humor peccatum, annon mali humores, pravi mores? annon inflationes & torſiones in conſcientia ſuſtinebit, qvi hujuſmodi eſt, ſciens videlicet bonum & non faciens? annon reſponſum mortis & damnationis toties in ſemetipſo habebit, qvoties in mentem venerit ſermo, qvem dixit DEUS, qvia ſervus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens, dignè vapulabit multis? Qvid, qvod unumqveqve doctum, multa ſcientem & pauca facientem, nonnemo è veteribus, ſimulachris gentilium compararit, qvæ oculos habeant, & non videant, aures, nec tamen audiant: *Norunt fortaſſis* [pergit ille] *qvomodo vitam ſuam circumſpicere debeant, eam tamen, prout oportet circumſpicere diſſimulant; vivendi qvodammodo inſtrumentum habent, ſed videndi officio carent. Norunt fortaſſe, qvæ ſit virtus, & qvalis eſſe debeat, & tamen non volunt obedire; hoc eſt aures habere & non audire.* Utinam oculos ejuſmodi ligneos, aureſqve inanes, non ij hodienum haberent eruditi, qvi ſacratiori philoſophiæ nomina ſeſe dediſſe gloriantur, & tamen ſterili potius, qvam utili aut fructuoſæ eruditioni navant operam! Utinam illis non conveniat memorabilis illa ſtulti philoſophi deſcriptio, qvam magnus Climacus verbis ſeqventibus expoſuit: *Stultus Philoſophus à ſe ipſo damnatus expoſitor, ſibimet contrarius loqvitor, cæcus videndi magiſter, de ſanitate vulne-*

Conf. Richar. à S. Vict. lib. 1. de erudit. inter hō.

Job. Climacus grad. XVII.

neris diſputat, atqve id fricando exaſperare non deſinit; contra morbum loqvitur, & qvæ ſunt noxia, manducare non ceſſat; adverſus ſe ipſum orat, & protinus ad opus ſuum proficiſcitur; id dum perficit, ſibi ipſi indignatur, nec verborum ſuorum pudet miſerum. Malefacio clamat, & tamen acrius inſtat. Os contra vitium orat, & corpus pro vitio luctatur. De morte philoſophatur, qvi qvaſi non ſit moriturus, ita vivit; de ſeparatione corporis & animæ ſeverius admonet, & qvaſi ſempiternus futurus ſit dormitat. Nullibi [eheu!] non, ejus farinæ ſtulti philoſophi reperiuntur, qvi (ut rurſus cum D Bernardo loqvamur) verbum DEI habentes qvidem, ſed illud opere non exercentes, Religionis ſunt SOPHISTICÆ, ſub prætextu ſanctitatis palliatæ &c. Qvales miſeri illi ſint futuri, dies Domini declarabit, ubi locum nullū, Religionis ſimulatio, nec fictio ſanctitatis, nec ſermo ſophiſticus, nec ſyllogiſmus verſutus inveniet. Nulla verò hinc contemptûs literarii capienda arripiendave eſt occaſio, neqve ad prolacerandas Scientias & artes liberales (emolumentis maximis ſeſe commendantes) propterea ſtringendus eſt calamus: Literis ipſis inqvam, minimè tribuendum id, qvod ex pravo ſolùm earundem uſu proficiſcitur; verum monuiſſe ſatis fuerit, doctrinam, pietate ſolidiori deſtitutam, veluti tumidam imò perniciosam pſeudoſo-

Bern. Serm. XII. in Cant.

doſophiam eſſe proſcribendam, typhumqve nuncupandam, ſeu aëris turbinem, [præcipuam navigiorum peſtem] circumrotatione ſuâ obvia qvæqve confringentem: *O qvot in genere mortalis* [ita piè non minus qvam eleganter Hirnheimi⁹ exclamat] *faſtuoſi ac eminentes arundinum flocci, hoc ſcientiæ VENTO agitantur & diſcerpuntur, qvot illo tumidi utres in exitium ſuum inflantur! qvot eodem, velut nubes ſine aquâ per inane vitiorum, circumferuntur! qvot hoc typho, é terra virtutis, & baſi vitæ melioris eradicati, in altum exitioſè tolluntur! qvot turbulentus hic auſter contrivit, qvot typhonica hujus procella impetu contorta & confracta ſunt, pelagus hujus mundi ſulcantium navigia, ? Qvot ventum hunc ſeminantes, turbinem metunt æternæ damnationis!*

Hieronymus Hirnh. in præf. tract. de Tumore ſcient. human.

Hoſ. 8. v. 7.

IV. O Felices itaqve, O terqve qvaterqve beatos illos LITERATOS, qvi triſtibus adeò vitioſorum, miſerèqve pereuntium literatorum caſibus, tot argonautarum periclitantium damnis, maliſqve ſempiternis edocti, huc omne ſtudium conferunt, ut fluctuum illorum exitioſorum impetui, hoc eſt vitiorum execrabilium, pluſqvam typhonicis procellis erepti, deinceps navigationem ſuam, h. e. ſe ipſos regant prudentius, atqve VIRTUTEM & PIETATEM SOLIDIOREM, UNA CUM ERUDITIONE EDECU-

MA-

MATIORI toto vitæ decurſu poſſideant. Id qvâ ratione commodiſſimé fieri, qvove artificio doctrina excellens, cum virtute & pietate verè chriſtianâ ſociari poſſit, præter alios, ſingulari curâ in nobili Militis Chriſtiani Enchiridio magnus ille Deſiderius expoſuit, hoc inter alia, notatu digniſſimum conſilium ſubminiſtrans: *Tutiſſimum eſt PIETATIS officiis occupari, ut opera tua non ad terrena ſtudia, ſed ad Chriſtum referantur. Sed ne ſcientiæ ſubſidia contemnas, illud conſidera: Antea ſatis erat Iſrael hoſtem effugere, at non prius ſibi fidit, ut Amalechiten provocet, ut cominus experiatur, qvam eſſet manna cœleſti, & aqvâ de petra ſcatente refectus. His epulis confirmatus egregius ille bellator David, univerſam hoſtium cohortem contemnit, paraſti, inqviens, in conſpectu meo menſam adverſus omnes, qvi tribulant nos. Crede mihi frater, nulla tam vehemens hoſtium impreſſio, id eſt, nulla tam valida tentatio, qvam ardens ſacrarum literarum ſtudium non facile retundat, nulla tam triſtis adverſitas, qvam non reddat tolerabilem - - - Ergo ſi Te totum ſtudio ſcripturarum dedicabis, ſi in lege Domini meditaberis die ac nocte, non timebis a timore nocturno ſive diurno, ſed ad omnem hoſtium inſultum munitus atqve exercitatus eris. Neqve eqvidem uſqveqvaqve improbaverim, ad hanc militiam velut tyrocinio qvodam prælude re in literis*

Deſ. Eraſmus Enchir. Milit. Chriſt. qvod extat Tom. V. opp. ſub init.

teris poetarum, & philoſophorum gentilium, modo modicè ac per ætatem qvis eas attingat, & qvaſi in tranſcurſu arripiat, non autem immoretur, & veluti ad ſcopulos ſirenæos conſeneſcat. Nam ad hæc qvoqve ſtudia vocat divus Baſilius adoleſcentulos, qvos ad Christianos mores inſtituit, & ad Muſas revocat Licentium ſuum noſter Auguſtinus. Neqve pœnitet adamatæ captivæ Hieronymum. Laudatur Cyprianus, qvod Ægyptiis ſpoliis Templum Domini, locupletarit. Verum nolim Te cum gentilium literis gentilium & mores haurire. Alioqvi per multa reperies & illic ad rectè vivendum conducibilia: neqve aſpernandum, qvod etiam Ethnicus author benè monet, qvandoqvidem nec Moyſes Jethro ſoceri conſiliũ eſt aſpernatus. Fingunt illæ literæ vegetantqve puerile ingenium, atqve ad divinarum ſcripturarum cognitionem mirè præparant, ad qvas illicò pedibus manibuſqve illotis irrumpere, penè ſacrilegij genus eſt. Hieronymus eorum impudentiam taxat, qvi modo à ſecularibus ſtudiis profecti, audent divinas tractare ſcripturas. At qvanto faciunt impudentius, qvi ne guſtatis qvidem illis, iſtuc ipſum audent. Sed uti divina Scriptura non multum habet fructus, ſi in literâ perſiſtas hæreaſqve; ita non parum utilis eſt Homerica Virgilianaqve poeſis, ſi memineris eam totam eſſe allegoricam: Id qvod nemo negabit, qvi modo veterum eruditionem,

vel

*vel ſummis labiis deguſtarit. Obſcœnos autem
Poëtas, ſvaſerim omninò non attingere, aut cer-
tè non introſpicere penitius, niſi forte noveris de-
ſcripta magis horrere vitia, & contemtione tur-
pium, vehementius amare honeſta. E Philoſo-
phis autem Platonicos Te ſeqvi malim, propte-
rea, qvod cum plerisqve ſententiis, tum ipſo di-
cendi charactere, qvam proximè ad Propheti-
cam Evangelicamqve figuram accedunt. Bre-
viter, omnem ethnicam literaturam delibare
profuerit, ſiqvidem id fiat ut dixi, & annis ido-
neis, & modicè, tum cautim & cum delectu; de-
inde curſim, & peregrinantis non habitantis
more: poſtremò qvod eſt præcipuum, ſi omnia
ad* CHRISTUM *referantur; ſic enim mundis o-
mnia munda ſunt, cum immundis contra nihil ſit
mundum. Neq; vitio tibi vertetur, ſi Salomonis*

Cant. VI. *exemplo, ſexaginta Reginas, octoginta concubi-
nas, & innumerabiles ſecularis ſapientiæ puel-
las domi alas, modo DIVINA SAPIENTIA*

NB. *præter cæteras ſit unica tua, formoſa tua, colum-
ba tua. Et Iſraelites amat alienigenam, bar-
baramqve, forma captus. ſed capillis deraſis, un-
gvibus præſectis, & allophila facit Iſraelitidem.
Et Oſee fornicariam ducit, verum ex ea liberos
tollit non ſibi. ſed Domino Sabaoth, ſanctumqve*

Oſ. I. *Prophetæ ſtuprum dominicam auget familiam.
Hebræi poſtea qvam Ægyptum reliqverant, a-
liqvandiu conſperſo vivebant. ſed hic cibus tem-
porarius erat, neqve ad tantam profectionem po-*

terat

terat ſuppetere. Ergò eo mox faſtidito, ad manna properandum eſt cæleſtis ſapientiæ, qvæ te affatim alet animabitqve, donec propoſiti victor pervenias ad palmas illas præmii nunqvam deſituri. Ita præclariſſimè de nobili illo Pietatis ſinceræ (ex ſacrarum literarum latifundio hauriendæ) & eruditionis profanæ conjugio qvondam Eraſmus diſſeruit, cujus exemplum cum ſibi ætate noſtra imitandum ſumſiſſet GISBERTUS VOETI⁹; in illuſtri qvâdam Doctorum Academicorum coronâ, Sermonem memorabilem habuit de PIETATE cum SCIENTIA CONJUNGENDA; illius partem potiorem (utpote multo fructu ſeſe commendantem) transſcribendam duximus, & cum pluribus h.l. communicandam, eſt autem talis:

G. Vœtii piet. cũ Orat. de ſcientiæ conjung. extat ſub fin. exercit. piet. edit. Gorich. 1664.

„ Cogitanti mihi, auditores clariſſimi, qvo „ potiſſimum Orationis genere in Athenæo „ hoc noſtro primitus Theologicam cathedrã „ dedicarem, in mentem venit ratio condi„ tionis & vocationis meæ; qvæ non tam ſci„ entiarum optimarumqve artium commen„ dationem abundè & egregiè ſatis à doctiſ„ ſimis Collegis præſtitam, qvam aliqvod ad „ pietatem incentivum jure ſuo poſtulare vi„ detur; ſi forte fugientem illam & tantum „ non terras relinqventem [ut olim Poëtæ de „ Aſtrea ſua] retrahere & ſiſtere qveamus. „ Prælertim cum nemo ſanus non videat, ne-

mo

„mo pius non doleat, triſtiſſimam recidivam „ferè pati hæc reſtaurata Chriſtianiſmi tem„pora, & ſuperſtitione pulsâ, Libertiniſmum, „Epicureiſmum, ſecuritatem, diſſolutionem, „Mundum deniqve totum qvaſi inſtructa a„cie ingruere ; ut verè de temporibus no„ſtris dici poſſit: *Eſſe nunc ſcientiæ multum,* „*conſcientiæ parum* ; & qvod olim antiqvi„tus jactatum: *Seculum eſſe religionum ferax,* „*pietatis ſterile.* Uſqve adeò *illa ingeniorum* „*ſcabies* [ut loqvar cum Seneca] aulas, por„ticus, fora, urbes, agros, domos, naves, cur„rus, gymnaſia deniqve omnia pervaſit, ut „*diſputare malint qvam vivere.* Huic graſ„ſanti, huic infeſtiſſimo malo ut pro virili oc„curramus, ſtatuimus hodie conſcientiis o„mnium, qvos qvidem aliqva DEI ſui & pro„priæ ſalutis cura tangit, hoc perſvadere : „*Pietatem cum ſcientia conjungendam, impri-* „*mis* STUDIOSIS *&* LITERATIS, *& qvidem in* „*Gymnaſiis, in curſu ſtudioru.* Qvod argume„tum, cum auditoribus Chriſtianis, cum Con„cionatori Theologo, cum Gymnaſio huic „illuſtri, cum inſtituto Ampliſſ. Prudentiſſi„miq; Magiſtratus, cum bonorum omnium, „cum Parentum, Fautorum, Tutorum, Me„cœnatũ votis & honeſtis deſideriis ſit con„venientiſſimum, qvin apud vos facilem fa„vorem & applauſum inventurum ſit, nullus „dubito.

Ut

,, Ut ergo rectè procedat Oratio, operæ
,, pretium nos facturos arbitramur, ſi, qvid ſit
,, pietas, verbo explicemus. Non aberrabit,
,, qvi cum ſacrâ Scripturâ dicat eam eſſe fi-
,, dem per charitatem efficacem; aut qvi in
,, trigâ illa virtutum, ſummam ejus conſtitu-
,, at, in fide ſcilicet, ſpe, charitate. Chara-
,, cteriſmum pietatis delucidè & populariter
,, nihilominꝰ doctè & patheticè exhibet ſan-
,, ctiſſimꝰ Chriſti Martyr Cyprianꝰ verè λόγων
,, ποιητὴς καὶ ῥηκτὴρ ἔργων: *Humilitas in*
,, *converſatione, ſtabilitas in fide, verecun-*
,, *dia in verbis, in factis juſtitia, in operibus*
,, *miſericordia, in moribus diſciplina, inju-*
,, *riam facere non noſſe, & factam tolerare*
,, *poſſe, cum fratribus pacem tenere, DEUM*
,, *toto corde diligere, amare in illo qvod Pa-*
,, *ter eſt, timere qvod DEUS eſt, Chriſto nihil*
,, *omnino præponere, qvia nec nobis ille qvic-*
,, *qvam præpoſuit, charitati ejus inſepara-*
,, *biliter adhærere, qvando de ejus nomi-*
,, *ne & honore certamen eſt, exhibere in*
,, *ſermone conſtantiam, qvâ confitemur: in*
,, *qvæſtione fiduciam, qvâ congredimur: in*
,, *morte patientiam, qvâ coronamur. Hoc*
,, *eſt cohæredem Chriſti velle eſſe, hoc eſt*
,, *voluntatem patris adimplere.* Hacte-

„ nus Cyprianus. Talem pietatem veræ Sa-
„ pientiæ individuam comitem, omnium vir-
„ tutum, omnium actionum noſtrarum regi-
„ nam & dominam, ipſa lex ſummi Numinis
„ omnium conſcientiis, imprimis legum di-
„ vinarum atqve humanarum ſtudioſis impe-
„ rat. Antiqvi legislatores, Lycurgus, Nu-
„ ma, aliiqve ut optimè inſtitutis legibus, a-
„ pud homines vitiis & pravis affectibus dedi-
„ tos, authoritatem aliqvam conciliarent, è
„ cælo eas deducebant, & ad Dei Deæve ali-
„ cujus oraculum & familiaritatem earum o-
„ riginem referebant. Sed nunc tali auxilio,
„ nec defenſoribus illis tempus eget, in tam
„ altâ Evangelii luce, in tam præclarâ & dif-
„ fuſa Chriſtianiſmi profeſſione, in hoc illu-
„ ſtri Gymnaſio, in iſta auditorũ coronâ. Non
„ qværam ex vobis qvaſi dubitabundus; qvod
„ B. Paulus ex Agrippa: *Credis Agrippa Prophe-*
„ *tis*? Sed fidenter dicam, ſuperabundans
„ gaudeo, ore meo aperto erga vos: Scio
„ qvod creditis publicis atq; indubitatis ver-
„ bi divini tabulis: Chriſtiani eſtis, hoſpites
„ ſanctorum, domeſtici Dei, conſortes divi-
„ næ naturæ, filii Prophetarum, filii Scriptu-
„ rarum. Audite ergo Deum veſtrum, po-
„ pule Dei, genuina cæli propago, audite filii
2 Petr. I. ℣. 5. 6. 7. 8. 9. „ minimè fallaces Patrem veſtrum loqventem
„ per Apoſtolum: *Ad hoc ipſum verò vos om-*
„ *ni collato ſtudio, adjicere fidei veſtræ vir-*
tutem,

„ *tutem, virtuti verò notitiam, notitiæ ve-*
„ *rò continentiam, continentiæ verò tole-*
„ *rantiam, tolerantiæ verò pietatem, pieta-*
„ *ti verò fraternum amorem, fraterno ve-*
„ *rò amori charitatem. Hæc verò ſi vobis*
„ *adſint & abundent, non inertes vos & in-*
„ *fructuoſos efficient in Domini noſtri JESU*
„ *CHRISTI agnitione. Nam cui hæc non*
„ *adſunt is cæcus eſt, nihil procul cernens,*
„ *oblitus ſeſe à veteribus peccatis ſuis fuiſſe*
„ *purificatum.* Et alibi: *Qvis ſapiens &* Jac. 3.
„ *ſcientia præditus, inter vos? demonſtret* ℣. 13.
„ *ex bona converſatione opera ſua, cum le-*
„ *nitate ſapiente.* Et paulo poſt: *Qvæ au-*
„ *tem ſupernè eſt ſapientia, primum qvidem*
„ *caſta eſt, deinde pacifica, æqva, obſeqvens,*
„ *plena miſericordiæ & fructuum bonorum.*
„ Hæc mandat ſummus legislator, qvi poteſt
„ ſervare & perdere. Hoc poſtulat à vobis
„ fons omnis ſapientiæ, à qvo omne donum
„ & perfecta donatio, à qvo ars & ſcientia,
„ ſapientia & intelligentia, à qvo ſermo lin-
„ gvæ. Hoc inclamat ille qvi tanqvam ſu-
„ premus Muſagetes ſcholis & ſtudiis præſi-
„ det, qvi verè Stator fugientium literarum
„ barbariem à capitibus noſtris avertit, qvi in-
„ genium literarum capax nobis contulit, qvi

„ Ampliſſimo hujus celeberrimæ urbis Ma-
„ giſtratui hanc mentem indidit. Si ſubdi-
„ ti ſummi Numinis, ſi filii ſapientiæ, ſi verè
„ ſtudioſi ſumus, ſi ſublimi ac generoſo ſapi-
„ entiæ ardore pectus noſtrum incaluit,
„ ſi ſupra communem idiotarum, imò & pro-
„ letariorum ſtudioſorum ſortem ſanctâ qva-
„ dam ambitione atqve æmulatione attolli
„ volumus, audiamus tam benignum patrem
„ ad ſe & ſua, ad bonum ſuum imò ad bonum
„ noſtrum, ad nos ipſos, ut verè noſtri & ipſius
„ ſimus, nos continuò revocantem: tanto a-
„ lacrius audiamus, qvanto majori atqve ar-
„ ctiori vinculo illi ſupra alios omnes obſtrin-
„ gimur. Divinum eſt apophtegma qvod
Henrici IV. Regis Galliarũ. „ fertur, Regis, qvi noſtrâ memoriâ vixit, ma-
„ ximi: *Cum ego*, inqvit, *naſcerer, vel centies*
„ *mille homines mecum nati ſunt. Et tamen*
„ *me DEUS inter omnes ad Regnum naſci vo-*
„ *luit. Decet ergo nos ejus benignitati impri-*
„ *mis gratiam rependere, & cogitare, Magna-*
„ *tum peccata non eſſe parva. An non omnes*
„ *ſtudioſi & literati ita ſecum cogitare debe-*
„ *bant?* Qvot nautæ, opifices, mechanici, a-
„ gricolæ, gregarii milites, imò & mendici,
„ cæci, claudi, mutili, amentes, ſtupidi mecum
„ nati ſunt? Et DEus mihi inter omnes, cum
„ nativitate ingenii bonitatem, cum educati-
„ one in ſcholis & Gymnaſiis uberē ejuſdem
„ culturam, , ad hæc hæc Parentes nobiles, di-
vites

vites, liberales, aut fautores ac Mecœnates „
munificos, aliasqve ad præclarum hoc lite- „
rarium certamen, copias auxiliares abundè „
ſuppeditavit. Qvid ceſſamus, dicere cum „
Davide: *Qvid rependam Domino? Omnia* „
beneficia ejus ſupra me ſunt. Et; *Sed qvid* „ *Pſ.116.*
pergat adhuc David loqvi apud te? Tu enim „ *2. Sam.*
noſti ſervum tuum Domine Jehova? Pro- „ *7.*
pter ſermonem tuum, & ſecundum animum „
tuum, praſtas has omnes res maximas, notas „
faciendo ſervo tuo. Qvid enim magis glo- „
rioſum eſt in conſpectu Dei noſtri, qvi æter- „
na ſapientia eſt, in conſpectu Angelorum „
[qvos propter ſcientiam dæmones Platoni- „
ci, Intelligentias Peripatetici appellant] „
qvam ſapientiæ myſtas, & divinarum hu- „
manarumq; literarum ſtudioſos æternæ ſa- „
pientiæ vocem in excelſis civitatis, in pla- „
teis, in templis, in Gymnaſio, in exercitiis, „
in ſtudiis, in circulis, in ambulacris undiq; „
inſonantem audire? O qvam præclarum „
ſpectaculum, cum generoſos illos ſapientiæ „
milites, in auguſtiſſimo qvodam theatro an- „
te ora Deorum in his terris, parentum, ami- „
corum, fautorum, conſtitutos præclarum il- „
lud pietatis certamen invicto & excelſo a- „
nimo ſuſcipere, turpiſſimas illas & blandiſ- „
ſimas juvenilium cupiditatum peſtes maxi- „
morum vitiorum illices domare, & imbel- „
lem qvemqve inter ipſos Alexand. M. ſub- „
 limi-

„ limitatem, & fortiſſimorum qvorumqve„ ducum trophæa longè ſuperare videmus!
„ Contra qvam inglorium, qvam deteſtan„ dum, qvam toto lacrymarum Oceano de„ plorandum, ſtudioſos absqve DEI timore„ absqve pietatis & devotionis exercitiis, abs„ qve virtutum ſemente aut meſſe, qvâ ſi ter„ ræ filios terræ inſcriptos, Mundo addictos,
„ carni & vanitati ſubſervientes vertiginosâ
„ atqve incertâ vagatione circumagi, inſtar„ cameli in æſtu, aut naufragæ navis in tem„ peſtate! Utinam, qvod in ore multorum
„ jam ab antiqvo hæſit dicterium, ſemel ſepe„ liri poſſet: *Eruditos eſſe pejores*! Utinam
„ ſemel communi operâ opprobrium illud ab
„ Academiis, Gymnaſiis, & ſtudioſorum cœ„ tibus auferamus! Cœpit jam, qvod ſine„ pudore & dolore dicere non poſſumus, præ„ clarum illud ſtudioſorum nomen nunqvam
„ absqve honore nominandum, [ſiqvidem
„ facta verbis, res titulis convenirent] in tan„ to contemptu eſſe apud multos, etiam mi„ nimè malos, ut ſtudioſi pari honoris & reve„ rentiæ gradu apud ipſos ſint, qvo Pantomi„ mi, & ſcurræ urbani, aut Libertini atqve E„ picuræi, aut manipularii qvidam milites,
„ graſſatores nocturni, infelices humani ge„ neris alaſtores, filii Belial (i. absqve pro„ fectu) ut loqvitur Scriptura, qvi jugum o„ mne perfregêre, qvi pietatis honeſtatis pu-
doris

doris ſepta omnia perrupêre. Putant enim „ inertes & malè feriatos plurimos ad hoc ſtu- „ diis initiatos, ut ingeniosè neqviores ſint, „ ut majori cum decore & lepore vanitatem „ & ſtultitiam ſuam ſapientiæ larvâ tectam „ Mundo propinent, ut parentum bona ma- „ gno labore, frugalitate & parſimoniâ olim „ benè parta, qvam breviſſimo tempore abli- „ guriant; & pro tot expenſis, poſt multam „ expectationē domum nihil referant, qvam „ vanitatem, ſuperbiam, dicacitatem, petu- „ lantiam, prodigalitatem, & omnis generis „ intemperantiam: qvippe qvi jam omnem „ religionem, omnem honeſtatem, omnem „ humanitatem probè edidicerint [ſi non e- „ jurârint] factiqve ſint, non ex belluis homi- „ nes, ſed ex hominibus belluæ, aut ſocii El- „ penoris, Epicuri de grege porci, neſcio qvi- „ bus Circæis poculis faſcinati. Non dicam „ nunc, qvo jure aut injuria homines non- „ nulli in illam opinionem delati ſint, nec „ tempus fert ulterius & ex profeſſo illa con- „ ſectari; diſſimulare tamen non poſſum dolo- „ rem & metum,

Qvi nunc me coqvit & verſat ſub pectore fixus.

Qvem dices? Nimis metuo, ne DEUS per- „ tæſus ingratitudinis & ſecuritatis, multis „ ſtudioſis & literatis aptaturus ſit triſtiſſi- „ mam qverelam, qvam de Proceribus & Ma- „

,, giſtratibus effundit Propheta: *Quamob-*
Jer. 5. ,, *rem ego dicebam, utique tenues ſunt iſti:*
ỳ. 4. 5. ,, *Stulte agunt quia ignorant viam Jehovæ,*
6. ,, *jus Dei ſui. Ibo ad Magnates ipſos, ut allo-*
,, *quar ipſos: nam ipſi norunt viam Jehovæ,*
,, *jus DEI ſui, at ipſi pariter fregerunt jugum,*
,, *diruperunt vincula. Idcirco percutiet eos*
,, *leo è ſylvis, lupus veſpertinus vaſtabit eos, par-*
,, *dus obſervabit ad civitates eorum &c.*

,, Qvid qvæſo animus meus, ſi maximè excel-
,, let, melius ominari poſſet de illis, qvi cum
,, DEO, Soli ſuo, cœleſtis caloris fonti pro-
,, priores ſint per tranqvillum ſtudiorum oti-
,, um, per aſſiduam contemplationum eleva-
,, tionem, qvi etiam rectæ & fortiori radio-
,, rum reflexioni magis objecti, non aliter ta-
,, men torpent ac frigida illa nivis & glaciei
Vide de- ,, patria, ubi ante annos aliquot Argonautæ
ſcriptio- ,, Batavi multorum menſium noctem in tu-
nem na- ,, gurio ſuo transegêre. Qvibus tanti non
vigatio- ,, eſt pedem ſacrorum cauſa movere; aut di-
nis ver- ,, gitum tollere; qvibus vile & abjectum ni-
ſus novã ,, mis cum fece imperitæ plebis ſcilicet, exer-
Zemblã. ,, citiis pietatis domeſticis ac privatis aſſve-
,, fieri, conciones ſedulò freqventare, Eccle-
,, ſiæ, hoc eſt, cœleſti civitati immatriculari,
,, ne unqvam deſinat impleri qverela Augu-
,, ſtini in confeſſionibus: *Ecce indocti ſur-*
,, *gunt & cœlum rapiunt, & nos cum noſtris di-*
,, *ſputationibus in carne & ſangvine voluta-*
,, *mur.* Sed meliora de vobis & ſaluti adh

ſe

„ rentiâ perſvaſi ſumus, lectiſſimi audito-
„ res, ideò etiam majori ſermonis libertate
„ apud vos utimur - - - - Ne putetis, me
„ pro pietate tam multa dicentem, parado-
„ xa coacervare, & nova atqve inſolita qvæ-
„ dam auribus veſtris adferre, qvaſi pietatem
„ cum ſcientiâ conjungere idem ſit ac gry-
„ phes eqvis jungere, aut bovi clitellas apta-
„ re, aut omnes ſtudioſos in monachos trans-
„ formare. Ipſum nomen ſtudioſi hoc per-
„ ſvadet, qvod nos poſtulamus. Hæc enim
„ eſt genuina ſtudioſi deſcriptio: Qvod is ſit
„ qvi graviſſimarum rerum ſtudio deditus ad
„ ſublimes functiones in Rep. aut Eccl. ſube-
„ undas, DEO hominibusqve faventibus ſe
„ præparat. Hæc eſt vera ſapientia, cujus
„ alumni & ſtudioſi in Gymnaſiis verſantur,
„ qvæ mentem non tantum illuſtrat, ſed cor
„ accendit, qvæ nudas veritatis notiones &
„ volaticas imagines non tantum in cerebro
„ aut ejus ſuperficie depingit, ſed & interio-
„ res animi atqve affectuum medullas intimè
„ penetrat, penitiſſimè ſanctificat & validiſ-
„ ſimè convertit; qvæ non tantum doctiores,
„ ſed & meliores facit: Aliter & alia ſi ſit ſa-
„ pientia, verè inſaniens ſapientia eſt, carna-
„ lis eſt, terrena eſt, diabolica eſt, ut loqvitur
„ Apoſtolus, qvæ inflare Te poteſt, perficere
„ & beare non poteſt. Ut enim gladius in

Hic multa prægnātes ob cauſas duxim⁹ omittēda.

Jac. 3.

„ tum prædominans; hic viciſſim inter leges
„ ſileant arma; hic rixæ, hic pugnæ conti-
„ ceſcant, hic templum Jani perpetuo clau-
„ ſum ſit, qvod ſi qvis Martius pullus
„ *Vulnus alit venis & cœco carpitur igni,*
„ ſi qvem ſtimulat honeſtus Martis ardor, ſi
„ fortitudinem concoqvere, ſi animi impe-
„ tum ſuſtinere non poteſt: illi ego author
„ eſſem, ne conſcientiæ diutius vim inferat,
„ ne temporis, ne virtutis, ne ſangvinis in
„ gloriam hic faciat jacturã; ſed de conſilio
„ parentum aut fautorum maturè ſe conferat
„ ad caſtra fœderatorum ſub ductu Celſiſſ.
„ Principis; aut Trajectum ad Moſam, aut
„ Sylvam Ducis, aut Heuſdam dilectam mihi
„ patriam: ubi qvotidiè Hannibal ad por-
„ tas, ubi florentiſſima armatæ Palladis Gym-
„ naſia aperiuntur, ubi inſigniter fervet ma-
„ ctandi opus: illic bella pro aris & fo-
„ cis gerat, illic fortiter vincat qvoties &
„ qvantum poteſt; aut, ſuprema illi ſi vene-
„ rit hora, honeſtè ibi cadat potius, qvam
„ conſcientiam, nomen, & familiam ſuam
„ dedecoret, Muſarumqve hoc ſanctuarium
„ proprio atqve alieno ſangvine conſpergat.
„ Gloriam illi non invidemus, etiam ex hoc
„ illuſtri Gymnaſio antiqvo & priori domici-
„ lio ablaturum ſpondemus epitaphia & æter-
„ na fortitudinis ſuæ monumenta. Ita ſpar-
„ tam, qvam qviſqve nactus eſt, ornabit; il-
le

„ le fortia faciendo, pro Patriâ, pro Eccleſia,
„ pro ſcholis, etiam pro hoc Gymnaſio pug-
„ nando, vigilando, agendo; hic oratione,
„ carmine, aut hiſtorico Commentariolo res
„ geſtas pangendo:
---- *Alterius ſic*
„ *Altera poſcit opem res & conjurat amicè*;
„ Eritqve Pallas, ſed per Gymnaſia & locorum
„ ſpatia diſpartito imperio, una eademqve
„ Præſes & belli & ſtudiorum; ut Theologiæ
„ mythologicæ terminos hic uſurpem. Sed
„ fortè parænefin hanc noſtram nonnulli ran-
„ cido illo effugio declinabunt: Qvod libera-
„ lium artium ſtudioſi ſint, qvi cum aliis tam
„ arctè & rigidè chriſtianisqve præceptis &
„ ſublimi Politiæ ac vivendi rationi aſtringi
„ non debeant; qvibus major libertas, major
„ indulgentia, laxior diſciplina conceden-
„ da. Qvaſi ſtudioſus formam, modum &
„ menſuram poneret Chriſtianiſmo, eumqve
„ fingeret, refingeret, & ad libitum ſuum
„ inſtar naſi cerei aut Lesbiæ regulæ inflecte-
„ ret. *Non vinum*, ait ille apud Comicum,
„ *hominibꝰ, ſed homines vino imperare oportet.*
„ Longe alia ratio eſt pietatis & religionis,
„ qvæ conſcientiis, qvæ libertati, qvæ voca-
„ tioni, qvæ ſtatui, qvæ conditioni omnium
„ hominum æqvali dominio imperat. *Ex*
„ *corde*, ait Apoſtolus, *auſcultaſtis ei formæ*
(τύπῳ) *doctrinæ in qvam eſtis traditi. Et li-*
bera-

„ *berati à peccato, ſervi facti eſtis juſtitiæ.* Ut
„ enim cera aut fuſile metallum externam
„ formam & figuram à typo accipit, non con-
„ tra: ita ſpecialis qvælibet vocatio ac con-
„ ditio, ſtudioſi, patricij, nobilis, militis,
„ mercatoris, menſuram & modum recipit à
„ communi & cœleſti illâ vocatione; qva è
„ regno tenebrarum ad mirabilem illam lu-
„ cem, ad adoptionem filiorum DEI vocati ſu-
„ mus. Alioqvin Chriſtianiſmus haberet ſe
„ inſtar Protei, aut verſatilis cothurni; eſ-
„ ſentqve tot religionis ac pietatis formæ fin-
„ gendæ, qvot mundus habet ſtatus ac condi-
„ tiones hominum; & cluerent pluſqvam
„ Aſdodicâ aut Babylonicâ dialecto & bar-
„ barie in Eccleſiâ Chriſtianâ nobilium reli-
„ gio, ſtudioſorum religio, Politicorum reli-
„ gio, militũ religio, & ſic in infinitum; qvod
„ nihil aliud eſſet qvam religionem in pulve-
„ rem, aut in Ariſtotelicum potentiâ infini-
„ tum ſecare; & latiſſimam portam ad om-
„ nem Libertiniſmum atqve Atheiſmum ape-
„ rire. Sed videor audire qviritantes non-
„ nullos: Ecqvid erit pretii? Qvis fructus,
„ qvæ utilitas laborioſæ & ſollicitæ pietatis?
„ qvid hæc ad honores, ad divitias, ad vitam
„ commodè ſplendidèqve tranſigendam?
„ Præterqvam, generoſi auditores, qvod ſor-
„ dida nimis ſit qvæſtio hæc circa pietatem;
„ qvæ ipſa ſibi merces & pretium, præmium,
&

„ & retributio omnibus mundi opibus non
„ contra æſtimanda, velim ſcire ex vobis, qvis
„ veſtrum unqvam *fores clauſerit, aut illuſtra-*
„ *verit altare DEI gratis?* ut loqvitur Domi-
Mal.1. „ nus apud Prophetam. *Certè qvæſtus ma-*
„ *gnus eſt pietas, cum animo ſuâ ſorte contento.*
1.Tim.6 „ *Ne æmuletur*, inqvit Salomon, utriuſqve
„ felicitatis particeps, & arbiter callentiſſi-
Prov.23 „ mus; *animus tuus peccatores, ſed reveren-*
„ *tes Jehovæ toto die: qvum enim ſit merces,*
„ *utiqve exſpectatio tua non ſuccidetur. Pie-*
1.Tim.4 „ *tas*, ait Apoſtolus, *ad omnia utilis eſt, ut qvæ*
„ *promiſſionem habeat vitæ præſentis & futuræ.*
„ Deus ipſe eſt merces magna valde; & Deum
„ cum dico, an non bonorum abundantiam,
„ voluptatum cumulum, immenſum divitia-
„ rum omnium Oceanum dico? Qvanto ju-
„ ſtius nos, qvam conjuratorum ductor Cati-
„ lina, Chriſtianos noſtros commilitones ad
„ glorioſum hoc certamen accendimus! *Di-*
„ *vitiæ, decus, gloria in oculis ſita ſunt?* Igna-
„ vum pectus eſt, qvod nullis præmiis incita-
„ tur. Honos alit artes, omnesqve incen-
„ duntur ad ſtudia gloriâ. At qvam felici
„ ſtipendio, qvam honeſto titulo in caſtris
„ Chriſti militamus! *An ignoratis*, qværit
1.Cor.9 „ Apoſtolus, *eos, qvi in ſtadio currunt, omnes*
„ *quidē currere, ſed unum accipere præmium?*
„ *ſic currite ut comprehendatis.* Porro qvis-
„ *qvis certat in omnibus eſt continens. Illi*

qui

qvidem ita, ut corruptibilem coronam ac- „ *cipiant: nos autem incorruptam.* Ad qvem „ locum reſpiciens Tertullianus: *Athletæ,* „ inqvit, *ſegregantur ad ſtrictiorem diſcipli-* „ *nam, ut robori ædificando vacent. Conti-* „ *nentur à luxuriâ, cibis lautioribus, à potu* „ *jucundiore, cruciantur, fatigantur: qvanto* „ *plus in exercitationibus laboraverint, tanto* „ *plus de victoriâ ſperant. Et illi, inqvit Apo-* „ *ſtolus, ut corruptilem coronam conſeqvantur.* „ *Nos æternam conſeqvuturi, carcerem nobis* „ *pro palæſtrâ interpretemur?* Alexander Ma- „ cedo, auditis Indiæ divitiis ilico latifundia „ Macedoniæ inter commilitones ſuos parti- „ tus eſt; opes illas qvas ſolâ ſpe devorabat, „ omnibus à Philippo patre relictis bonis lon- „ gè præferens. Ulyſſes fumum domi ſuæ vi- „ dere maluit, qvam ignem & fulgorem in „ peregrino lare: & nos, qveis in auguſtiſſi- „ mo hoc ſapientiæ templo humana & divi- „ na, terrena & cæleſtia contemplari, ac juſtâ „ lance ponderare dabitur, dubitabimus æ- „ ternum & incomprehenſibilem illum cæle- „ ſtis patriæ ſplendorem, peregrinationis no- „ ſtræ caligini anteponere? Amantis animæ „ vox eſt in epiſtolis B. Martyris IGNATII: „ *AMOR MEUS EST CRUCIFIXUS.* „ Pluſqvam heroica vox ejuſdem Martyris: „ *Ingruant ignis, crux, beſtiarum impetus,* „ *oſſium diſtractiones, membrorum conciſi-* „ *ones,*

ad Martyres c.3.

In ep. ad Roman. apud Euſebiũ lib. 3. cap. 36. juxta edit. Gr.

„ *ones, totius corporis tanqvam molitæ farinæ* „ *attritiones, omnia diaboli ſupplicia, modo* „ *fruar JESU CHRISTO.* Ignea illa aſpi- „ ratio Nazianzeni: Ω θύμε βλέψον ἄνω χθο- „ νιῶν δ' ἐπιλήθεο πάντων; id eſt: *ô anime ſur-* „ *ſum ſpecta, & terrenorum omnium oblviſce-* „ *re.* Ecſtatica vox & divini amoris raptus „ eſt, Thomæ à Kempis [qvi utinam meliori „ ſeculo vixiſſet!] dicentis: *Malo cum* „ *Chriſto peregrinari in terris, qvam ſine illo* „ *poſſidere cœlum.* Ejuſdem & iſta: *eſſe ſine* „ *JESU gravis eſt infernus: & eſſe cum JE-* „ *SU dulcis paradiſus.* Huc pertinet divinum „ illud divini Poëtæ Jul. Cæſ. Scaligeri allo- „ qvium ad animam ſuam hinc migraturam:

Lib. 3. de imit. c. 64.

Egredere, ô multis tandem defuncta periclis,
Egredere & ſervis ſervilia regna relinqve.

„ Generoſa vox nobiliſſ. Marchionis Carac- „ cioli, qvam ſtudio veræ pietatis relicta Ita- „ liâ, familiâ & bonis omnibus, cum ad defe- „ ctionem, ſaltem ad remiſſionem de fervore „ ſollicitaretur, reſpondiſſe fertur: *Pereat* „ *aurum ipſorum cum ipſis, qvi aurum totius* „ *Mundi, dignum æſtimant vel unius diei ſoci-* „ *etate cum Chriſto ejuſqve ſpiritu.* Qvid mul- „ tis? in vitâ benedictio & claritas, in morte „ victoria & ſalus, poſt mortem triumphus & „ gaudium, Deus & omnia in omnibus illos „ manet, qvi per tolerantiam *qværunt boni o-* „ *peris gloriam, & honorem, & incorruptibili-* *tatem.*

In commentariolo de vita Caraccioli.

tatem. Contra nil niſi labor & dolor, an-„ guſtia & afflictio, horrenda judicii divini „ exſpectatio, maledictiones omnes tempo-„ rales & æternæ illis paratæ ſunt, qvi impu-„ ris moribus, & Cyclopico Numinis con-„ temptu primùm Academias, deinde Reſpu-„ blicas, bonosqve omnes lento dolore certa-„ tim excruciant. Evigilabit aliqvando De-„ us ad vindictam, tanqvam robuſtus cantil-„ lans ex vino, & innumeris etiam vitæ præ-„ ſentis malis eos implicabit, ne putent om-„ nia ad futurũ ſeculum differri. Memorabile „ ejus exemplum accidiſſe refert Agathias „ tempore Juſtiniani, cum terræ motus mul-„ tos juvenes advenas nobiles & eruditos, „ qvi addiſcendarum legum Romanarum „ cauſa eò commearant, in florentiſſimâ Aca-„ demiâ Berytienſi, unâ nocte miſerrimè op-„ preſſit. Et alterum in Acad. Erford. ubi „ ſtudioſi à civibus occiſi & profligati. Sed „ obmurmurat hic rurſum inſipiens carnali-„ um hominum cogitatio: Qvis laborem „ illum ſubibit, qvis aſperam illam ſemitam „ calcabit, qvis tanti emet pietatem? Qvàm „ inſvavia, qvam ſervilia, qvàm ſicca, qvàm „ atro melancoliæ ſucco condita omnia, qvæ „ tanta cum commendatione nobis apponis. „ Utinam ô lectiſſimi auditores, lingvis An-„ gelorum & hominum nunc loqvi, & lacteo „ verborum flumine eructare qveam, qvod i-„

Libro 2. de Imperio & rebus geſtis Juſtiniani pag. 47. edit. Gr. Lat. Vulcanii. Alſted. encyclop. lib. 24. v. 1543. ed. in fol.

„ mis cordis penetralibus clauſum inſtar re-
„ centis muſti intus exæſtuat! Utinam om-
„ nium ſenſibus atqve animis evidentiſſimè
„ atqve efficaciſſimè inſcribere nunc poſſem
„ cultus divini voluptatem, ſvavitatem &
„ facilitatem, ac ſi Solis radiis ſcriptum eſſet!
„ Utinam omnes ſpirituali ſenſu perciperent
„ onus illud, qvod Ætnâ gravius vulgo puta-
„ tur, eſſe plumâ levius, qvod non tantum
„ non gravat, ſed etiam elevat & attollit eum
„ qvi illud ſubiit, haut aliter atqve alæ volu-
„ crem. *Jugum meum benignum eſt, & onus*
Matth. 11. „ *meum leve eſt*, ait Servator. Præcepta ejus
„ non ſunt gravia; ſpiritui ſcilicet mentis no-
1. Joh. 5. „ ſtræ, homini regenito, amanti animæ, qvæ
„ alis veræ libertatis ſubvecta curſum corri-
„ puit, ut ſpem promiſſam retineat; qvam
„ charitas Chriſti conſtringit, qvæ amore i-
„ pſius ſaucia, inflammata, langvida & liqve-
„ facta, cui divinum illud philtrum in pectus
„ effuſum eſt, qvod intus apparens prohibet
„ extraneum & adulterinum Mundi amorem.
„ Libertatem omnes amant, immunitatem
„ poſtulant, inter omnes ſtudioſi noſtrates,
„ qvi præterqvam qvod in libertate oculos in
„ hanc lucem primi aperuerunt, propter ſa-
„ pientiæ ſtudia liberalius haberi & tractari
„ poſtulant. Sed videte, ne libertas veſtra
„ ſit licentia. *Ad libertatem vocati eſtis fra-*
Gal. 5. „ *tres, tantum ne libertatem arripite, ut carni*
occa-

occaſionem. Ut liberi, ac non veluti malitiæ „
velamen habentes libertatem, ſed ut ſervi „ 1. Petr. 2.
Dei. Optima libertas eſt ſervire legibus, „
ſervire Domino Dominorum, cui omnes „
creaturæ ſerviunt. Illi ſervire honor eſt, do- „
minium eſt, regnum eſt. Cum Adam illi „
uni ſerviret, erat Dominus omnium; cum „
ab illius ſervitio ſe avertens falſam liberta- „
tem qværeret, & libertatem & ſeipſum per- „
didit, factusqve eſt cum omnibus poſteris „
ſuis ſervorum ſervus. O qvot Dominos „
habent, qvi unum non habent! Conqveri- „
tur ſervulus apud Comicum:

Ὡς ἀργαλέον πρᾶγμ' &c. Ariſtophan. in Pluto act. 1. ſc. 1.
id eſt, interprete Friſchlino,
Proh Jupiter & Dii qvam dura eſt provin-
cia,
Si qvis hero deſipienti ſervus ſerviat.

Qvanto juſtius nos de ferreo peccati jugo, „
de Ægyptiacâ pravorum affectuum & ſtoli- „
diſſimarum cupiditatum ſervitute conqveri, „
cogimur, & à ſervili illâ libertate, ad liberam, „
liberalem & regiam Dei noſtri ſervitutem „
oculos animumqve attollere, qvâ illi ſervi- „
amus in novitate Spiritus. Qvis dabit no- „
bis alas veræ libertatis, ut ſemel Mundi hu- „
jus pedicis & retinaculis ſoluti, ad liberta- „
tem filiorum Dei, ad regnum illud liberta- „
tis ſubvolemus! Arrident ſtudioſis noſtris „
privilegia, & ego ſalvâ Patriæ & Reipubl. „

„ pace ac tranqvillitate omnibus privilegiis „ eos auctos videre velim. Sed ne errate, ornatiſſimi juvenes; nullum privilegium „ peccandi, nullum privilegium Deum non „ timendi, aut diſſolutè vivendi cuiqvam „ conceſſum eſt; niſi privilegium qvis ducat „ cælo excludi, diabolo mancipari, æternis „ gehennæ flammis devoveri. Inſanam vo„ cem peſſimæ illius fœminæ ad Imperatorem „ Caracallam noſtis, nec ſanus qviſqvam ex „ vobis probabit: *Si libet, licet.* Et vulgatum „ illud: *Caſtitas, pietas, fides, privata bona „ ſunt, qva juvat reges eant.* Nullum eſt pul„ crius & honoratius privilegium, nihil ma„ jori mentis ardore, nihil impenſiori curâ „ conſervandum, qvam amor & cultus DEI. „ Qvantum miraculum eſt, qvam ſtupenda „ benignitas! qvod glorioſiſſimus DEUS à „ nobis miſerrimis & viliſſimis homuncio„ nibus amari & coli voluerit: non ut ipſe „ qvidqvam à nobis recipiat, qvi nullius in„ digus eſt, ſed ut habeat qvibus plenitudi„ nem bonitatis ſuæ communicet. Veram in„ ter homines amicitiam non labore aut re„ qvie, non utilitate aut damno, ſed ipsâ a„ moris mutui ſvavitate ac perfectione me„ timur. DEUS, qvamvis nullo præmio la„ borem noſtrum compenſaret, nullâ gloria „ deliniret, per ſe tamen ſupra omnia amari & „ coli dignus eſſet. *Si amator DEI eſſe vis,*

ſin-

ſinceriſſimis medullis, caſtisq́; ſuſpiriis ipſum „
dilige, ipſum ama, illi flagra, illi inhia: quo „
jucundius nihil invenis, quo melius, quo læ- „
tius, quo diuturnius. Sunt verba Auguſtini. „ *In Pſal.*
Qvid Chriſtus Servator noſter, fidiſſimus a- „ 85.
nimarum ſponſus, an non dulcedo totus, to- „
tus miſericordia & benignitas? An non „
gratia ejus melior eſt vita iis, qvi ſemel mo- „
do guſtarunt qvam ſvavis ſit Dominus? Au- „
dite mellitum Bernardum, in mediis illis te- „
nebris omnis adulterini amoris & devotio- „
nis oblitum, caſtiſſimos amores hujus uni- „
ci prædicantem. *Sponſi* inqvit, *nomen lu-* „ *Serm.*
cet prædicatum, paſcit recogitatum, invoca- „ 15. *in*
tum lenit & ungit. Et paulo poſt: *Nec tan-* „ *Cantic.*
tum lux eſt nomen JESU, ſed eſt & cibus. An „
non toties confortaris, quoties recordaris? Qvid „
æqve mentem cogitantis impingvat? quid ita „
exercitatos reparat ſenſus: virtutes roborat: „
vegetat mores bonos atq; honeſtos: fovet affe- „
ctiones? aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non „
oleo iſto infunditur: inſipidus eſt, ſi non hoc „
ſale conditur. Si ſcribas, non ſapit mihi, niſi „
legero ibi JESUM. Si diſputes aut confe- „
ras; non ſapit mihi niſi ſonuerit ibi JESUS. „
JESUS mel in ore: in aure melos: in corde ju- „
bilus. Sic ille, ubi bene optimè. Qvis igi- „
tur non exclamet cum Pſalmiſta: *Anima* „ *Pſ. 63.*
mea adhæret tibi. Et, *mihi adhærere DEO* „ 73.
bonum. Et cum amante ſponsâ: *Dilectus* „

alia Theologiæ Mythologicæ ſimulacra, ſed „ ipſam DEI ſapientiam, DEI filium, huic il- „ luſtri Gymnaſio, his ſtudiis, his exercitatio- „ nibus noſtris præſidere; ipſum omnem ſci- „ entiam, omnem animi culturam in mani- „ bus ſuis geſtare, largiturum ſtudioſis illis „ ampliora præmia, qvorum circa ſe deſideria „ fuerint majora. Si glorioſiſſimus ille Do- „ minus, ſi amantiſſimus Pater, ſi conjunctiſ- „ ſimus frater, ſi dilectiſſimus ſponſus, ſi fidiſ- „ ſimus ſponſor, Mediator & Advocatus, ſi „ Agnus ille immaculatus proprio ſangvine „ perfuſus, tot vulneribus fœdatus, poculo „ furoris Domini inebriatus, ad inferos uſqve „ noſtri cauſâ depreſſus, ſi, inqvam, qvid ma- „ gni aut inſoliti à nobis poſtularet, qvem „ non puderet negare? Nunc cum mentem „ puram, cor rectum & incoctum generoſo „ pectus honeſto, poſtulet; cum ſalutem no- „ ſtram, lucrum noſtrum, honorem noſtrum „ ut curemus, tantum flagitet, & ipſe curet; „ cum cæleſtis ille animarum amator ad limẽ „ noſtrum noctu interdiu vigilet & nos ſibi „ dilectos tam ardenter ambiat, ut guttis no- „ cturnis caput ejus madeat; qvâ fronte, qvo „ duro corde illum ſupplicantem, obteſtan- „ tem, ambientem repellemus; & qvantum „ in nobis eſt poſſeſſione ac præfecturâ hujus „ Gymnaſii, ſtudiorum noſtrorum, cordium „ noſtrorum deturbabimus? Qvin potius ſu- „

„ perbiam & faſtum, ignaviam & torpo-„
„ rem, helluationes & compotationes, rixas
„ & contentiones, ſeditiones & factiones,
„ impuritates & ſcortationes tanqvam ſapi-
„ entiæ DEI juratos hoſtes, Gymnaſiorum ac
„ ſtudiorum omnium peſtes, vitâ ad tempe-
„ rantiam, juſtitiam, ac pietatem compoſitâ,
„ profligamus? Qvin ſacra & publica Eccle-
„ ſiæ exercitia aſſiduò & alacriter freqventa-
„ mus? Diem Dominicum, ſeqveſtratis ordi-
„ nariis ſtudiis, totum exercitiis pietatis &
„ ſtudio Scripturarum conſecramus? qvoti-
„ dianis inſuper lectionibus, precibus, medi-
„ tationibus, reſipiſcentiæ & fidei renovatio-
„ nibus tanqvam ſtudiorum noſtrorum vehi-
„ culis, diem qvemqve feliciter inchoamus &
„ terminamus? ut, qvod ad ſacra, nulla dies
„ nobis abeat ſine linea: Τάξις ἀρίστη παν-
„ τὸς ἀρχομένου καὶ λόγου, καὶ πράγματος,
„ ἐκ Θεοῦ τε ἄρχεσθαι, καὶ εἰς Θεὸν ἀποπαύ-
„ εσθαι, id eſt: *Ordo optimus incepti & ſermo-*
„ *nis & negotii eſt à DEO incipere, & in DEum*
„ *deſinere.* Fruſtra enim felicem & ſaluta-
„ rem ſtudiorum ſucceſſum ſperat, qvi DEI
„ ſui obliviſcitur, qvi illotis manibus, hoc eſt,
„ ſine debitâ ſui ſanctificatione ad illa provo-
„ lat. Ut in DEO vivimus, movemur, & ſu-
„ mus; ita DEUM in omnibus ſtudiis noſtris
„ qværamus, bonitatem ejus guſtemus, mira-
bilia

Sunt verba Naziã-zeni in Apdo-get.

bilia ejus palpemus, ad illum ejaculatoriis ,,
precibus & aſpirationibus crebrò ſuſpire- ,,
mus, omnes lectiones, ſcriptiones, contem- ,,
plationes noſtras illis condiamus tanqvam ,,
mellitis ſvavitatibus, tanqvam ſpiritualib⁹ ,,
animæ pharmacis atqve aromatis. Hæc via ,,
regia, lectiſſimi auditores, ad meliorem il- ,,
lam ſpem, hæc porta cæli, hic introitus ad ,,
regnum illud ἀσάλευτον, id eſt, *qvod concu-* ,,
ti non poteſt; ubi Rex Trinitas, Lex chari- ,,
tas, modus æternitas: hic agon, hic cur- ,,
ſus ad metam, ad juſtitiæ coronam. Hûc uſ- ,,
qve Voetius.

V. Nec eſt, qvod pluribus oſtendamus, Pietatem ſinceram ſupremam Hominis LITERATI Sapientiam eſſe, cujus ſectatores laus perpetua ſit exornatura; cũ in anteriori opere Theoſophico id ipſum EXEMPLIS pariter ac documentis illuſtrioribus prolixè dederimus demonſtratum. Eminuit inter ea Magni JO. AMOS COMENII; qvi poſtqvam actis pariter ac ſcriptis ſingulari fructu turgidis, nomen ſuum æternitati conſecraſſet, tandem ſeptuagenario major, illuſtre admodum SOCIATÆ CUM DOCTRINA PIETATIS monumentum, ſub tit. UNIUS NECESSARII duxit evulgandum. Egerat Comenius ille Eccleſiæ Fulnecenſis in Moravia (qvam ejulatibus ſuis ſub ævi ſuperioris finē ſalutavit,) Paſtorē Huſſiticũ fideliſſimũ, cũ graviſſi- *an.159 ½ die 28. Martij.*

mæ perſecutionis procellâ de ſede ſua deturbatus, in diuturno & perpetuo exilio tanqvam Patmo egregiam facillimamqve methodum neodidacticam ſollicitè eſſet meditatus*. Ac licet ſtudium hoc optimo fine, flagrantiſſimoqve juventutis juvandæ & ſublevandæ deſiderio ſuſceptum, multiſqve annis continuatum, à qvibuſdam ut Viro Theologo indignum, aqve ſacro-ſancto muneri alienum ſit reprehenſum, curam tamen ille diligentiorem intendere, omniqve id agere induſtriâ laboravit, ut iuventuti è moleſtiſſimis labyrinthis ſcholaſticis citius emergendi via oſtendi, expeditaqve diſcendi ratio commendari poſſit. Ad hunc eqvidem ſaluberrimum ſcopum præcipuè collimant qvatuor operum Didacticorum volumina †, qvibus tum

* *Inter alia monumenta ejus, Janua linguarum reſerata, applauſu publico ita eſt excepta, ut non modo multoties recuſa, ſed variis etiam verſionibus ſit condecorata; Germanicâ Johan. Mochingeri; Polonicâ Andreæ Wegierſcii; Bohemicâ ipſius authoris; Græcâ Theod. Simonii; Anglicâ Joh. Ancorani; Gallicâ Sam. Hartlibii; imò variis in ſcholas publicâ authoritate introducta.*

† *Edita illa ſunt Amſtelodami 1657 in fol. Præludia verò iſtorum conatuū Oxoniæ 1637. ſunt divulgata.*

tum *machinam didacticam mechanicè conſtructam*; tum *vivum Typographeum*, ſeu artem *compendioſe, copioſe tamen, ac eleganter ſapientiam; non chartis ſed ingeniis imprimendi* exhibuit; tum deniqve *Paradiſum Eccleſiæ reductum*, h. e. *optimum ſcholarum ſtatum, adprime ſeu Paradiſiacæ Scholæ ideam* delineavit, eaqve meletemata (ſummam ſpirantia doctrinam) veluti qvoſdam PANSOPHIÆ * prodromos in lucem emiſit. Qvis non miretur notabile hoc, ex calamitate, funeſtoqve exilio, celebritatis Comenianæ, pariter ac publicæ utilitatis incrementum? In longinqvo etenim ſeceſſu Amſtelodamenſi, veluti umbrâ qvâdam, fructus ingenii illius fœcundiſſimi maturuerunt, bonumqve publicum ei tantopere curæ cordiq; fuiſſe oſtenderunt, ac ſi hujus duntaxat promovendi gratia patriæ ſuæ ſupremum vale dixiſſet. Neqve verò omne exilii peregrinationisqve ſuæ ſpatium in literariis hujuſmodi conſumſit velitationibus, verum ad magis ſeria, magiſqve fructuoſa ſtudia applicuit animum, pro fidei cumprimis Chriſtianæ veritate, gloriaqve æterni DEI filii (qvem Neo-Arianorum factio, dictis pariter ac ſcriptis virulentiſſimis de Divinæ Majeſtatis ſolio deturbare laboraverat) impigrè decertans, & curâ æſtuqve incredibili nefariis illorum conatibus occurrens, militari

* *Cujus diatypoſis etiam Amſtel. prodiit.*

tari inſuper prudentia in ſuſcepto cum Chri-
ſtomachis iſtis certamine ſibi utendum ratus,
ſingulari ſtudio eorum munitiones explora-
vit, conſilia expiſcatus eſt, arma examinavit,
vires expendit, tandem falſorum dogmatum
ebuccinatores libris ſuis qvaſi acuto ferro
ſtatuit confodiendos: Occultũ præſertim la-
tensqve ſcriptoris IRENICORUM IRENI-
CI * venenum in apertum eduxit, ac doctri-
næ ejus perverſæ ſubvertendæ arma egregia
DEO ſacratis hominibus ſubminiſtravit, li-
bris eam in rem non uno ſed tribus integris,
pro tuendâ germana religionis ſinceritate
perqvam accuratè conſcriptis. Initiò pacis
conditiones à Socini ſectâ reliqvo Orbi Chri-
ſtiano oblatas æqvâ veritatis lance expendit,
perſonato IRENICI authori detraxit larvam,
atqve Fœderati Belgii Eccleſias & Academias
de magis magisqve ſerpente animarum lue
graviſſimè admonuit **. *Scio* (ſcribens no-
tanter)

* *Sub IRENICI IRENICORUM titulo, anonymus, isqve Socinianus author Chriſti divinitatem impugnare, fœtumqve ſuum cunctarum Religionum Antiſtitib⁹, ipſiqve Romano Pontifici conſecrare non dubitavit.*

** *De Irenico Irenicorum, h. e. conditionibus pacis à Socini ſecta, reliqvo Orbi Chriſtiano oblatis, gravis admonitio Comenii lucem vidit Amſtel. 1660, in 8.*

tanter) *alienâ in domo ſilentium eſſe tutiſſimum*, [Amſtelodami enim tunc velut in alienâ domo exul degebat] *ſed tamen illius rei eſſe leges ac metas, ut apud alienos quoque nihil præſtare officiorum, ſi liceat, non modeſtiam arguat ſed ruſticitatem. Tacendum nempe eſt alienâ in domo ubi res nihil ad nos ſpectantes geruntur. Non tacendum, ubi ingredi videmus furem, aut incendio inferentem faces, aliudve malum, nobis, aut vicinis intentantem. Ibi non tacere charitatis eſt, tacere proditionis.* Non tacuit itaqve alienâ domo incenſa Comenius, irrumpentes Indicavit fures, detectisqve impoſturis, animas in fide roboravit, idq; tanto diligentius atqve accuratius, qvanto impudentius Thraſo iſte pſeud-irenicus pictum ſuum agere cœperat triumphum, atqve Comenium in foveam jamjam deductum, nec evaſurum, virulenta libelli ſui præfatione jactitavit. Eqvidem Chriſtiana admonitione ſua DE IRENICO IRENICORUM clariſſimè oſtendit, ſe non eſſe captum, ſed in libera ſtare invictæ veritatis profeſſione. Verum cum novo ſtropharum apparatu illam impugnare cœpiſſet adverſarius, novamqve Arch-Irenici vel Ironici potius ſui libelli meditatus eſſet confirmationem*, qvin imò I-
RE-

* *Prodiit ea Amſtel. 1661. ſub tit. Irenico-maſtigis perpetuò convicti & conſtricti, ſeu nova*

novæ confirmationis Irenici Irenicorum, per oſtenſam futilitatem criminoſæ Comenianæ refutationis &c.

IRENICO-MASTIGEM (h. e. J. A. COMENIUM) ITERATO CONSTRICTUM Orbis conſpectui expoſuiſſet, importuniſſimo fidei orthodoxæ oppugnatori ſecundam & tertiam * admonitionem oppoſuit, cæleſtiqve auxilio & ſuam & aliorum fidem in tuto collocavit. Nec minus de triſti & miſerando Eccleſiæ Bohemico-Moravicæ ſtatu ſollicitus exul Comenius, ad diſperſas hinc inde reliqvias ſpiritu verè chriſtiano ferventes literas ablegavit, iisqve tum probitatem ſuam, tum pietatem abundè teſtatam fecit. In eâ præſertim, qvam LASITII POLONI hiſtoriæ de diſciplina Eccleſiaſtica moribusqve ac inſtitutis Fratrum Bohemorum † præfixit, ad fraternitatem Bohemicam diſperſam epiſtolâ commonitoriâ, ardentiſſimi & zelo pio ferventiſſimi Doctoris dedit exemplar, atqve (nominis ſui omen habens) AMOSI verè rugientis ideam exhibuit, ſummo nimirum animi fervore peccata ſcandalaq; publica reprehendens, qvib⁹ caſtigationes illæ

* *Tertia ſive ultima Comenii admonitio ad Irenici authorem D. Z. lucem aſpexit Amſtelodami 1662.*

† *Edidit hoc ſcriptum* Laſitii *Comenius cum admonitionibus ad Bohemicæ Eccl. reliquias Amſtel. 1660.*

illæ divinæ ſint provocatæ, Templa clauſa, libri ſacri erepti, diſcerpti, hoſtilisqve furoris flamma abſumti, imò omnia publicæ ſecuritatis, Deoqve juxta agnitam veritatem ſerviendi libertatis diſrupta ſint vincula. *Ecce* (præclarè ſcribit *) *cauſam veram, cur nunc etiam tot Eccleſiarum (ETIAM NOSTRÆ) candelabra loco ſint mota, disjecta, confracta, proculcationi data! Omiſimus charitatem primam, refrigeſcere in nobis paſſi ſumus divini amoris ignem, qvod qvâ ratione contigerit aliis, attendant & emendare qværant alii: nobis qvi in communi Eccleſiæ domo certum obtinemus atriolum, qvomodo pro luce fumos dare cœperint candelabra noſtra ut attendere diſcamus, præſentis propoſiti eſt. Evenit ſc. noſtræ qvoq; Eccleſiæ qvod Iſraelitica, & Apoſtolicæ & aliis aliàs, ut principiũ ferbuerit, mediũ tepuerit, ultima refrixerint &c.* Itaq; non ſtrenuũ ſolum bellatorem Comenius egit contra veritatis Evangelicæ hoſtes (ut ita dicam) theoreticos, ſive dogmatum orthodoxorum impugnatores, verum etiam contra practicos, qvi ſub Chriſtianæ fidei ſchemate &

* *In præfat. lib. Laſitii de Diſcipl. Eccleſ. Bohem. præfixa pag. 7.*

& larva neſcio qvalem libertiniſmum fovere, & ſine cenſura diſciplinaqve, ſuo duntaxat arbitrio vitam inſtituere, ſicqve deplorandas horrendasqve provocare calamitates nunqvam verebantur. Qvouſqve tandem illuſtre illud monumentum, & verè FELICIS [h. e. à profanæ doctrinæ & eruditionis vanitate, ad ſeriam Pietatem converſi] LITERATI dedit documentum: Tumultuoſum qvippe conſiderans vitæ humanæ genium, horrendos eruditarum, DEOq; ſacratarum mentium motus, infinitarum inſuper moleſtiarum [à Viris doctis devorandarum] concatenatam ſeriem, ſibi ponens ob oculos; maximũ in Seceſſu ſuo Amſtelodamenſi negotium eſt meditatus, UNUM ſcil. illud NECESSARIUM *, *quod non-neceſſariis Mundi fatigatus, & ad unum neceſſarium (ſcire nimirum qvid ſibi ſit in vita & morte, & poſt mortem neceſſarium) ſeſe recipiens*, ſenex ætatis ſuæ anno ſeptuageſimo ſeptimo Mundo expendendum obtulit, ac ſimul egregia, tum ſeriæ ſuæ ad DEUM converſionis, tum candoris verè chriſtiani fecit inditia. Veterum etiam (ut ſupra etiam diximus) de Labyrintho Minois meletema memorabile applicans vitæ eruditorum, tot tantiſqve periculis & caſibus expoſitæ, publicè

* *Poſtremus ille, nobiliſſimusq; Comenii fœt⁹, UNIUS NECESSARII titulo conſpicuus, lucem Amſtel. 1668. aſpexit.*

blicè teſtatus eſt, ſe qvoqve iſtos doctorum hominum attigiſſe labyrintos, & quædam egiſſe, qvæ gravem nonnullorum provocaverint cenſuram, attamen divinæ bonitati ſeſe maximas debere gratias, qvod per qvaſcunqve labyrinthorum ambages, ad boni omnigeni fontem & Oceanum tandem aliqvando ſit deductus." Ipſum illud *Didacticum ſtudium*, qvo ſcholas & juventutem moleſtiſſimis labyrinthis liberare conſtituiſſet, ſibi cousqve labyrinthum fuiſſe, atqve diſcurſationem, Marthianæ perqvam ſimilem, pro Domino tamen ejusqve diſcipulis amoris impulſu ſusceptam. Sed & alium ſeſe attigiſſe, multòq; periculoſiorem *Labyrinthum*, vehementiſſimè indoluit; *pſeudo-Irenicum* puta, h. e. variè, noxiè, prorſusqve exitioſè circa fidem diſſidentes chriſtianos reconciliandi *deſiderium*, qvod tamen ſcriptis publicis propalare noluerit. In tertium tandem DEO permittente intricatiſſimumqve labyrinthum ſe immiſſum fuiſſe, *Revelationes ſcil. qvaſdam ſeculo noſtro factas (ſub titulo Lucis in tenebris* * *vel è*

Ttt

* Poſtqvam enim ſub titulo *Lucis in tenebris*, trium fatidicorum voluminum ſyntagma, ſive revelationum Kotterio-Poniatovio-Drabicianarum hiſtoriam Comenius edidiſſet, varia variorum ſubiit judicia, aliis qvidem factum hoc excuſantibus,

tibus, aliis ut rem undiqve periculoſam ſeriò improbantibus, aliis imprudentiam in eo reprehendentibus, qvibuſdam & ſcripta aculeata ipſi reponentibus; & licet alii mitius paulò ſentientes, nihil ficti iſtis vaticiniis ineſſe ſtatuerint, eo tamē nomine Comeniū peccaſſe putarunt, qvod cœleſtem propemodum authoritatem iiſdem tribuere non dubitaverit. *Parū eqvidem abfuit* (ſic ipſe in præf. iteratæ editioni præfixâ ſcribit) *qvin mihi qvod olim Petro contingeret, qvi tametſi VERBIS DOMINI fiſus, ſuper abyſſum maris incedere auſus fuerit; mox tamen ventum ſentiens, contrarium mergere, & clamare cœpit: Domine ſerva me & c. . . tenebris) publicando*; qvæ res ut multum laboris & moleſtiæ, ita & plurimum invidiæ ac trepidationis ſecum traxerit, hinc ludibriis ob credulitatem, inde comminationibus ob diffidentiam & tergiverſationem ſe intermiſcentibus. Non aliud tamen ſibi poſt tot labyrinthos ſiſypheaqve ſaxa, qvibus vitæ ſuæ tempore fatigatus fuerit arridere, qvam illud datum à Chriſto conſilium; ut poſthac *UNO NECESSARIO contentus*, non neceſſaria cuncta protinus amoveat, mundumqve totum à tergo relinqvat; & *ſi qvid ſpecialius* (ſcribit notanter.) *de ultimo hoc meo propoſito eſt dicendum, dicam*: Palatij loco mihi tuguriolum erit,

erit qvalecunqve; pretioſæ veſtis loco villoſum aliqvod indumentum ſufficiet; *Opipara menſæ* vicem, panis & aqva explebunt, aut ſi qvid obſonioli accedet, laudabitur bonitas Dei; *Philoſophia* mea erit, intueri cum Davide cœlos, & reliqva opera manuum Dei; *Medicina* mihi erit tenuiſſima diæta, jejuniis ſubinde interpoſitis decoranda. *Jurisprudentia* mea erit, qvicqvid ab aliis fieri velim aut nolim mihi, hoc idem facere aut nō facere aliis. Si in *Theologiam* inqvirat, arripiam cum Aqvinate morituro Biblia, totoqve corde & ore dicam: *Credo qvicqvid in hoc libro ſcriptum eſt!* ſi qvos *Conſcientiæ caſus* habeam, qværet, omnia mea mihi eſſe ſuſpecta reſpondebo. Neqve ſe deinceps curaturum mille mundanorum odia, irriſiones, telaqve obloqviorum innumera: Ridebunt forſan [ait] humanæ ſapientiæ admiratores delirum ſenem, à faſtigiis æſtimationis ſuæ ad baſes infimas deſcendentem, rideant ſi volupe eſt, meum cor etiam ridebit effugiſſe tricas, *evaſiſſe labyrinthos*, inveni portum, ſors & fortuna valete! dixit Pœta! *Ego, inveni Chriſtum, vos Numina vana valete! Tota mea vita peregrinatio fuit, non patria, mutatum perpetuo diverſorium, nunqvam & nuſquam ſtabile domicilium. At jam cœleſtis patria in proſpectu eſt, ad cujus uſq; limen Dux meus, Lux mea, Chriſtus meus me deduxit.* Sanctis ejuſmodi me-

ditationibus poſtqvam integrum, idqve po-ſtremum vitæ ſuæ biennium exegiſſet Comenius, *de* UNO ILLO NECESSARIO unicè ſollicit⁹, vitam placidè finivit, atq; optatam reqviem, anno ætatis ſuæ octuageſimo, ævi autem currentis ſeptuageſimo primo invenit. *

* Qvo de Daniel Comenius J. Amoſi fil. literis 1671. Amſtel. datis, me certiorem fecit his verbis: *Genitor meus Venen. vixit, & nos eheu dulci ac deſiderata ſua deſtituit præſentia, decima qvinta fuit Novembr. qua nigra illa Dea non pepercit ei, qvi per totum vitæ ſuæ curſum omnibus prodeſſe ſtuduit.*

COM-

COMMONEFACTIO XXXIII.

THEMIS & IATRIA EUSEBIÆ CONTUBERNALES,

SIVE DE

JURECONSULTIS ET MEDICIS,

EX VIRTUTIS ET PIETATIS STUDIO FELICIBUS.

Ad Commentat. IX. Num. IX.

I.

NOn uni duntaxat literatorum ordini, uni ve doctorum hominum familiæ, ſed cunctis omninò patere aditum ad VERÆ & imperturbatæ FELICITATIS literariæ arcem, tot pietate non minus, qvam doctrinâ meritisq; illuſtrium JURECONSULTORUM, MEDICORUM, atq; PHILOSOPHORUM exempla & documenta loqvuntur. Licet & ipſi aliqvandiu cum cæteris ſeculi eruditi mancipiis otioſè fuerint negotioſi, & palabundi eorum animi latè hinc inde ſint evagati, ad ſe tamen (cœleſti be-

beneficio) acceſsêre tandem propius, ſecum optatius habitavêre, *omninqve* [ut Seneca ait] *impedimenta dimittentes, BONÆ vacavêre MENTI.* Atqve ut de Philoſophis Chriſtianorũ inſignioribꝰ nihil dicamus amplius, qvippe quorum inſtituta ſanctiora, tum in Veteri J.C. Academiâ, tum in corônide de *Felicibus Literatis* theoſophicâ, ex profeſſo ſumus proſecuti; JURISCONSULTOS & MEDICOS nunc advocabimus, qvi ad optatæ illius proſperitatis ſedem etiam atqve etiam tendentes, ſupremos in Theoſophiæ ſacræ ſtudio honores magno cum plauſu ſunt conſecuti. Illuſtre cumprimis FELICITATIS ejuſce ex JURECONSULTORUM ordine documentum olim dedit AURELIUS CASSIODORUS, Conſul Romanus, quem tanta virtus, doctrinæ inſigni ſociata [ex ipſiuſmet Theodorici Regis teſtimonio] ornavit, ut vitâ & factis Palatio ſe majorem oſtenderit, *ſummâ ſc. vivens continentiâ, ÆQUITATEM & inſtruens moribus, & docens EXEMPLIS.* Cæterum, Davidici illius axiomatis memor : *Nolite confidere in Principibus; abjectionem potius in Domo DEI ſui elegit, qvam diuturnam in tabernaculis peccatorum habitationem*; cùm in ipsâ vitâ aulicâ, & Senatoria dignitate, adeoqve *in media natione prava* tam fuerit incorruptus, ut *conſcientiæ ſuæ integritate* [rurſus ſcitè Theodo-

Seneca epiſt. 53.

Theod. Rex. l. 1. Ep. 4.

dorice dicente] *Palatia ornarit, populiſq; altiſſimam dederit qvietem, pretioſior factus cunctis, qvia nullo præmio ſuperatus.* Ipſum audiamus JCtum felicißimum, ad Johannem Epiſcopum Rom. ſcribentem ad h. m. *Cæleſtis Princeps mihi intelligentiæ ſenſus aperiat, ut qvæ verè ſunt UTILIA ſeqvar, qvæ vitanda refugiam: Vigor iſte rationabilis animæ nobis conſilium præſtet, facies veritatis albeſcat; ne mentem noſtram innubilet caligo corporea. Seqvamur qvod intus eſt, ne foris à nobis ſimus; inſtruat, qvod de VERA SAPIENTIA ſapit: illuminet qvod cæleſti claritate reſplendet.* O verè Felicem Lieratū, O genuinū Chriſti Salvatoris diſcipulum! dum *Unici illius neceſſarij* ſollicitam adeò habuit curam, tamqve ardenter Spiritûs divii illuminationem exoptavit, ſuiqve compsfactus deſiderii, ſanctiſſimè vixit, donec ad beata Paradiſi viridaria placidâ morte eſſe evocatus. *Qvi enim* (ait Baronius) *vegetem ætatem in optimâ regni guber-* Baron.
natione utiliter, honorificeqve conſumſit, nec in ad ann.
decrepitâ ſenectute labores ad RES DIVI- C.562.
NAS converſos, vel minimum intermiſit, in ſuo monaſterio [in qvod Palatium ipſum commutaverat] *ſancto fine qvievit.* Eodem Caſſiodori ævclaruit SYMMACHUS Conſul, *Philoſophiæ* ipra cæteros & *æqvitatis* [Proco- Procop.
pio teſte] *ſtudioſiſſimus; SYMMACHUS* lib. 1.
inqvam ille *JURISCONSULTORUM* de- Bell.

 Goth.

cus, Boëtij ſocer, & in perferenda nece indigniſſimâ ſocius, qvem Ennodius (Romanorũ cives clariſſimos enumerans, *omnium diſciplinarum materiam, conſtantemqve Sapientiæ formam* (en geminum genuinumq; Felici Literati characterem!) jure meritiſſimo appellavit: cui & Feſtum, gente & mente nobiliſſimum JCtum jungens, de utroque ſcripſit id h. m. *In ipſis eſt nobilis curia principatus: Qvos vidiſſe erudiri eſt. Non apud eos ſermo deludicris, nec pantomimorum vix cognoſcenda cum memoratio. Iſti auram popularem, per pudoris detrimenta non cupiunt; contenti rectis magis placere, quam plurimis. Sortiuntur de innocenti ACTIONE teſtimonium.* Nec dubitavit Priſcianus Cæſarienſis, eundem Symmachum omni nobilitatis ſplendore celebrem dicere, omni naturæ munere præſtantem, omniqve VIRTUTIS luce fulgentem: qvippe qvi ſtudiis optimarum artium diſciplinarumqve, nec non vitæ meritis venerabilem ſe cunctis fecerit, altiſſimaqve mediocritate conſpicuus, peſſimos ſuperbiæ calcarit mores, atqve PIETATIS ponderibus graviſſimis omnia ſuperarit.

Priſciã. Cæſar. lib. de ponder. & menſur.

II. Tantum verò abeſt, ut inges illa calamitas, qvam Theodorici Regis tyrannide tandem Symmachus ſubiit, eum conſcenſo felicitatis ſummæ faſtigio deturbare potuerit, ut potius majorem inde adeptus ſit glo-

riam,

riam; Martyriſqve pro juſtitia ſanguinem fundentis, perenne decus retulerit. Non pigebit audire Procopium, indigniſſimam necem à Theodorico tyranno ipſi illatam, ita deſcribentem: *SYMMACHUS, & hujus gener Boetius, a ſuis majoribus gentis nobilitatem adepti, inter Romanos & Senatorios Viros Principes erant, & Conſulatûs utrique dignitate perfuncti, philoſophiæ ſupra cæteros & æquitati ſtuduerunt; multiſqve tam civium, quam externorum inopiæ ſuccurrendo ſaluti fuerunt. Hi poſtquam ad ingentem gloriam evasêre, deterrimos quoſqve in SUI INVIDIAM concitarunt. Nam his delatoribus Theodoricus Rex perſvaſus, Symmachum Boetiumqve perinde ac res novantes occidit, eorumqve bona omnia publicavit.* Extremâ hâc iniqvitate graviter offenſum Numen, in injuſtæ necis authores juſtiſſimè animadvertit; *Paucis enim poſt diebus* [porgit Procopius] *cœnanti Theodorico, cum miræ magnitudinis piſcis miniſtri decoctum caput appoſuiſſent, SYMMACHI nuper occiſi caput illi eſt viſum, præfixis, & extantibus inferiore in labro dentibus, & torvè intuentibus oculis, furibundè ſibi & acerbè comminari. Unde monſtri novitate territus, membriſqve præter modum tremebundus, & rigens, in cubiculum ſtatim citato gradu ſeceſſit: dolore ingenti affectus, haud longè poſt moritur.* Exigitur, qvæ Symmacho in ſeculo

Procop. l. 1. de Bello Goth.

obtigit infelicitas, impedire non potuit, qvò minus & ipſe ad JCtorum ex animo feliciſſimorum adſpirarit ſortem. Cæterum ad eandem plenis etiam velis qvondam contendit *PHILOGONIUS* Græcus, qvamprimum ex

Conf. Martyr. Rom. die 20. Dec.

CAUSIDICO, Chriſti ſervus eſſet effectus, graviſſimâqve pro fide orthodoxâ adverſus Arianos certamina ſubiiſſet, *CLARUS MERITIS tandem in Domino qvieſcens.* Ex ipſius *aurei Oris* ſermone, ſancti hujus Juriſperiti ſupremam diſcamus felicitatem: *Qvod elege-*

Chryſ. Homil. in laud. Philogonij.

rit (ita Chryſoſtomus) *eum Deus, vel ex ipſa MORUM INTEGRITATE perſpicuum eſt; quippe quem ex medio abreptum FORO, ad thronum evexerit. Adeò caſtam, & inſignem prius egit vitam, cum uxorem haberet & filiam, & in FORENSIBUS negotijs verſaretur; adeò Solem ipſum ſplendore vicit, ut prætinus ab illo geſto, hoc Magiſtratu dignus videretur, & à tribunali ad tribunal evectus ſit. Ac tum quidem hominibus patrocinabatur adverſus homines, qvi ſtruebant inſidias, eos, qui afficiebantur injuria, ſuperiores reddens iis, qui injuriā inferebāt. Hic autem adeſt hominib⁹ &c.*

Niceph. lib. 8. Hiſt. c. 6.

Sed & Nicephorus Calliſtus, illuſtre admodū de Theo-politicoſophi illius, Philogonij ſcilicet, felicitate, teſtimonium perhibuit, *memorans, eum reliqvam Eccleſiæ ſtructuram perfeciſſe, ut qvi ex CAUSIDICO Epiſcopus,*

Lis

Licinij ævo, quemadmodum virum fortem decet, ardorem emulationemque ſuam pro verâ pietate oſtenderit. Neque illuſtrius tandem pietatis Philogonianæ documentum dare poſſemus, qvam qvod ab impientiſſimo hæreſiarchâ Ario, hæreſeos & impietatis damnatus fuerit ad h. m. *Excepto PHILOGONIO & Hellanico, & Macario, hominibus hæreticis, in fidei doctrinâ non inſtructis. Hos impios neque audire poſſumus, etiamſi infinitas mortes nobis hæretici minentur.* Ab hæreticorum itaque Corypnæo, hæreſeos & impietatis damnatus Philogonius, viris ævi illius, Doctoribusqve pientiſſimis (adeoq; Literatorum feliciſſimis) haud abs re eſt adnumerandus. In eundem cenſum referendus etiam eſt VETIUS EPAGATUS, Martyrum Gallorum vetuſtiſſimus, qvem profeſſione JURISCONSULTUM fuiſſe, Parridic[9], Lugdunenſis hiſtoricus pridem evicit, pleniorem verò virtutis conſtantiæqve ejus imperturbatæ rationem Gregor. Turonenſis expoſuit, ſic inter alia ſcribens: *Quadraginta octo Martyrum nomina, qui apud Lugdunum paſſa dicuntur, hæc ſunt: VETIUS EPAGATHUS, Zacharias, Macarius, qvorum ſancta corpora Judex iniquus igni tradi præcepit, exuſtisqve, in Rhodanum pulveres juſſit ſpargi. Sed poſtquam hæc geſta ſunt, cum Chriſtiani mærorem maximum haberent, noctè apparuerunt viris fidelibus,*

Conf. fragmentum epiſtolæ Arij apud Epiph. hæreſ. 69.

Parrid. l. 1. Hiſt. Lugd. c. 25.

Gregor. Turon. l. 1. Hiſt. Franc. c. 29. & de glor. Mart. c. 49.

bus, in eo loco qvo igni traditi ſunt, ſtantes integri, & converſi ad viros, dixerunt eis: Nullus periit a nobis. Ex hoc enim tranſlati ſumus ad reqviem, qvam nobis promiſit Rex cœlorum Chriſtus, pro cujus nomine paſſi ſumus, &c.

Joh. Robertus, in Elogijs SS. JC. p.55.56.

O verè FELICEM JURISPERITUM, qvi tam peritè (verba Joh. Roberti elogiographi eruditiſſimi adſcribo,) ſibi totqve aliis oſtenderit QVID JURIS, ubi contra magnum Deum puſillus homuncio, etſi maximus tyrannus, ſacrilegum caput levat! ô verè JURISCONSULTUM, qvi tam conſultò de JURE reſponderit, tam ſalubriter conſuluerit! O verè EPAGATHUM, qvem tam BONUM, tam multi Boni ſeqvuntur, & qvi tuis bonis, tot aliorum bona addis! Imitamini, ſi ſapitis, ô Juriſconſulti Chriſtiani, qvà vobis poſſe dabit ipſe FONS JURIS, ipſa juſtitia Chriſtus, qvem vivus moriensqve coluit magnus Juris & Juſtitiæ cultor EPAGATHUS.

Confer Martyrol. Rom. & notas Bar. d. 6. Febr.

Æqve fortem veritatis ſalutiferæ confeſſorem egit THEOPHILUS, ex advocato Cæſarienſi, pietatis Chriſtianæ ad necem uſqve conſtantiſſimus aſſertor: Nec infeliciter utrumqʒ imitatus fuit, atqve *JCti* verè *Felicis* ideam expreſſit Magnus SIDONIUS APOLLINARIS, ex Rectore militiæ, FORIQVE (ut epitaphium ejus habet) JUDICE, omnipotentis Domini miniſter, atqve meritiſſimus Arvernorum Epiſcopus, *qvi ſapientiæ ſale gre-*

gregem ſuum ita condivit, ut ad Dominici nominis timorem, Deoqve gratam juſtitiam nullos non ſollicitè erudiverit, qvouſqve lucere cœpit qvaſi ſplendor cœli, & ſicut ſtellæ in ſempiterna ſecula. Neqve ſilentio prætereundus eſt ſanctus ille Juriſperitus, & Judex Ægyptius PRIMARIUS; Is (Ruffino presbytero teſte) exqviſitis adeò virtutibus *ſeſe exercuit*, ut Angeli cujuſdam, Paphnutio apparentis judicio, dignus habitus fuerit, qvi cum Deo-chariſſimis verſaretur, eò *qvod in JUDICIO ſedens, nec filij ſui perſonam contra juſtitiam acceperit, nec alieni laboris fructus unqvam admiſerit, LITEM (NB.) nunqvam præterierit, donec reconciliarit diſſidentes, nunqvam permiſerit ut potentior infirmum premeret, neminem dum vixit contriſtarit, qvibusvis pauperibus neceſſaria hilariter præbuerit, lubens ſuſceperit hoſpites, nec qvemqvam ſine viatico egredi domo ſua paſſus fuerit.*

Conf. Greg. Tur, l. c. Hiſt. Franc. lib. 2.

Conf. l. 2. de vitis Patr. Ruffino Presb. auth.

III. Prodeant cæterarum etiam ætatum JCti philothei, atq; laudatiſſimo vitæ ſuæ inſtituto edoceăt, qvâ ratione legū peritiæ exqviſitiori, divinarum qvoq; rerū tum intelligentia, tum uſus ſit ſociand⁹. Æternitatis ſacrario pridem inſerta ſunt magna & illuſtria illa, IVONIS CARNOTENSIS, RICHARDI CISTRESENSIS, EBRULPHI GALLI, *ANTONINI FLORENTINI, BONIFACII FERRARII, IOHANNIS CAPISTRANI, IACOPONI*

NI nomina, qvæ nobile illud *THEMIDIS* cum *EUSEBIA*, virtuteqve chriſtiana commercium fecère teſtatiſſimum. Sic planiſſimè conſtat, Magnum illum Cancellarium & Jureconſultum Anglicanum, *THOMAM MORUM*, recondita profundæqve eruditioni ſuæ, eam vitæ morumqve integritatem junxiſſe, ut nihil apud ſe, inter amicum & inimicum intereſſe, & verbis dicere ſoleret, & rebus ipſis oſtenderet. Expertus id *Ægidius Heron* Mori gener, qvi cum injuſtam litem inſtituiſſet, neqve monitus deſiſteret, calculo ſoceri fuit condemnatus. Memorabile extat Eraſmi de Thomâ illo, Juris æqve ac pietatis peritiſſimo judicium; ſcil. *Eum poſt deguſtatas ſcholaſticas diſciplinas, ſic in forenſibus negotijs verſatum fuiſſe, ut neqve conſulerent qvemqvam libentius litigatores, neqve qviſqvam triſti vultu ab eo diſcederet. Semper quidem adfuit animus de cunctis bene merendi cupidiſſimus, mireq; pronus ad miſericordiam, quâ apprimè conſpicuus cum eſſet, alios pecunia ſublevavit, alios authoritate protexit, alios provexit commendatione, ingens lucrum ſibi acceſſiſſe putabat, ſi quem oppreſſum ſublevavit, ſi perplexum & impeditum explicuit, ſi alienatum redegit in gratiam. Diceres Morum, inopum omniũ, quendam publicum fuiſſe patronum.* Sed & in eo Felicis ex virtute Literati dedit documentum, qvod ad

ad honores & aulam (vel ipſo Rege Henrico teſte) invitus acceſſerit, & *mortalium rerum ſatur*, [verba ſunt epitaphij] *freqventius optaverit, ultimos vitæ ſuæ annos obtinere liberos, qvibus vita hujus negotiis paulatim ſe ſubducens, æternitatis negotium agere poſſet.* Et qvod deſideraverat, obtinuit tandem, præter rem culpamqve notabilem cuſtodiæ longiori traditus, donec eam ex tyrannici Regis ſentẽtiâ, mors ipſa, carnificis ſecuri accelerata excepiſſet.

IV. Nec minus noſtra, h.e. Germanica tellus tulit JCtos qvoſdam virtute ſimul ac doctrinâ ſingulari ſuppares laudatis modo ſacræ Themidis ſacerdotibus: Hos inter magnus ille *MATTH. WESENBECIUS* emicuit, Vir non illuſtribus ſolum in Juridicam rem meritis, verum pientiſſimo etiam vitæ inſtituto, accuratâqve morum ratione, Patrum noſtrorum ævo decantatiſſimus; ſiqvidem potiorem ſemper Theologicæ praxeos, qvam Juridicæ habuerit curam, ſolidiori divini verbi intelligentiæ continuam ferè navarit operam, orationi habendæ ſingulis diebus qvinqve horas impendere conſveverit, in ſententiis ferendis integrè ſemper juſteqve ſit verſatus, non datâ opera (uti magno partium litigantium incommodo nonnunqvam fieri ſolet) negotia protraxerit, ſed promoverit potius diligentiſſimè, non ventoſa conſultoribus aut inania, ſed gravia & æqvitati

tati

And. Rauchb. in or. de vit. M. Weſenb. tati apprimè conſona dederit reſponſa, cæterum beneficia contulerit in omnes, pauperum præſertim & egenorum inopiam ſublevarit, deniqve feliciſſimam peregrinationi ſuæ terrenæ impoſuerit colophonem, circa vitæ finem verè chriſtiana παῤῥησίᾳ enunciatis: *Jam ſibi à DEO oſtenſum eſſe æterni gaudij locum, in quem ſit propediem venturus, unicè ſe in votis habere, ut id qvamprimum fiat;* En JCti feliciſſimi ideam! qvam noſtro etiam

Vid. M. Adami vitas JCtor. p. 449. ævo expreſſit *JOH. GEORGIUS GODELMANNUS*, qvi legationibus varijs adhibitus, ſummis Imperij Principibus, ipſiqve Cæſari VIRTUTEM pariter ac DOCTRINAM [ut diſertè habet vitæ ſcriptor] nec minus & facundiam ſuam mirificè probavit. Extat in

Extat Mercerі carmen ſub init. tractatûs Godelmanni de Magis & veneſ. Godelmanni hujus laudem Joſiæ Merceri memorabile carmen, qvo feliciſſimi Juriſperiti ideam in Godelmanni perſona Orbis eruditi conſpectui expoſuit; nec minus notanter de eo Nathanael Chytræus:

Omnes ſi legum & juris juſtiq; patroni,
Officium hac facient ſedulitate ſuum,
Qva leges ipſas Agathander amabilis ornat
Eloqvij pandens flumina pulchra ſui:
O qvam mirifico gentes in flore vigebunt!
Qvamvis & patriæ rara nocebit ERIS.

Qvantæ doctrinæ, qvantæqve apud bonos om-

omnes exiſtimationis JCtus, ſub ævi currentis initium fuerit NICOLAUS REISNERUS, ſcripta ejus qvæ magno numero in lucem emiſit, cumprimis *Elegiarum, emblematum & philotheſiorum libri ſatis loqvuntur*; Ad gloriæ tamen ejus complementum ſpectat, *qvod UNUM hoc judicarit NECESSARIUM, Deum recte agnoſcere, & vitâ VERE PIA colere agnitum, fidem etiam factis ipſis operibusqve teſtari, qvinimò freqventiſſimè docuerit, hâc tempeſtate eò deventum eſſe, ut ſimultates ſint immortales; amicitiæ contra plusqvam vitreæ; deniqve, qvod munificè pro facultatibus ſuis benefecerit pauperibus, totumq; ſe Deo & Reip. devoverit.* Reisnero accedat *CONRADUS RITTERSHUSIUS,* Vir verè inſignis, JCtus, Orator, poeta, philologus philoſophuſqve eximius, Græcæ & Latinæ lingvæ ita callens, ut cum ipſis literarum principibus certare potuerit, in Jure interpretando tam felix & induſtrius, ut cunctis ferè profeſſionis ſuæ ſociis præcelluerit; cæterum excellenti adeò conſpicuus pietate, ut diebus ſingulis omnium actionum ſuarum initium & finem preces ad Deum ardentiſſimas eſſe voluerit, dicta ſua pariter ac facta ſingula ad unius Juſtitiæ normam direxerit, inqve eum finem ex omni veterum νομοθεσίᾳ collecta Legislatorum monita non tantum ipſemet perdidicerit, ſed etiam aliis colenda

Ita Mel. Adam. ex parentalib⁹ Nicol. Reiſnero in Acad. Salanâ factis, l. 6. p. 382.

Conſ. Orat. fun. in laud. Conr. Rittersh. à Caſp. Panſâ habit.

Uuu di-

diſcendaqve fideliſſimè proposuerit, ad
hæc nihil unqvam tribuerit gratiæ, ni-
hil odio, nihil metui, omniumqve laborum
fructum in conſcientiâ potius, qvam in fama
aut emolumento privato repoſuerit, ſicqve
illuſtre *FELICIS* admodum ex JCtorum or-
dine *LITERATI* ſpeculum obtutui o-
mnium expoſuerit. Dedit qvoqve id ipſum
conſpiciendū JCtus ævi noſtri famigeratiſſi-
mus, inſigneqve Terræ Saxonicæ decus, *BE-
NEDICTUS CARPZOVIUS*, qvem ob
illuſtria in publicam rem merita, non mirati
ſolum ſunt cuncti Themidis alumni, verum
ipſi etiam Viri Principes & Electores poten-
tiſſimi ſummopere ſuſpexêre, & maximis
gloriæ præconiis celebratum, ad ſummâ Ho-
noris ſedilia locavêre. Tam largâ Pietatis &
Virtutis omnigenæ ſegete illum conſpicuum
fuiſſe, tamqve illuſtria ſinceritatis ſuæ exa-
ſciatæ indicia * feciſſe conſtat, ut reſurgen-
tem

* En documentum omni exceptione majus, *Elogium puta*, qvo beatè defunctum Carpzovium inclyta Acad. Lipſienſis ornavit, clariſſimeqve oſtendit, quantus infucatæ pietatis cultor ευλογητός ille JURISCONSULTUS fuerit: *Si dicendum nobis quod res eſt, imago Chriſtiani fuit amuſſitata, tritum iſtud de Jurisprudentibus vel ſuo ſatis confutans exemplo; hypocriſin omnem cane pejus*

ac

ut angve vitavit, à concionibus ſacris & precibus publicis, niſi causâ ſonticâ retraheretur, nunqvam abſuit, non trimeſtris, ſed menſtruo propemodum ſpatio Euchariſtiæ uſurpatione fidem ſuam nutrivit; Bibliorum exemplar, qvod ad extremum volvebat halitum, ter & qvinqvagies à capite ad calcem percurrit, nec lectione curſoriâ contentus, Commentarijs etiam evolvendis certas diei horas deſtinavit; ſuper Biblia ſacra meditationes αὐτοχειρὶ conſignavit, ita ut ſi Soli & aprico ſiſterentur manuſcripta ipſius omnia, Theologica Juridicis palmam facere poſſent ambiguam: Conciones, qvas audivit ſacras, in tabellas domi congeſſit; uno verbo, πολίτευμα ſuum in cœlis habuit. Conſtitutus in ſummo dignitatum faſtigio, humilitatis fuit ſtudioſiſſimus, erga pauperes liberaliſſimus, erga omnes opis indigos ad juvandum paratiſſimus, in qvâvis fortuna τετράγωνος, juſtitiæ tenaciſſimus, temperantiæ ſervantiſſimus, adverſus ea, qvibus ad iram commoveri potuiſſet, victorioſiſſimus, &c. Adde ſi lubet D. G. T. Schvvendendorfferi orationem parental. anno 1662. Lipſ. hab. qvâ veri & conſummatiſſimi JCti ideam in perſonâ, vitâ, geſtisqve D. BENED. CARPZOVII exhibuit.

tem *SACRÆ THEMIDIS* gloriam omnes boni in eo obſervarint, ac velut alterum qvendam Caſſiodorum aut Epagathum, JCtum illum verè *BENEDICTUM* ſine venerati. Nec alio fine ille tandem Dreſdâ Lipſiam meritis gravis, & Mundi malis feſſus remigravit, qvam ut *PIUM SECESSUM* inſtitueret, & procul à ſtrepitu, liberiore qviete & otio tot curis delaſſatam ætatem refoveret. Tum eqvidem ſapientiſſimus ille ſolitarius bonæ apprimè vacavit menti, atqve felicitatis toties à nobis decantatæ faſtigium attigit, cum perturbationi ac fluctuationi omni ereptus, horas pleraſqve pietatis ſinceræ exercitiis, atqve cœleſtium rerum contemplationi duxit impendendas. Conſimilis plane virtutis gloria, noſtrâ ætate effulſit JOHANNES STRAUCHIUS, JCtus & Anteceſſor Wittebergenſis decantatiſſimus. Ex luculentiſſimo eqvidem Univerſitatis integræ teſtimonio conſtat, illum curas omnes Pietatis ſtudio poſtpoſuiſſe, nec qvicqvam unqvam fuiſſe auſpicatum prius, qvam DEO reddidiſſet ſuum, & poſt ſolennes preces præſcriptum lectionis Biblicæ penſum abſolviſſet; Cæterum, vitam ad pietatis ſinceræ regulam ſemper exegiſſe, nihilqve ipſo in miſeros inopeſqve mollius atqve humanius extitiſſe, ſuum cuiqve jus reddidiſſe integrè, omneſqve civis & Chriſtiani boni impleviſſe nume-

Conf. Memorias JCtor. à H. Wit. editas, p. 217.

meros, qvippe qvos nõ in *SENTIENDO* tantum *rectè*, ſed *FACIENDO* etiam collocarit.

V. Qvam itaqve anteactæ ætati haud abs re ſupra vindicavimus, exqviſitæ fœcunditatis laudem, qvod ſcil. JURISCONSULTOS produxerit egregiæ pietatis & virtutis elogio conſpicuos; ipſisqve interdum Viris Theologis [ad vitæ & morum integritatem qvod attinet] ſuperiores; eam noſtro qvoqve ævo tribuendam eſſe fatebitur, qviſqvis inſignem laudatorum modo JCtorum pietatem ad animum ſuum revocaverit, atq; magiſtrâ experientia didicerit, virtutem ſenectute neutiqvam effetam eſſe & defatigatam; nec ſeculum [qvo vivimus] tam ſterile, ut nulla in eo POLITICÆ aut JURIDICÆ SINCERITATIS exempla & documenta reperiantur. In Solis radijs ſcriptum, inqve clariſſimâ luce repoſitum eſſe exiſtimo nomen JCti & Cancellarij Schwarzburgici eminẽtiſſimi, *D. AHASVERI FRITSCHII*; eo qvod gratioſiori ſupremi Numinis afflatu jam pridem perculſus, ad divinarum rerum tum intelligentiam, tum illuſtrationem, ſinceræqve pietatis propagationem, omnes cogitationes ſuas, ſtudia omnia contulerit, & qvantum cœleſtia humanis, æterna caducis antecellant, ſcriptis qvam plurimis dederit demonſtratum. Et cum nil prius huc uſqve habuerit Fritſchius pientiſſimus, qvam ſincero Deum colere affe-

Tacit. lib. I. Annal. Non adeò virtutũ ſterile ſeculũ, ut non & bona exempla prodiderit.

ctu, ſedulam Autognoſiæ æqve ac Theognoſiæ ſtudio navare operam, ac naturæ documenta conſectando (qvæ humani cordis, in pyramidis ſpeciem conformati baſin ad ſublimia convertit) pleraſqve cogitationes & affectus in cœlo reponere; mirum non eſt, qvod præclaræ Viri dotes magis magiſqve pullulârint, & cum notabili adeò ſacræ & publicæ rei fructu ac emolumento ſeſe exeruerint. Prolixũ nimis foret ſcripta ejus recenſere ſingula,* & qvem ubiqve monumenta Fritſchiana ſpirant pietatis ſinceræ affectum, concinnis præconijs efferre. Et cum longè celſiora Vir integerrimus, in Honoris perpetui ſacrario pegmata ſibi ſtruxerit, qvam qvæ humanis elogijs conſeqvi unquam poſſit; cæterum pro ingenti animi ſui demiſſione, plauſum omnem ducat ſubterfugiendum, placereqve omninò malit, qvam laudari vivus, gloriæ ampliorem poſt fata locum relicturus; non erit qvod in laudes ejus longius excurramus. Sufficiet impræſentiarum ex ungve aliqvo oſtendiſſe leonem [illegible]

* *Ex Viri cujuſdam egregii indicio conſtat, Magnum Conringium ſermone familiari hæc prolocutum fuiſſe:* Ego miror admirandum Dn. Fritſchij ſtudium, qvod præter ordinarias occupationes, ſcribendis libris impendit. Eſt certè ſingulare DEI donum, &c.

qve egregiam, inqve rem noſtram apprimè facientem exhibuiſſe *PARÆNESIN*, qvâ Viros Politicos curis & negotijs ſecularibus nimiopere occupatos commonuit, ut qvandoqve eis rejectis, ad pias meditationes & ſacras lectiones ſe conferant, perenni laboris ejuſce fructu, certo certius ſuo tempore domandi.

Prodiit ea Paræneſis Jenæ 1679.

AHASVERI FRITSCHII PARÆNESIS *AD* VIROS POLITICOS.

I.

VErè Sapiens ille dixit: *Viri in Magiſtratu collocati, ter ſervi:* Servi Principis, vel Politiæ, ſervi famæ, & ſervi negotiorũ, adeo ut libertate neutiquam fruantur, nec in perſonis, nec in temporibus ſuis. Certè, Viri poteſtatibus ſublimes, ipſis ſibi ignoti ſunt; & dum negotiis diſtrahuntur, tempore carent, qvo ſanitati, aut corporis, aut animæ ſuæ conſulant. Hanc negotiorum ſervitutem non nemo introſpiciens rectè cenſuit; *qvòd nemo minus vivat, qvàm homo nimiùm occupatus.* Fatentur Ipſi qverulâ voce, qvi ſecularibus negotiis adeò ob-

Fr. Bacon. de Verulam. ſerm. fidel. II.

Moltke. de diverſ. hom. propoſ.

ruti, ut vix neceſſitati naturæ relinqvatur, qvod corpuſculi pauſationi ſufficiat; vix tantillum temporis, qvod devotæ recitationi Orationis Dominicæ, aut lectioni capitis Biblici inſerviat. Uſqve adeò non eſt reſpirare in bonis, non eſt alternam capeſſere reqviem, non vel rara interſeri otia. Neqve enim diei malitia ſua ſufficit, ſed nec liberæ illis noctes ſunt: dies diei eructat negotia, & nox nocti indicat labores, qvorum fructus tamen ſæpiùs nil niſi aranearum telæ, afflictio ſpiritus, eviſceratio mentis. Qvis non condoleat talibus Viris, verè ſervis negotiorum? quæ ſervitus gravior, miſerior, miſerabilior, qvàm hæc, ubi nunqvam animus liber, nunqvam quietus, nunqvam ſuus, ſed continua occupatio, vexatio, diſtractio! ubi perpetuus negotiorum ſtrepitus, hominum tumultus, à manè uſqve ad veſperam & mortem rectiùs, qvàm vitam dixeris horum vitam. Neqve enim Deo vivunt neqve animæ ſuæ, ſed negotiis ſecularibus, occupationibus mundanis, rebus tranſitoriis. Hoſpites ſibi ſunt, peregrini ſunt, ſibi ipſis ignoti ſunt, adeò ut meritò de illis illud exclamare liceat: ô *homines ad ſervitutem natos!*

IIII.

Exhortor autem Vos, ô *Viri Politici*, qvos miſerrimæ hujus ſervitutis jugum non modicè premit; qvos continuæ occupationes huc illuc trahunt, rapiunt; qvorum ani-

nis ſolicitudinibus temporalium negotiorum fatigantur, ut certis temporum vicibus tranſeatis à *Marthâ ad Mariam*, hoc eſt, à negotiis ſecularibus ad meditationes ſacras, conſiderationes pias, contemplationes cœleſtes; à lectionibus chartarum, Actuum, Rationum, Receſſuum, Regalium, Regiſtrorum, ad lectiones ſacrarum. Exhortor Vos, ut aliqvando exeatis è mundo civilium turbarum, in paradiſum ſpiritualiũ deliciarum, ô qvàm dulces, qvàm ſvaves, qvàm jucundæ, qvàm ſalutares illæ! ac verè *animæ Paradiſus*. Conferte igitur Vos ex Labyrintho ſecularium negotiorum in hunc paradiſum ſacrarum meditationum. Hic ſpirant grati zephyri gratiarum, conſolationum. Hic ſerenitas mentis, charitas lucis, tranqvillitas cordis. Hic fontes deliciarum, flumina voluptatum, rivuli fluentium in vitam aqvarum: Ibi verò rigidus Aqvilo, & auſterus Auſter variarum occupationum perſtrepunt: Ibi caligo, tenebræ, ac nebulæ variarum neqvitiarum ac corruptelarum, fraudum, Ibi Mare cogitationum ac ſolicitudinum ſemper turbidum, ſemper impetuoſum, & fluctibus negotiorum tumidum.

III.

Impoſſibile, hoc eſſe fortean reſpondebis, *Vir Politice*? facilius abdicare ſe officio, & Mundo valedicere. Rectè hoc, ſi rumpere, & non magis interrumpere negotia

hortaret. Ut tibi nonnunqvã ab occupationibus parcas, animumqve à ſecularibus negotiis revoces, ſvadeó, rogo. Sed, *inqvis*, nec hoc mihi permiſſum, totũ hominem, totũ diei tempus functio mea exigit. Audi, quæſo, ſanctum

hom. 10. *in Job.* Eccleſiæ Patrem, Chryſoſtomum; Si qui ſunt, *ait*, qui negotia occupationesqve & publicarum privatarumqve curas cauſſantur, primum in hoc non parum errant, qvòd in tot rebus verſentur, & ita ſemper ſecularibus negotiis adfixi ſunt, *ut ne minimum quidem in his, quæ maximè neceſſaria ſunt*, ſtudium impendant. Deinde frivolam, & nullius momenti excogitationem adferunt, cùm accuſari potius hâc in parte eorum cùm amicis poſſent conſvetudines, & etiam ludicra, in qvibus ſæpè totum diem conſumunt, non tamen in his aliàs cauſſantur occupationes. Præterea rebus vilibus & abjectis diligens adhibent ſtudium, divinis autem qvando vacandum, ne minimam qvidem curam in his ponendam ducunt. Deſcende nunc, *Vir Politice*, in temet ipſum & expende occupationes, & actiones tuas annon meritò in eis, *quoad hanc rem* potiùs accuſari, qvàm excuſari debeas? Audi,

in epiſtolâ ad Johan. Barroſum. ſi places; optimum monitorem, *Ludov. Viven*: Diſtinemur, *inquit*, omnes adeò curis, & cogitationibus alienis à pietate, ut cuiqve noſtrum opus ſit crebrâ revocatione, tanqvàm militiæ emanſoris, & in officio ſuo ceſſantis [illegible] ſan-

tem [illegible]

ſantis, ut conſveſcat homo ſe ad cœlum atqve originem ſuam attollere. Qvisqve exiſtimet dictum ſibi à Domino, qvod Marthæ: *Solicita es & turbaris circa plurima: porrò unum eſt neceſſarium.* Qvocirca exercitamenta reliqva, occupationis ſunt à nobis qvæſitæ; Hoc *unum eſt neceſſitatis* à Deo indictæ, ad illum exitum, cui eſt homo miſſus in vitam.

IV.

S. Bernardus, *ad Eugenium Papam*, cui occupationibus ſuis concatenatis maximè condolebat, notanter ita ſcribit: Audi, qvid redarguam, qvid ſvadeam. Si qvod vivis, & ſapis, totum das actioni, *conſiderationi nihil*, laudo te, in hoc non laudo. Si item totus vis eſſe omnium, inſtar illius, *qvi omnibus omnia factus* eſt, laudo humanitatem, ſed ſi plena ſit. Qvomodo autem plena, te excluſo? *Et tu homo es?* Ergò ut integra ſit, & plena humanitas, colligat & Te intra ſe ſinus, qvi omnes recipit. Alioqvin qvid tibi prodeſt juxta verbum Domini, *ſi univerſos lucreris, te unum perdens*? Qvamobrem, cùm omnes te habeant, eſto etiam tu ex habentibus unus. Qvid ſolus fraudaris munere tui? uſqveqvò vadens ſpiritus, & non rediens? uſqveqvò non recipis te, & ipſe inter alios vice tuâ? ſapientibus & inſipientibus debitor es, & ſoli negas te tibi? Stultus & ſapiens, ſervus & liber, dives & pauper, vir & fœmina, ſenex & juvenis, clericus & laicus, juſtus

de conſiderat. lib. 1.

ſtus & impius, omnes pariter participant te, omnes de fonte publico bibunt pectore tuo, & tu ſeorſim ſitiens ſtabis? Si maledictus, qvi partem ſuam facit deteriorem, qvid ille, qvi ſe penitus reddit expertem? Sanè deriventur aqvæ in plateas, homines & jumenta bibant, ſed inter cæteros bibe tu de fonte putei tui. Alienus inqvit, non bibat ex eo. Nunqvid tu alienus? cui non alienus, ſi tibi es? Deniqve qvi ſibi neqvam, cui bonus? Memento proinde, non dico *ſemper*, non dico *ſæpè*, ſed vel *interdum* reddere te ipſum tibi. Utere tu qvoqve te inter multos, aut certe poſt multos-- *Non totum te, nec ſemper da actioni, ſed conſiderationi aliqvid tui, & cordis, & temporis ſeqveſtra.* Nam ſi liceret qvod dicerem, abſolutè per omnia, & in omnibus præferendam, & vel ſolam vel maxime colendam *eam, qvæ ad omnia valet*, id eſt, PIETATEM, prorſus infragabilis ratio monſtrat. Qvid ſit pietas qværis? *vacare conſiderationi*-- Hæc ipſum fontem ſuum, i. e. *mentem*, de qvâ oritur, purificat. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat, poſtremò divinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. Hæc eſt, qvæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſecura rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc eſt, qvæ agenda præ-

præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente reſideat, aut incorrectum, aut correctione egens. Hæc eſt, qvæ in proſperis adverſa præſentit, in adverſis qvaſi non ſentit, qvorum alterum fortitudinis, alterum prudentiæ eſt.

V.

Urges ulteriùs, *Vir Politice*, non poſſe te muneris ratione ſolum eſſe, & à terrenarum actionum ſtrepitu te ſubtrahere. Seqvere ergò optimum S. Bernhardi conſilium. Secede, ſed mente, non corpore, ſed intentione, ſed devotione, ſed ſpiritu. Sola indicitur tibi mentis & ſpiritus ſolitudo. Solus es, ſi non omnia cogitas, ſi non affectas præſentia, ſi deſpicias, qvod multi ſuſpiciunt, ſi faſtidias, qvod omnes deſiderant. Alioqvin nec ſolus corpore es, ſolus es. Vides ne, poſſe eſſe & te & ſolum, cùm inter multos, & inter multos, cùm ſolus es? ſolus es, in qvantacunqve hominum verſeris freqventiâ, tantum cave alienæ converſationis eſſe aut curioſus explorator, aut temerarius judex. Præterea, mone te, ne illa vel ſumas avidè, vel optes anxiè in vitâ, qvæ occupatione ac curâ ſui abducere à cultu pietatis ſolent, ut varia, & gravia negotia, procurationes rerum aſperarum, difficilium, intricatarum: Cogita, qvæſo, *Vir Politice*, qvid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur?

In Cant. ſerm. 40.

Vives de præpar. animi §. 77.

rum? Qvid tam avidè aucuparis magnam rerum geſtarum gloriam ac famam? rem prorſus vanam, & inanem? mortuus qvid plus referes de famâ, qvàm pictura Apellis laudata? aut eqvus in Olympiâ victor? nec vivo qvidem prodeſt, ſi eam ignorat: ſi novit, nihil affert aliud niſi ut ſapiens contemnat, inſipiens ſibi magis placeat. Secede modo in te ipſum, & invenies qvàm parùm ad te pertingat ex famâ, rumoribus, veneratione, honore populi, gratiâ Aulæ. Qværis, *Vir Politice*, continuis laboribus atqve vigiliis occupationum tuarum opes & divitias? ô te miſerum ac ſtolidum? Nonne natura humani corporis ita conſtituta eſt, ut pauciſſimis egeat? qvod ſi rectè animadvertes, haud dubiè inſaniæ damnabis eos, qvi tàm multa tàm anxiè congerunt, cùm tàm paucis opus ſit. Divitiæ namqve & poſſeſſiones in uſum tuum parantur, qvem non adjuvant immenſæ opes, ſed opprimunt, ut navem ingentia onera.

Vives introd. ad ſap. §.40.

Qvapropter iterum atqve iterum Te, qvi ſub concatenatis variorum ac gravium negotiorum oneribus ſæpius ingemiſcis, rogo, hortor, obteſtor, disrumpe interdum duriſſimæ hujus ſervitutis vincula, ac pium animi ſeceſſum qvære. Cogita, qvàm breve ſpatium ſit vitæ noſtræ, etiamſi totum bonæ menti impenderetur. Qvò magis te à corporalibus ad incorporea, à civilibus ad ſpiritualia,

lia, à terrenis ad cœleſtia tranſtuleris, hoc vitam diviniorem vives. Ita fit, ut Deus cognatam & ſimilem ſibi naturam agnoſcat, eâqve delectetur, ac velut in vero ac germano templo habitet, multò ſibi acceptiore, quàm iſta ſunt lapidum & metallorum. Parum eſt in hoc Mundo magno vivere, diſcurrere, ſolicitum eſſe, niſi intra temet ipſum vivas, ambules, diſcas, & de te ſis ſollicitus. Perpenſius ſtudium & cura vigilantior noſtris cogitationibus adhibenda, qvibus tàm ſanctarum meditationum materia aſſiduè miniſtratur. Diviſum prope cum DEO anima habet imperium, non qvæ terræ pulvere delectatur, ſed qvæ ad Deum anhelat. Unde non torpere illam, non ſuæ dignitatis ignaram eſſe convenit, ſed ſceptra minuti Regni capeſſere, & præ illo omnia, qvæ foris ſunt [ſunt autem mundana omnia] contemnere, uno verbo, *intra ſemet ipſum illius, qvod extrà boni ſit, laboris, ſtudii, atqve appetitus compendium facere*, & meditationis oculum in ſublimitatem ſpiritualium, cœleſtium, & æternalium bonorum infigere. DIXI.

Hactenus Parænesis FRITSCHIANA; cui ſi Viri Politici, ſanctæqve Themidis Sacerdotes aures præberent patulas, deqve copulandâ forenſi doctrinæ, virtute ſolidâ freqventius cogitarent, nullas non vitiorum, JCtos & Cauſidicos infamantium ſordes ſtudioſè evitan-

tantes; imenſo planè gauderent emolumen-
to, atq; Labyrinthis miſeriisq; ſuis erepti, ad
ſupremæ beatitatis ſedem tandem aliqvando
feliciſſimè adſpirarent.

VI. Non poſſum deniqve non JCto-
rum, ex feliciſſimo Euſebiæ conjugio, ætate
noſtrâ apprimè nobilitatorum albo infere-
re, laudiſqve pridem promeritæ præconio
exornare Virum Gente & Mente præcla-
riſſimum, inſigneqve Auguſtæ noſtræ patriæ
decus, D. Wolfgangum Sulzerum, patricia
oriundum ſtirpe, ac multivariæ virtutis glo-
riâ ita conſpicuum, ut bonis omnibus maxi-
mæ huc uſqve fuerit admirationi. Qvam pri-
mum Vir & JCtus ille integerrimus, animum
ſuum ad res humanas obfirmavit, minus ſen-
tiendo de Mundi immundi qviſqviliis, fata-
næqve & carnis impoſturas apprimè animad-
vertendo; niſu etiam verè chriſtiano omnem
profanè viventium vanitatem duxit reſpuen-
dam, & ad ſupremæ beatitatis portum con-
tendendum unicè. Et cum probè intelligat
Vir perſpicaciſſimus, omnem ſacræ Themidis
cuſtodem, impigrum eſſe debere ſui ipſius
ſuperiorem; hinc nulla non ævi illicia gene-
roſo niſu huc uſqve eſt aſpernatus, ſuæqve
militiæ finem, non caduca & peritura, ſed
perennia & ſempiterna bona eſſe voluit, ni-
hil amplius præferendo ei, qvi verus fideli-
um Pater, & ſupremæ collator felicitatis.
Tanto eqvidem uberiora ornamenta ille
æter-

Digitized b

æternitatis beatæ Candidatus olim accipiet, qvanto plura ſibi denegavit in mortalitate conſtitutus, atqve ſpretis omnibus ſeculi perverſi inqvinamentis, animum non niſi cœleſtium rerum lectione & contemplatione ſtatuit oblectandum. O felices itaqve, ô terqve qvaterqve beatos eos divini non minus qvam humani *JURIS CULTORES*, qvi ſinceræ pietatis ſtudio & exercitio ad laudatiſſimorum illorum JCtorum exemplum invigilant; non qvod mortale exoptantes, & qvod optant feliciſſimè tandem obtinentes.

V. Sed tempus eſt ut MEDICOS qvoqve advocemus, qvos pariter vera illa ſumaq; FELICITAS eſt complexa; qvamprimũ poſt tranſactam in medendi ſtudio ætatem, ad animi etiam ſui curam omnes cogitationes contulêre, æternaq; mundanis, imortalia caducis feliciſſima optione duxêre anteponenda;

MEDICORUM QUORUNDAM EX ANIMO FELICIUM, h. e. DOCTRINA PARITER AC VIRTUTE ILLUSTRIUM MEMORIÆ.

QVandoqvidem ex Magni Hippocratis ſententia *οἱ ἰητροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοὶ; fama*

qvidem & nomine multi ſunt Medici, re autem ipſa & opere valdè pauci; dubium non eſt, qvin inter paucos illos Aſclepiadæi Collegii alumnos, pro FELICISSIMIS MEDICIS ij habendi ſint, qvi animorum non minus qvam corporum ſtudent integritati, deqve pietate & virtute ſinceriori complectenda apprimè ſunt ſolliciti. Probent alij inſignem circa ægrotorum curam laborem & induſtriam, alii conſtantiam in periculis, in conficiendis pharmacis celeritatem, in providendo conſilium, miroq; rerum uſu ſeſe comendent cæteri: omne tamen punctum illi tuliſſe videntur, qvi bellâ iſta pulcerrimarum rerum, *virtutis* & *eruditionis* Medicæ copulatione nihil prius ducunt atqve antiqvius, illum immenſæ ſuavitatis favum, [pietatem ſc. flagrantiorem] cum ipſis ſuis medicinalibus aqvis deſtillantes. Atqve ne in recenſendis priſcis illis utriuſqve ſanitatis (corporalis ſc. & ſpiritualis) cultoribus eximiis, diutius hærere cogamur, ſingulari induſtriâ ſuâ effecit *Johannes Molanus*, edito nobili & eleganti admodum opuſculo, qvod *Medicorum Diarium Eccleſiaſticum* inſcripſit, non paucos ævi veteris *Medicos ſanctos* laudans, & pro meritis ſuis ad cœlum uſqve evehens, veluti * *COSMAM*

* *Conf. etiã Surij vitas SS. M. Sept. d. 27 p. 280. & Syntagm. hiſt. de SS. Anargyris Coſmâ & Dam. edit. Vien. 1660.*

MAM & *DAMIANUM* fratres non minus felici ægrorum reſtitutione, qvam morte pro CHRISTO alacriter perpeſsâ illuſtres; *PANTALEONEM*, inſignem opitulatorem eorum, qvi carnis æqve ac animæ oculis cæcutiebant, tandem lividorum ævi ſui medicaſtrorum odio ad beſtias damnatum, neciqve traditum; *Alexandrum* item Medicum & Martyrem Lugdunenſem, *Papilium Pergamenum*, ſpiritualium non minus qvam corporalium medicinarum olim callentiſſimum, alioſqve plurimos, qvi inter Medicos *olim* [ut Molanus habet] *ſanctè vixerunt, etſi non fuerint canonizati.* Iis verò, h. l. omiſſis, FELICIUM qvorundam noſtri ſuperioriſqve ævi Medicorum memorias recolere animus eſt, atqve brevem qvandam eorum dare conſignationem, qvi ſingulari rerum medicarũ peritiæ, virtutis egregiæ exercitia ſtatuêre ſocianda. Hos inter Patrum noſtrorum ætate emicuit JOACHIMUS VADIANUS, Medic⁹ & Orator eo nomine feliciſſim⁹, qvod *SACRARUM etiam doctrinarũ* (ut ſolenne ejus elogium tabellæ peculiari inſcriptum ſonat) *ſtudio apprimè fuerit deditus, UNIUSQUE CHRISTI GLORIÆ, patriaqve ſalutis ſtudioſiſſimus fuerit*, Juſtitiæ adhæc fautor, veri patronus, conſiliis prudens, gravis integritate; *Conf. Melch. Adamũ in Vit. Medic. p. 61.*

Virtutis cultor, variâ & præclarus in arte
Coſmographus, Medicus, Rhetor & Hiſtoricus.

Religionis amans ſanæ; patriæqve ſalutis
Vindex, Helvetiæ gloria magna plagæ.

Et cum nonnulli eundem Vadianum Virorum eruditorum phoſphorum, decusqve immortale dicere non dubitarint, hinc nemo mihi vitio vertet, qvod Medicorum ex animo feliciſſimorum albo illum præ cæteris duxerim inſerendum. Alterum inter illos locum obtineat *JACOBUS SCHEGKIUS*, utpote qvi [ſeculo ſuperiori ad finem vergente] Medica & Theologica ſtudia pari ſemper tractavit alacritate; oculorũ verò lumine privatus, moleſtam ſibi cæcitatem ſacris fefellit meditationibus, ijſqve ardentes preces crebro intermiſcens, atqve ſvaviſſima cum DEO colloqvia, nihil unqvam ad ſummam animi tranqvillitatem ſibi deeſſe deprehendit. In ipſa infelicitate ſuâ, [qvæ decennio ante obitum viſu penitus amiſſo obtigit] Schegkius feliciſſimi ex animo Literati ideam exhibuit, Deum omnigenæ proſperitatis fontem fidei ſinceræ oculo reſpiciens, inqve eodem, veluti ſupremo beatorum theſauro unicè acqvieſcens. Novit qvidem ſuperius ævum plurimos *INFELICES*, graviſſimisqve animi morbis laborantes *MEDICOS*, qvi concatenatâ qvaſi ſordium atqve impuritatum ſerie SS. Numinis majeſtatem laceſſivêre, ejuſqve juſtitiam in temporale non minus qvam ſempiternum ſui exitium, ac perennans ſuppli-

Vid. Georg. Liberi Orat. in laud. J. Schegk. Tubing. habit.

cium

cium provocavêre: Novit inqvam *Petrum illum Aponenſem*, *Cornelium Agrippam*, Magorum potius qvam Medicorum Coryphæos, novit *JOH. WIERUM*, qvem divinis rebus adverſus Deum nefariè abuſum fuiſſe, alibi conqveſti ſumus, novit *HIERONYMUM CARDANUM*, faſtûs & jactantiæ immodicæ ſectatorem, ſcepticiſmi & atheiſmi apoſtolum; novit *THEOPHRASTUM PARACELSUM* maledicum, veteresq; omnes, ne ipſo Hippocrate excepto exibilantem; novamqve medicinam, terminis etiam novis confictis, magno artis nobiliſſimæ detrimento & diſpendio tradentem; novit *cum Arnoldo de Villâ Novâ*, obſcuros qvoſdam pſeudo-Chymicorum filios, qvi neſcio qvibus experimentis confiſi, ſtupenda creationis & reſuſcitationis humanæ opera temerè ſunt aggreſſi, peſtilentiſſimisqve ſuis opinionibus aliàs non contemnendam fœdavêre eruditionem; novit etiam *THOMAM ERASTUM*, infelicem controverſiarum ſacrarum invaſorem; novit deniqve *CASPAREM* illum *PEUCERUM*, ampliores qvam par erat ſpiritûs ſibi ſumentem, longioresqve ambitionis ſuæ pœnas in carcere Saxonico ſuſtinenentem: Tantum verò abeſt ut lapſus Medicorum graviores, omnem felicitatis ſpem ademerint melioribus, ut potius caſibus & periculis miſerorum illorum cautiores facti, ad

Conf. Com.1. de lit. ath. p. 153.

literatorum verè felicium ſortem divinâ benignitate aſpirârint.

VI. Longiſſimè verò ab infelicium illorum moribus abiêre Medici egregia animi virtute conſpicui, & ab ineunte ætate, non minus in pietatis qvam artium doctrinâ feliciſſimè inſtituti. Nomine & omine hinc *FELIX PLATERUS*, Archiater Saxonicus & Brandeb.

Confer orat. fun. in laud. Plateri à Jacobo Burcardo habit.

per univerſæ vitæ curſum, non minus DEO fidem, qvam hominibus diligentiam, ſummamqve induſtriam probavit, tum temporis maximè, cum peſtifera lues, per totam Germaniam vehementiſſimè eſſet graſſata. Narrant eum in terris adhuc cum morbo luctantem, tantum non triumphaſſe in cœlis; vocesqve freqventer in ore seqventes habuiſſe: *Veni Domine JESU, ne cuncteris diutius: Fac Domine finem dolorum, ſordent enim mihi terrena omnia; utinam, utinam vel hoc momento hora mea mortis inſtaret! Ex animo cupio diſſolvi & eſſe cum Chriſto!* Non minus illuſtre felicitatis verè chriſtianæ documentum ætate noſtra dedit *ADOLPHUS OCCO* nepos, famigeratiſſimus ille Medicus & Polyhiſtor Auguſtanus (Vir multijugâ eruditione pariter ac probitate ſingulari conſpicuus) qvi ſymbolo, veræ pietatis argumento uſus eſt tali:

Sum tuus in vita, tua ſunt mea funera Chriſte;
Chriſte Tibi vivam, Chriſte Tibi moriar.

Ea-

Eademqve mens fuit eâdem ætate alijs qvoqve Medicis Auguſtanis, *A. Pirm. Gaſſaro, Georgio Heniſchio*, nec non *Georgio Laubio*; eo nomine præ multis profeſſionis ſuæ ſociis qvondam feliciſſimo, qvod inter graviſſima negotia publica, privata pietatis ſtudia neutiqvam neglexerit, ipſoqve opere & praxi, Medici verè Chriſtiani officium demonſtrarit; vehemētiſſimis ad hæc doloribus infeſtatus, nullū planè exſurgentis impatiētiæ indiciū fecerit, verùm DEO ſuo pleniſſimè reſignatus, inter ardentiſſimas preces beatè tandem exſpirarit. Sed & alios ævi noſtri Medicos, rariſſimis virtutibus excelluiſſe, adeoq; FELICIUM EX ANIMO LITERATORUM exemplaria maximè illuſtria dediſſe, cuilibet, vitas eorum à *Melch. Adamo* collectas perluſtranti evidentiſſimè patebit. Ea ſanè, qvæ de *Joachimo Camerario*, Joach. Fil. Medico Norimbergenſi nobiliſſimo, de *Jacobo Bordingo* Megapolenſi Polyatro, *Bernardo Deſſenio Cronenburgio*, *Joh. Nevio*, alijsqve Doctoribus Medicis inibi memorantur, argumento certiſſimo ſunt, non minorem virtutis qvam doctrinæ medicæ rationem ſingulos habuiſſe, atqve ſupremam LITERATORUM ex animo FELICIUM gloriam etiam atqve etiam fuiſſe conſecutos. Infelicis admodum [ſi humana reſpiciamus] Medici calamitates idem qvoqve *Adamus* expoſuit, *ANDREAM VE-*

Conf. Adami vitas Medicorum, p. 353. 110. 218. 220. 222.

SALIUM bonorum omnium commiſerationi luctuiqve ſiſtens, utpote qvi iniqvis obtrectantium, invidorumqve probris notatus, aliò ſecedere coactus ſit, vicemqve ſubire tota poſteritate deflendam: Effero nimirum pelagi turbine ad Zacynthi inſulæ oram compulſus, vaſta in ſolitudine, rerum inops, miſerrimo eventu abſumptos ille efflavit ſpiritus, & à ſuperveniente aurifabro recognitus, ne eſca feris fieret, obſcuro in loco & loculo eſt conditus. Ut ut verò graviſſimas haſce Veſalius ſubierit tempeſtates, attamen verè felicium literatorum ſorte neutiqvam excidit, ſi (qvod Joh. Argenterius prodidit) infractam ſemper inter adverſa ſervavit mentem, atqve ſtupenda prorſus æqvanimitatis ſuæ ad ultimum uſqve halitum dedit documenta. Qvo ipſo hominis ex animo fortunati, Mediciqve verè Chriſtiani charactere noſtro ævo apprimè conſpicuum fuiſſe accepimus *DANIELEM SENNERTUM*, qvippe cujus nobilis animus adverſarum rerum impulſu de tranqvillitatis ſuæ ſede nunqvam potuerit deturbari. Qvo magis valetudo ejus labaſcere cœpit, eo fortius ſublatis in cœlum oculis cæleſte ſubſidium inclamavit, donec inter aſſidentium hymnos tandem expiraret. Incredibili cum fide, prudentiâ ſtudioqve, non Academiæ ſolum Wittebergenſis res curaſſe perhibent, verum cujuſcunqve fortunæ ho-

Vid. Adam. l.c. pag. 134. Conf. Imper. Muſeũ Hiſtor. p. 55.

Joh. Argent. in epiſt. ad lect. opp. Veſal. præfixâ.

Conf. laud. fun. Sen. ſcript. ab A. Buch-

homines, ſummos, imos, Proceres, cives, ægros, feſſos, & ultima qvæqve metuentes ſalutari ope levaſſe, cunctis præterea INUSITATÆ PROBITATIS & abſolutæ cujuſdam, qvanta in hominem cadere poteſt VIRTUTIS exemplum ſuppeditaſſe, atqve præluxiſſe, qvouſq; ſempiternum fidei ac pietatis ſinceræ præmium impetrarit. Dignum pernobili ULYSSIS nomine, non malè J. Imperialis fuiſſe judicavit incomparabilem illum Medicum Naturæq; perſcrutatorem ULYSSEM ALDROVANDUM, ſiqvidem ad Homerici illius Ulyſſis exemplum, generoſo mentis impulſu, naturæ infra cœlum ubiqve luxuriantis delicias colluſtrarit, nec impari FELICITATE Medicorum antiqviſſimorum æqvarit gloriam, recentiorũ amplificarit: Multò major tamẽ laudatorũ, doctrinâq; pariter ac virtute illuſtriũ Medicorum eſt felicitas; Qvantò periculoſius Ulyſſes illi Chriſtiani variarum opinionum non minus qvam affectuũ ſuorũ impetu rapti, cœcâqve offuſi caligine inter frendentia maria qvaſſaſqve tabulas, multo tempore errarunt; tanto avidius tandem illũ veræ felicitatis, PIETATIS ſc. infucatæ portum qvæſiverunt, ibiqve poſt inteſtinas diuturnaſqve procellas ſedatas, tutiſſimam atqve optatiſſimam invenêre manſionem. *Joh. Imperial. in Muſ. Hiſt. p. 145.*

VII. Ad hunc ſupremæ beatitatis portum maximo animi cœlitus colluſtrati niſu ten-

dens, feliciſſimus ille ævi noſtri & MEDICUS & Literatus THOMAS BARTHOLINUS,* nobile adeò animi inter adverſa conſtantiſſimi dedit documentum, ut inopinas atroceſqve flammas, meliorem Bibliothecæ ſuæ partem devaſtantes, ſtupendâ prorſus æqvanimitate exceperit, *optimum* [verba Herois verè chriſtiani adſcribo] *exiſtimans ea pati, qvæ emendare non poſſet, & DEUM, qvo authore cuncta proveniant, ſine murmuratione comitari. -- Satis nobis ſolatij ſupererit contra qvoscunqve fortunæ inſultus, qvos eo animo feremus, qvaſi ſupra lunam habitaremus, h. e. ſemper ſereno.* O verè felicem ex animo Literatum; ô Medicum pientiſſimum, qvi immiſſas à DEO ærumnas tam compoſito ad modeſtam hilaritatem vultu excepit, diriſſimasqve afflictiones, tantæ patientiæ alacritate ſuperavit. Qvis illi tranqvillam felicitatem, & felicem mentis tranqvillitatem inter dulcia cœleſtis providentiæ brachia obtigiſſe dubitaret? Et cùm ſe totum divinæ voluntati permiſerit, eum certo deſtinatoq; conſilio DEUM ſeqvendi per omnia, qvicqvid tandem eveniret; hinc animum ejus in ſupremi Patris nutu facilè acqvieſcentem, inqvieti illi impetus turbare neutiqvam potuerunt,

* *Vid. Comment. IX. de Liter. Curioſ. & uno neceſſ. p. 1054. & Barthol. epiſt. de incendio Bibl. ad fil. ed. Hafn. 1670.*

tunt, hinc abſqve notabili angore triſtem adeò eventum, librorumqve ſuorum, etiam nondum vulgatorum interitum pertulit, optimam atque expeditiſſimam malis MEDENDI rationem oſtendens. Sanè ſi eâdem animi integritate præditi eſſent omnes ubiqve Medicorum filij, artiſq; nobiliſſimæ profeſſores; * nec minus ad inſignis Medici Groningenſis, ANTONII DEUSINGII exemplum, ſe totos COMMUNI BONO potius, & proximorum ſervitio, qvam privatis commodis impenderent, nullis non langvore preſſis ſubvenientes; haud dubiè ad feliciſſimorum Literatorum pertingerent ſortem, atqve altiſſimam animi inter adverſa qvæqve tranqvillitatem obtinerent. Grati ſic DEO, Grati hominibus, grati Collegis & amicis omnibus exiſterent, nemini graves, nemini contrarii atqve iniqvi. Ac licet alijs inſerviendo (uti de Chriſtiano PERIZONIO pariter egregio Medico Gron. legitur) ſua paulatim conſumerent corpora, cum propriæ valetudinis incommodo, humanitatis Medicæ officia decumbentibus exhibentes; DEUS tamen omnigenæ proſperitatis fons, eos velut è machina benigniſſimè reſpiceret, cunctiſqve Mundani Xenodochij malis, fortunæqve novercantis lu-

* *Conf. vitas Profeſſorum Groning. 1654. edit. p.217. ubi de Anton. Deuſingio, & p.222. ubi de Chriſt. Perizonio.*

ludibriis ereptos, perpetua bearet incolumimitate.

VIII. Qvo tandem piaculo prætercam D. GODOFREDUM SCHULZIUM; illum Medici ordinis aureum florem, ocellum Islebiæ ſuæ, atqve bonorum omnium [qvi intimius eum cognovêre] delicium. Tantoperè eqvidem medico illi ex Pietatis praxi feliciſſimo, divini amoris integritas hactenus fuit cordi, ut nec cogitationes rerum humanarum, nec vitæ mundanæ imagines, nec ullum laudis & exiſtimationis propriæ ſtudium, nec graviſſimi malorum calamitatumqve multivariarum fluctus, ſacrum hunc ignem extingvere, vel ſupremi Numinis amorem ex animo ejus excutere valuerint. Hinc etiam factum, ut ſingula ingenij & induſtriæ ſuæ monumenta nonniſi DEO ſuo, ſapientiæ & bonitatis fonti perenni & inexhauſto, unicè conſecrarit,* atqve

* *Nimirum tria, qvæ Cel. Schulzius huc uſqve evulgavit opuſcula; utpote Diſſertat. de* Naturâ Tincturæ Bezoardicæ; Thematologiam, *vernaculo ſermone conſcriptam;* & Scrutinium Cinnabriorum *noviſſimè editum, DEO TRINUNI conſecravit. Qvemadmodum etiam in peculiari ad me epiſt. ſuperiori anno exaratâ, diſertè conteſtatus fuit, ſe id potiſſimum egiſſe hacte-*

nus

nus, ut non doctrina tantum, ſed etiam PIETAS ſuum ἐπιβάλλον μέρος habeat.

atqve concrediti ſibi talenti lucella ſolùm (ut dedicatio habet) in laudis & gloriæ Divinæ ſacrificium, gratæve mentis libamentum obtulerit. Et cum probè intellexerit, pietatem ſine ſincerâ & infucata Charitate PROXIMI excoli haud poſſe, ideò ſingulari curâ ejuſce virtutis nobiliſſimæ ſtudio & exercitio incubuit, ſeqve totum miſerorum & calamitoſorum huc uſqve impendit ſublevationi, apprimè peroſus illaudatam illam, boniſqve omnibus exoſam ſcientiæ Medicæ tenacitatem, qvâ laborantes non pauci Hygiæ alumni, εὑρήματα ſua neutiqvam communi conſecrant utilitati, ſed veluti abſconditum qvempiam theſaurum, diligenti ſtudio collectum, ſibi ſervandum ducunt, vix ulli mortalium uſui futurum. Pudendum hoc tenacitatis & avaritiæ medicæ genus, ſicuti ſummoperè loco qvodam deteſtatus fuit Schulzius, ita cunctos profeſſionis ſuæ ſocios ad liberaliorem donorum acceptorum diſpenſationem, verbis, qvæ ſeqvuntur ſignificantiſſimis fuit cohortatus:* *Cur in corporalibus & temporalibus tam invidi*

* *Extant hæc pientiſſ. Schulzij verba in Append. Scrutin. Cinnabarini, edit. 1679. fol. 151.*

di ſimus, qvi Θεανθρώπου noſtri veſtigia premere exactè jubemur; Omnis arcanorum ſuppreſſio bigâ illa idololatricâ nititur, quæ dicitur Φιλοδοξία & Φιλαργυρία. Aut videri & adorari volumus inſtar Numinis, aut aurei luti ſacra fames nos vexat, ſi arcana crepamus & celamus. Abſtrahe ab omnibus objectionibus & exceptionibus hanc larvam, & vide, an non advigilans conſcientia nos compellat communicare cum aliis, quæ e re bonæ valetudinis vel conſervandæ vel reparandæ fore certo ſcimus; & quæ DEO nobiſcum communicante poſſides. Qvicqvid jam tempus & experientia circa ſcrutinium ſimplicium & compoſitorum retexit in ſingulis Regnis naturæ, arcanum eſt & fuit. Quæ omnia ſi taceri debuiſſent a primis obſervatoribus, qvid quæſo cum nobis ageretur, ſi dira fata velint, ut & nos morbis adfligamur. Qvibus verbis Vir integerrimus clariſſimè oſtendit, qvam perverſè illi agant philiatri, qvi medicas manus, inſignium arcanorum & remediorum gazis refertas, pertinaciter clauſas tenent, maluntqve inventiones ſuas ſecum mori, qvam aliorum fidei commiſſas, publicæ conſecrare utilitati. O feliciſſimum itaqve Medicum, qvi Schulzij optimi monitis obediens, non SIBI SOLI vivere ſtatuit, ſed etiam PROXIMO, ejuſq; corpori pariter ac animæ prodeſſe laborat, lubens ad hæc certans

tans obſeqvijs, abhorrens à rixis, cupiditatem noxiam refrœnans, adverſa omnia vultu ad modeſtam hilaritatem compoſito excipiens, immiſſas ſibi divino nutu adflictiones æqvanimitate chriſtiana tolerans, deniqve ad veram atqve imperturbatam animi tranqvillitatem adſpirans. Salutare hoc de obtinendâ verâ felicitate monitum, cum annis ſuperioribus, Medico & Polyhiſtori egregio, meoq; gentili, p. m. *D. GEORGIO HIERONYMO VELSHIO* epiſtolâ peculiari ſuggeſſiſſem, haudqvaqvã ipſi diſplicuit, ſed forti inter adverſa animo, id ſibi apprimè amplectendũ judicavit. Non poſſum, qvin illud h. l. communicem cum pluribus, eâdemq; operâ *MEDICIS* conſilium pſycho-medicum ſubminiſtrem: *Tantum abeſt* (ita ante triennium ferè ad VELSCHIUM noſtrum cum extrema calamitate colluctantem ſcripſi) *ut ob graviores iſtas depravatæ ſanitatis tempeſtates, LITERATORUM INFELICIUM albo ſis inſerendus, ut potius in ipſa infelicitate illâ FELIX ex ANIMO evadere qveas. Licet non unus, non duo, ſed plures morbi tibi inſidientur, nec tam labefactando corpus, qvam planè abſumendo miſerè infeſtent; licet tugurioli iſtius coagmentatio vehementiori qvapiam impulſione frangatur,*

Conf. Memor. Velſch. à Cl. D. Schrôck. fil. conſcriptam, p. 81.

gatur, infinitaque ægritudines occupatas à ſe corporis partes exerceant; nihil tamen inde imperturbatæ animi tui tranquillitati decedet, ſi modo ille funeſtis cupiditatum & perturbationum angoribus liberatus, inſtar heliotropij cujuſdā, ad Solem h. e. Deum ipſum obvertatur, originisque ſuæ memor eo continuè tendat. Tantum bonum (præeunte ipſo Seneca) Virtutem tunc reputabis, ut minutiores iſtas acceſſiones afflictionesque vix ſentias, brevitatem ſc. ævi, & dolorem, & corporis varias offenſiones. In corpore proſtrato, erectam ſemper habebis mentem, membriſque diſtractis, nobili illâ affectuum gaudebis compoſitione. Animum ſc. ſi ſtatuas excolendum nullis non virtutis pietatiſque exercitijs, ipſique adeò converſationi ſpirituum ſanctiorum in cœlis præparandum. Et cùm ſine dubio ad animum Tibi ſæpius revocaveris vitæ literato-tumultuoſæ genium, curarumq; & calamitatum à doctis hominibus devorandarum concatenatam ſeriem Tibi poſueris ob oculos, etiam atque etiam in poſterum cogitabis, qua ratione moleſtiſſimi illi doctrinæ multivariæ labyrin-

byrinthi, ſaxa ſiſyphea, & plusquàm Tantaleæ illuſiones per Salvatoris ſaluberrimam de UNO NECESSARIO regulam evitari, imò feliciſſimè emendari queant. A rebus NON OMNINO NECESSARIIS exeundo, ſerium ad DEUM meditaberis acceſſum, ſicq; tandem diu multumqve deſideratâ gaudebis tranqvillitate. In nuper evulgato meo opere, (qvod ſub Felicis Literati titulo prodiit) illuſtribus aliqvot ſummè doctorum ævi ſeqvioris Virorum exemplis oſtendi, qvâ ratione poſt multùm navatam operam Literariam, ſupremæ ſcientiæ theſauri tandem aliqvando ſint inveſtigandi, donec vitæ curſu finito, non tam finiri mortalitas, qvàm beata æternitas feliciter inchoari poſſit. Eadem felicitas Tibi procul dubio, Vir univerſi Orbis literati calculo egregie, obtinget, ſi pari ſtudio ac diligentiâ cogitare pergas: Qvâ ratione ad veram ſupremamqve ſapientiam ſit properandum, cumqve ipſa temporis rapiditate ita decertandum, ut pulcherrimus fructus ſusceptum divinâ ope laborem excipere queat? Nobile ſic Vir Cel. in ipſa infelici-

tate Tuâ corporali FELICIS, ex animo LITERATI documentum dabis, laudatorum à me ſummè & doctorum & beatorum Virorum, accedes ſyllabo, (ſiqvidem meritis in Remp. literariam iiſdem haud ſis inferior) perpetuâqve & ſempiterna gaudebis proſperitate. DEUM, inqvam, ipſum ſic trahes ad Te, ejusqve clementia ac benignitate felicitatis haud peritura apicem attinges. Illa ipſa verò proſperitas, ut cunctos Hygiæ alumnos etiam atq; etiam complectatur, utqve cum Medicis, JCti ſinguli, labyrinthis ſuis erepti, ad ſupremæ beatitatis gradum deveniant, is, qvi ſalvos omnes æternumq; felices cupit mortales, Ter-Maximus Deus, pro ineffabili ſuâ clementia & benignitate efficiat!

COMMONEFACTIO XXXIV.

ET ULTIMA:

FELIX CONCIONATOR,

SIVE

DE ARTE SALUBRITER ET FRUCTUOSE DICENDI IN SACRIS FIDELIUM CONVENTIBUS;

UBI ETIAM DE GENIO, PRUDENTIA, ET DOTIBUS PRISCORUM HOMILETARUM.

Ad Coronid. Theoſophicæ Num. XII.

I.

QVoties immenſam FRUCTUOSORUM CONCIONATORUM felicitatem hactenus attentâ mente recolui, aut memori pectore intuitus ſum; toties de iis penitius cognoſcendis, ſigillatim celebrandis, & omni ex ævo advocandis mecū agitavi con-

ſilia, eam apprime docendi rationem ſuſpiciens, qvæ SERMONE & EXEMPLO tantorũ Daduchorum eſſet propoſita. Nec pauci profectò mentis obtutui obvenêre, qvorum mores doctrinæ ſanctiori ſociati, nullo non ævo cæleſte in terris ſacrarium mirâ luce perfuderunt, qvorumve pectora ſalutari Ter-Maximi Numinis afflatu perculſa, in divinarum rerum tum intelligentiam tum propagationem intentiſſima fuêre; At enim verò, cum haud ita multis ab hinc annis, Scriptor qvidam Gallicanus, me eo labore levaverit, editâ Pariſiis inſigni CONCIONATORUM BIBLIOTHECA, *in qvâ illuſtrium per

* *Ludovicus Bail, anno 1666. Lutetiæ* BIBLIOTHECAM CONCIONATORUM *edidit ſub tit.* Sapientiæ forâs prædicantis; *in cujus primâ parte illuſtres Concionatores exhibentur ab initio Mundi ad Chriſtum uſque; in ſecunda, Concionatores à Chriſto Domino per annos mille; in tertia denique parte Concionatores à ſeculo undecimo ad decimum ſeptimum commemorantur; adjectis plerumque elogiis, hiſtoriis, artibus, florilegiis, aut ſpeciminibus ex antiquis lectionibus, & melioris notæ Codicibus MSCtr. præmiſſo etiam eruditè antiloquio, in quo catecheſes XX. olim ad Ordinandos habitæ exhibentur.*

Ca-

Ceterùm complures Concionatorum noſtro ævo illuſtrium ideas & imagines, in TEMPLO HONORIS ante ſeptennium à nobis extructo, lector inveniet.

per omnes ætates & ſecula Præconum elogia, hiſtoriæ & artificia continentur; inſuper, ipſa fulgentiſſimorum illorum luminum numeroſitas prohibeat, qvo minus ſingula nunc recenſere poſſimus: viſum fuit potiora ſaltem ARTIS HIEROLOGICÆ axiomata pandere, atqve FELICIS per omnia PRÆCONIS ECCLESIASTICI exemplar, & CHARACTEREM verè INDELEBILEM dare contemplandum. Non poſſumus autem, qvin ei commonefactioni inſignem præmittamus DES. ERASMI ROTERODAMI locum, qvo FELICISSIMI ECCLESIASTÆ ideam, Vir per omnia maximus ſcitè repræſentavit, atqve præclarè admodum oſtendit, qvid iis facere conveniat, qvi ſummè FRUCTUOSORUM PRÆCONUM diademate velint inſigniri: *Finge mihi* (ſcribit ille) *ECCLESIASTEN, qvi ſe totum exponat juvandis omnibus, pluſqvam maternâ paternâq; ſollicitudine pro ſingulorum vigilans ſalute, docens ignaros, blande revocans errantes, erigens ægrotos, conſolans lugentes, opitulans afflictis, ſublevans oppreſſos, naſcentes Chriſto tradens,* Eraſmus Tom. V. opp. fol. 704.

 mori-

morientibus aſſideat, mortuos ſepeliat, egenos foveat, oret pro ſalute omnium, in ſummâ nullum prætereat expertem ſuæ beneficentiæ, atque hæc faciat tum conſtanter, tum alacriter, pro his meritis nihil omninò petens mercedis à quoquam, non pecuniam, non obſequium, non gloriam: Quis obſecro tam duræ mentis eſt, ut ejuſmodi Virum non ut Numen quoddam è cælo lapſum & amet, & veneretur? Tanta charitas etiam malos compellit ad amorem mutuum. Quod ſi qui ſint, qui talem conſtanter odiſſe ſuſtineant, qvid aliud lucrifecerint, niſi ut ab omnibus judicentur omnibus feris efferatiores.

II. Ille itaqve ex Eraſmi ſententiâ FELICISSIMI CONCIONATORIS partes implet, laudeqve dignus immortali eſt, qvi ſe totum ſaluti proximorum dedicat, & errantium reductionem pariter ac improborum converſionem toto vitæ ſuæ decurſu meditatur. Age enim, quodcunque celſiſſimum Chriſtianæ vitæ genus animo concipe, ab infimo mortalium grege ad primos Angelorum Choros enitere; atqve ex eo culmine ad Theodulorum omnium ſtudia & inſtituta cogitationem demitte; non tamen invenies ullam vitæ conditionem, qvam chariorem ſibi Deus habeat, aut Deo-ſacrata pectora faciant pluris: *Neſcio* (ſcribit egregiè Richardus de S. Victore) *an poſſit homo aliqvid majus à Deo in hâc vitâ accipere; an poſſit hâc*

Rich. de S. Vict. p. 1. de Benjam. c. 44.

gratia

gratia majorem aliqvam Deus Homini conferre, qvam ut EJUS MINISTERIO PERVERSI HOMINES IN MELIUS MUTENTUR, ut de filiis diaboli filii Dei efficiantur. ΙΣΑΓΓΕΛΟΥΣ haud abs re dixeris eos qvi ad ſaluberrimũ hunc collimant ſcopum, toto virium ſuarum niſu in id unicè incumbentes, ut vel chriſtianam fidem rudes edoceant, vel peccantibus pœnas graviſſimas interminent, vel ad conſeqvenda gloriæ cœleſtis præmia ſe ipſos pariter ac alios extimulent. Non poteſt aliter, qvin penitus amore muneris ſui exardeſcat fructuoſus ejuſmodi, inqve ſupremę FELICITATIS GRADU poſitus CONCIONATOR, & magis magisqve ſe populorum ſaluti conſecret atqve pietatis chriſtianæ propagationi. Qvidni fideliſſimi illi in vineâ Dominicâ operarii, maxima pectoris miſerantis ſigna prodant, ubi tot animas in errores & vitia præcipites viderint, fraudeqve diabolicâ circumventas, & ad ultimam dehiſcentis orci crepidinem protractas? Qvidni, vitæ qvam illi profitentur dignitas & celſitudo, cunctas rerum ſecularium imagines, atqve privatorum emolumentorum conſectationes longiſſimè proſcribat? Num Sacrum Miniſterium, ad ambitionis vel glorioſæ vanitatis argumentum vertat ille, qvi de nominis divini gloriâ, & proximi ſui ſalute adaugendâ procurandâ-

qve apprimè ſollicitus, unicè optat, ut ſ alios
atqve alios errones & cœlo extorres, illi reconciliatos
videat, & ad ſuaviſſimum optimi
Salvatoris ſui jugum adductos? Ingens pro-
fectò MYSTARUM ejuſmodi fructuoſorum
eſt FELICITAS, ſed & labor magnus arduusqve,
ſi ad eum, qvem diximus modum munere
ſuo defungi velint. Procul à terrenis cupidi-
tatibus ſublatos illos eſſe oportet, cœloqve
vicinos, ut evulſis vepribus, fructus Deo di-
gnos proferre, & mentes hominum ſteriles,
cœleſtis verbi pluviâ tantò felicius imbuere
poſſint. Qvo major muneris dignitas eſt, hoc
major vitæ morumqve integritas reqviritur,
nimirū ut populus ſubditus pariter ad reve-
rentiā provocetur, & vel ipsâ Rectorum ſuorū
ſinceritate honeſtateqve, officii debiti admo-
neatur. Et qvam illuſtre ac honorificum ſit
CONCIONANDI munus, qvanta ejus di-
gnitas & eminentia Apoſtolicæ propemo-
dum proxima, ſummæqve ad errores infide-
lium coarguendos, & mores fidelium emen-
dandos utilitati ſociata exiſtat, haud obſcurè
ex eo colligere licet, qvod fideles officii ejuſ-
ce adminiſtri, in Sacrarum literarum monu-
mentis, ſaluberrima divinæ gratiæ & ſalutis
humanæ organa dicantur, Vicarii item, inter-
nuncii, angeli, voces & philomelæ Dei,
Chriſti Legati, Spiritûs ſancti tubæ, vaſa e-
lectionis, hominum piſcatores, Toparchæ

con-

conſtituti ſuper gentes & regna, ut evellant, deſtruant, & diſſipent; atqve ædificent & plantent; Doctores item ad juſtitiam erudientes, Magiſtri impellentes vel flectentes ad bonum, gratiæqve ſubſecuturæ viam ſternentes; deniqve Salvatores qvodammodo, mortalibus ad perpetuæ felicitatis ſedem adducendis apprimè inſervientes. Nullus profectò, niſi planè impius ſit aut atheiſta, Oratorum Eccleſiaſticorum dignitati derogabit, aut officii illius celſiſſimi (qvod fidei ſerendæ & conſervandæ, tum cæteris etiam virtutibus ingenerandis alendisqve qvam maximè conducit) neceſſitatem utilitatemqve ibit inficias. Qvodſi profanæ eloqventiæ, aut politicæ oratoriæ tantum detulêre Veteres, ut inſtrumentum publicæ proſperitatis, & adminiſtram effecerint, per qvam Reſpublica ſuam aſſeqvi conſervareq; qveat perpetuam felicitatem; qvidni Evangelicam prædicationem Reip. Chriſtianæ ocellum nuncupaverimus, organum ſempiternæ ſalutis, atqve præcipuum plantandæ propagandæqve pietatis medium, qvo omne hominum genus, finem ſuum ſupernaturalem, ſempiternam ſc. beatitatem, divinâ adſpirante clementiâ, feliciſſimè conſeqvatur. Hinc verò eſt, qvod exqviſita integritas ab iis reqviratur, qvi excelſæ adeò functioni ſint admovendi. Ante omnia à mundanis negotiis ſejunctos, totò-

qve pectore divinis rebus addictos deditosqve eos eſſe oportet, qvi in hoc conſtituti ſunt, ut omnium animos à mundi curis, ad rerum cæleſtium amorem avocent, & ſervos peccatorum libertati fidelium transſcribant.

III. Etiamſi cunctis Naturæ donis, & omnigenæ SCIENTIÆ * eruditionisq; apparatu vel ad miraculum uſqve præditus ſit Orator Eccleſiaſticus, vix tamen munere ſuo ſatis feliciter fungetur, ubi præſtantioribus longè & excellentioribus dotibus, divinæ videl. GRATIÆ præſidijs caruerit, atqve fidei & pietatis infucatæ, ſapientiæ cœleſtis, zeli item, charitatis, humilitatis, ac prudentiæ chariſmatibus neutiqvam ſit inſtructus. Qvantumvis enim vilis qvandoqve terra pretioſum aurum producat, & per malos etiam adminiſtros myſteria cœleſtia efficaciter diſtribuantur; ſi tamen fœcundantis gratiæ ſcatebrâ Concionatores penitus ſint deſtituti, ad fructuoſæ prædicationis ſcopū ægrè admodum pertingent, qvinimò cœleſtem, qvam ore prædicant, veritatem, plurimorum, (& carnalium

* *SCIENTIAM, FELICI CONCIONATORI perqvam neceſſariam, cum pluriſimi Hiero-duduchi huc uſqve expoſuerint, atqve doctrinarum ab Oratore Eccleſiaſtico maturè conqvirendarum apparatum prolixius ſint proſecuti; non erit qvod in eo perveſtigando nunc diutius occupemur.*

lium cumprimis hominum) ſannis atqve ludibrijs pudendis exponent. Non præter rem Salvator optimus diſcipulis ſuis, apoſtolicum munus profitentibus injunxit, ut ardentibus Lucernis inſtruantur, & animus pariter ac corpus arctioribus veluti abnegationis propriæ nodis adſtringatur; *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Luc. 12. ỷ. 35. Indiſſolubili adeò nexu hæc duo invicem colligantur, FACES nimirum Apoſtolicæ, & ſacra CINGULA, ut ſi qvando iſta laxari contingat, illas continuò extingvi, aëremq; qvem cœleſti luce irradiare debuerant, graveolenti fumo repleri neceſſe ſit. Itaqve tum demum Felicem & fructuoſum Præco Evangelicus aget in vinea Domini operarium, ubi noxias omnes pravæ converſationis herbas ex animæ ſuæ horto, curâ ſtudioqve continuo duxerit eradicandas. Qvod ſi verò ſibi magis qvam DEO atqve proximo vivere geſtiat, mundi & carnis deſiderijs nimiopere indulgeat, cæterùm ad plauſum placitumqve potius, qvam ad emolumentum auditorum dicere inſtituat, adulterator potius cœleſtis veritatis, qvam propagator nuncupabitur, graviſſimamqve olim ſeveri Judicis incurret reprehenſionem. Sanè cum præpoſteram illam maleſanamqve emolumenti privati aſſectationem, ut plurimum excipiat affectata ad pruritum aurium eloqventia, & ad oſten-

oſtentationem compoſita indigeſta confarcinatio doctrinarum; inſuper & metus ignominiæ accedat, genuum tremor, titubatio lingvæ, ex puſillanimitate notabilis perturbatio memoriæ, & tantum non dementatio extrema; nemini obſcurum eſſe poterit, qvales ex adulterinâ illa plantatione, ſpurioqve vitulamine fructus, qvaliaq; in ſacram & publicam rem emolumenta ſint expectanda. *Nimirum* (ut rectè Gregorius) *cum perverſa eſt intentio, quæ præcedit, pravum eſt omne opus quod ſequitur, quamvis eſſe rectum videatur: planè ſi ſemel cor intentione corrumpitur, ſequentis actionis medietas, & terminus ab hoſte callido ſecurè poſſidetur, quoniam TOTAM ARBOREM ſibi fructus ferre conſpicit, quam veneni dente IN RADICE vulneravit.* Nil magis itaqve Felicibus Concionatoribus per preces aſſiduas à DEO efflagitandum, qvam exqviſitiſſimum illud *SINCERÆ PIETATIS* donum; nil ardentius, qvam pſalmiſtæ votum ingeminandum: *Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini Tuo da gloriam;* nil freqventius qvam illud Bernardi celebrandum imitandumqve: *Illius Doctoris libenter audio vocem, qvi non SIBI PLAUSUM, ſed MIHI PLANCTUM movent;* deniqve nihil enixius optandum, qvam ut alia atqve alia Regnum Chriſti incrementa ſortiatur: ſæpius illi cum Gregorio laudato exclament; *Qui mihi*

Greg. M. lib. 1. Dialog.

Bern. Serm. LIX. in Cant.

mihi det, anteqvam moriar, qvis mihi det videre Eccleſiam DEI, ſicut in diebus antiqvis; qvando Apoſtoli laxabant retia, non in capturam argenti vel auri, ſed in capturam animarum.

IV. Præcipuum ſanè FELICIS HIEROLOGI ornamentum eſt ZELUS Salutis animarum; qvo zelo inflamata ejus oratio & actio, nullorum non audientium & obſervantium mortalium animos & pectora ſuccendet, plurimumqve momenti habebit, & dabit emolumenti. Zeli autem hujus nomine, ea amoris atqve charitatis vis intelligenda eſt, qvà concitatus Præco Evangelicus, non ardentiſſimè ſolùm proximorum ſalutem expetit, ſed etiam pro virili ſua promovet, ſpretis omnibus tum vitæ commodis, tum fortunæ & exiſtimationis propriæ incrementis. *Qvid eſt* (rurſus plentiſſim⁹ ait Bernardus) *Zelus iſte, niſi intima qvædam ſtimulatio charitatis, piè nos ſollicitantis æmulari fraternam ſalutem, æmulari decorem domus Domini, incrementa lucrorum ejus, incrementa frugum juſtitiæ ejus, laudem & gloriam nominis ejus?* Nimirum, non æqviſſimum modo, ſed planè etiam neceſſarium Bernardus putavit, ut qvi DEUM ſanctè diligit, & qvæ illius ſunt ſollicitò ſectatur, proximorum etiam emolumenta qværat, nilqve ferat gravius, qvam ſi eum in deteriora deflectere, à ſalutis tramite aberrare,

Bern. Serm. LVIII. in Cant.

imò

oſtentationem compoſita indigeſta confarcinatio doctrinarum; inſuper & metus ignominiæ accedat, genuum tremor, titubatio lingvæ, ex puſillanimitate notabilis perturbatio memoriæ, & tantum non dementatio extrema; nemini obſcurum eſſe poterit, qvales ex adulterinâ illa plantatione, ſpurioqve vitulamine fructus, qvaliaq; in ſacram & publicam rem emolumenta ſint expectanda. *Nimirum* (ut rectè Gregorius) *cum perverſa eſt intentio, quæ præcedit, pravum eſt omne opus quod ſequitur, qvamvis eſſe rectum videatur; planè ſi ſemel cor intentione corrumpitur, ſeqventis actionis medietas, & terminus ab hoſte callido ſecurè poſſidetur, quoniam TOTAM ARBOREM ſibi fructus ferre conſpicit, quam veneni dente IN RADICE vulneravit.* Nil magis itaqve Felicibus Concionatoribus per preces aſſiduas à DEO efflagitandum, qvam exqviſitiſſimum illud *SINCERÆ PIETATIS* donum, nil ardentius, qvam pſalmiſtæ votum ingeminandum: *Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini Tuo da gloriam*; nil freqventius qvam illud Bernardi celebrandum imitandumqve: *Illius Doctoris libenter audio vocem, qui non SIBI PLAUSUM ſed MIHI PLANCTUM moveat*; denique nihil enixius optandum, qvam ut alia atqve alia Regnum Chriſti incrementa ſortiatur: ſæpius illi cum Gregorio laudato exclament; *Quis*

Greg. M. lib. 1. Dialog.

Bern. Serm. LIX. in Cant.

mihi det, antequam moriar, quis mihi det videre Eccleſiam DEI, ſicut in diebus antiquis; quando Apoſtoli laxabant retia, non in capturam argenti vel auri, ſed in capturam animarum.

IV. Præcipuum ſanè FELICIS HIEROLOGI ornamentum eſt ZELUS Salutis animarum ferventior; qvo zelo inflamata ejus oratio & actio, nullorum non audientium & obſervantium mortalium animos & pectora ſuccendet, plurimumqve momenti habebit, & dabit emolumenti. Zeli autem hujus nomine, ea amoris atqve charitatis vis intelligenda eſt, qvâ concitatus Præco Evangelicus, non ardentiſſimè ſolùm proximorum ſalutem expetit, ſed etiam pro virili ſua promovet, ſpretis omnibus tum vitæ commodis, tum fortunæ & exiſtimationis propriæ incrementis. *Quid eſt* (rurſus pientiſſimꝰ ait Bernardus) *Zelus iſte,* *Bern.*
niſi intima quædam ſtimulatio charitatis, pie *Serm.*
nos ſollicitantis æmulari fraternam ſalutem, *LVIII.*
æmulari decorem domus Domini, incrementa *in Cant.*
lucrorum ejus, incrementa frugum juſtitiæ ejus, laudem & gloriam nominis ejus? Nimirum, non æqviſſimum modo, ſed planè etiam neceſſarium Bernardus putavit, ut qvi DEUM ſanctè diligit, & qvæ illius ſunt ſollicitè ſectatur, proximorum etiam emolumenta qværat, nilqve ferat gravius, qvàm ſi eum in deteriora deflectere, à ſalutis tramite aberrare,

imò

imò à DEO ipſo abalienari viderit; è contra verò ſanctè inardeſcat, exiliatqve, ubi proximorum ſalutem in tuto locatam deprehenderit. Et cum nihil acceptius DEO ſit, qvam fervens adeò ad divina cœleſtiaqve propenſio, & ſancta ſalvandi animas ſollicitudo; hinc ea magis magiſqve verſabit Hierophantam noſtrum, atqve ad procurandam omni ſtudio fratrum errantium reductionem incitabit. *Si enim Mercator* [ita præclare Chryſoſtomus] *ut rem familiarem amplificet, terroris plena maria navigat; & nos pariter ſaluti noſtræ, ſalutem adjiciamus proximorum; Dominum imitemur, & nihil pro fratribus omittamus.* Et Dominum itaqve, & Mercatores impigros imitetur Myſta Fervidus, niſi velit de albo eorum, qvos Chriſtus vineæ ſuæ cultores dedit, nomen ſuum expungi; qvinimò pro certiſſimo habeat principio, non licere jam ſibi per vitæ inſtitutum, velit ſalutem proximorum promovere, nec ne? ſed eam maximè ob cauſam à profanâ vivendi conſvetudine ſecretum ſe exiſtimet, ut Evangelium propagare, vitia extirpare & alia atqve alia pietati afferre emolumenta eò felicius poſſit. Sit licet Ventriloqvis qvibuſdam præconibus major cura de fundo, qvam de Templo, dolorqve acerbior ex inopia rerum temporalium illis veniat, qvam ex paucitate ſalvandorum; tantum abeſt tamen,

Chryſoſt. hom. 60. in Math.

men, ut deteſtabilis adeò prævaricatio in Viros divino agitatos ſpiritu cadere poſſit, ut maximis etiam rei familiaris anguſtijs preſſi, non niſi pietatis decremenra deplorent, atque ob primævi fervoris egeſtatem, & ſummam actionum honeſtarum ſterilitatem tantum non toti in lamenta inſolabilia ſolvantur. *Si Mercenariorum turba* (Bernardo ingemiſcente) *patientius longè ferat Chriſti jacturam, qvam ſuam*; Paſtores illi fideliſſimi, neglectis commoditatibus proprijs, tum maximè atqve vehementiſſimè commovebuntur, ubi corpus Chriſti myſticum unâ vel alterâ parte videant langvidum, ejuſqve membra nonnulla putrefacta, & horrore marcoris tantum non penitus confecta intueantur; nec lugebunt ſolùm, verùm advolabunt etiam qvantocyus, ut cadentibus manum porrigant, & qvibuscunqve ſtudiorum, commodorum, moleſtiarum, vulnerum, cruciatuumqve impendijs, ab interitu homines perditiſſimos revocare qveant. Et cum ingentem adeò ſeductorũ numerum videant, ut ſupputatione comprehendi vix qveat; hinc fideles illos Præcones, cura verſabit aſſidua, qvâ ratione ſeductæ animæ perditionis extremæ laqveis eripi, & ſupremæ ſalutis tabernaculo vindicari poſſint. Qvid, qvod ſecreti à Deo in culturam animorum deviorum myſtæ, ipſius Salvatoris charitatem, qvâ licet, ducât imitandam,

Bern. lib. IV. de conſid. ad Eugen.

dam, vixq; ullis arctari limitibus velint, & inſatiabili deſiderio alios atqve alios Chriſti ſectatores conqvirendi inflammentur? Neqve verò Zelus iſte in animo præconis accendetur, niſi prius in ſacra meditatione ignis exardeſcat, & lacrymæ compaſſionis ſeriæ illum urgeant ad ſuccurrendum periclitantibus; frigeſcente ſiqvidem charitate, Myſtæ infeliciores & irreligioſiores plerunqve iis in locis prædicando laborare deſiderant, ubi majores ſperant honores, lucris pecuniarum pingvioribus ſociatos; hos verò tantum abeſt, ut Viri zelo ſancto fervidi expetant, ut potius reſpuant oblatos, & nonniſi converſionibus animarum [ſpretis etiam graviſſimarum perſecutionum & anguſtiarum moleſtiis] diligentiſſimè invigilent. Et cum ob oculos illis nunqvam non zelus verſetur tum Prophetarum, olim ob imperterritam veritatis prædicationem à duræ cervicis populo, vel Regibus etiam interemptorum, zelus item Apoſtolorum, Martyrum, aliorumqve veritatis Evangelicæ teſtium; hinc ad eorum exemplum pij feliceſqve illi prædicatores ſe totos component, & nullâ periculorum oblocutionumqve mundanarum ratione habitâ, fructum animarum unicè conſectabuntur. Notanter de ſe ipſo alicubi Chryſoſtomus; *Vellem* (inqvit) *ſi fieri poſſet, veſtris oculis oſtendere, quam in vos habeam charitatem,*

Ni-

Nihil enim eſt mihi Vobis jucundius, & deſiderabilius, ne hæc ipſa qvidem lux: Millies enim optarem ipſe eſſe cæcus ſi per hoc liceret veſtras animas convertere, adeò ipſa luce eſt mihi ſalus veſtra jucundior; qvid enim me juvant ſolares radii, qvando qvæ propter vos accipitur animi ægritudo, oculis meis magnas tenebras offundit? Lux enim tunc eſt bona, qvando apparet in lætitia. Et paulò poſt: *Implete gaudium meum, liceat vobis ſalutem aſſeqvi, me autem propter vos reddere rationem, vobis dari ſalutem, me verò accuſari qvod meum munus non impleverim. Non enim curo ut pro me ſalvi ſitis, ſed ut ſalvi ſitis qvacunqve ratione.* Ita ſanctiſſimus & zelo pio ferventiſſimus Johannes, imitatus ipſos Apoſtolos, pari qvondam conſpicuos fervore; ſiqvidem eodem Chryſoſtomo dicente: *Antiqvis, magnis, & generoſis illis Viris hæc maxima cura erat, ut ſumma cum diligentia aliorum vitam diſqvirerent; manifeſte cognoſces, nullum eorum unqvam ad propriam reſpexiſſe utilitatem, ſed proximi unamqvemqve, qvamobrem majorem in modum claruerunt - - qvi autem ſibi tantum conſulunt, conſidera qvantum acceperint detrimentum, &c.* Fructuoſos itaqve illos Concionatores, non idiokerdos iſtos, Felices noſtri imitentur, æqve inſignem præ ſe ferentes ſpiritûs fervorem, nec non omnes curas cogitationeſqve ſuas ſaluti animarum procu- *Hom. XXV. in I. ad Cor. X.*

Zzz ran-

randæ ſalubertime impendentes, ſeſeqve mutuo laudatiſſimi Chryſoſtomi ore hunc ad modum compellantes: *Scitote, qvia mercenarij ſumus conducti; ſi ergo mercenary ſumus, cognoſcere debemus, qvæ ſunt opera noſtra; mercenarius enim ſine opere non poteſt eſſe: opera autem noſtra ſunt opera juſtitiæ, non ut agros noſtros colamus, & vineas; non ut divitias congregemus, & acqviramus honores, ſed ut PROXIMIS PROSIMUS. Et qvamvis hæc ſine peccato facere poſſimus, tamen non ſunt opera noſtra, ſed diaria noſtra. Sicut ergo nemo ſic conducit mercenarium, ut hoc ſolum faciat, qvod manducet; ſic & nos ideò vocati non ſumus à Chriſto, ut hæc ſola operemur, qvæ ad noſtrum pertinent uſum, ſed ad gloriam DEI. Et ſicut mercenarius, qvi hoc ſolùm facit, qvod manducat, ſine cauſa ambulat in domo; & ſic nos, ſi ſola hæc fecimus, qvæ ad noſtram pertinent utilitatem, ſine cauſa vivimus ſuper terram. Et ſicut mercenarius prius aſpicit opus ſuum, deinde diaria ſua; ſic nos, ſi mercenarij Chriſti ſumus, primum debemus aſpicere, qvæ ad gloriam DEI pertinent, proximiqve profectum, qvia CHARITAS, & verus AMOR erga DEUM non qværunt, qvæ ſua ſunt, ſed ad libitum amati cuncta deſiderant perficere, deinde qvæ ad noſtram utilitatem.*

Chryſoſt. Homil. XXIV. in Math.

V. Nihil profectò eſt, qvod zelum Eccleſiaſtæ fructuoſi magis perficiat, nihil qvod pie-

pietatis chriſtianæ negotium ſacriqve Oratoris conatum magis promoveat, qvam flagrantiſſimus ille SS. Numinis Amor, ſine qvo fervor omnis evanidus imò noxius erit, omniſq; prædicatio verbi cœleſtis infructuoſa propemodum futilisq; reddetur. Tinniet qvidem inſtar æris [docente Apoſtolo] Concionator divinâ charitate deſtitutus, verũ nõ ita multũ auditoribus adferet emolumenti: Ac licet aliqvantulum delectare videatur ſonitu, qvi foris aures pulſat, intus tamen corda vix accendentur, cum verba ex frigido pectore manantia, nullam ferè ad ignem excitandum vim habeant. Ni radicati (ut rurſum Apoſtolus) in Charitate & fundati ipſi ſint hiero-daduchi, parum fructuosè cœleſtium dogmatum ſemina agris mortaliũ injicient, neqve ſatis proſperè pietatis ſinceræ frutices cordibus auditorum implantabunt. Poſtqvam Amoris ſanctiſſimi radicem Chriſtianus Orator in pectore ſuo altè defixerit, non eſt, qvod de laborum ſuorum fructu conſeqvendo ullatenus deſperet, certo certius eqvidem virtute altiſſimi induetur, & præter ſum̃am eloqvij efficacitatem, alia atq; alia donorum incrementa accipiet, qvinimò ad ſanctiſſimã cum Deo adſpirabit pertingetq; familiaritatem. Qvid, qvod ejuſmodi Concionatoris, divino amore flagrantis animus Arnoris inſtar ſit futurus, in qvam omnigenæ virtu-

1. Cor. 13.

Epheſ. 3.

tutes inſitæ, magis magiſqve propullulant,
fructuſqve mirâ dulcedine referti ſeſe præ-
bent conſpiciendos. Charitas puta proxi-
mi, inſignis vitæ morumqve ſanctimonia,
orandi ſtudium, ſumma ad Deum fiducia,
manſvetudo cumprimis Humilitati verè
chriſtianæ ſociata. Ecqvis non videt, Con-
cionatori, præter virtutes cæteras, *VERAM
CORDIS SUBMISSIONEM* apprimè ne-
ceſſariam eſſe, ſiqvidem ſolus tot qvandoqve
Principum, doctorum & graviũ Virorum au-
res contineat, nec laudibus tantum hominũ,
ſed qvod multò periculoſius, aſſentatorum
etiam fallaciſſimis vocibus pateat, & innu-
meris cadendi periculis freqventiſſimè expo-
natur. Præmuniat ſeſe ſacer Orator & armet
ſollicitè, contra damnificam illã principis te-
nebrarum catapultam, Elationem ſc. faſtum-
qve immodicum, & ni Deo æternum diſplice-
re velit, omnem hominibus placendi affectũ
maturè exuat; precibus ad hæc ferventiſſi-
mis efflagitet ſpiritum ſinceræ Humilitatis,
per valles depreſſiores forti & magno animo
ambulet, cunctasqve actionum ſuarum dapes,
(ne ſcil. inſulſæ inſipidæqve ſint) gra-
tiſſimo ſubmiſſionis ſale condire geſtiat, de-
niqve non niſi expaveſcens, exhibitam ſibi
gloriam intueatur.

VI. Et cum dura valdè hæc ſit, carniqve
omninò contraria philoſophia, inqve nullam
rem

rem magis Sacri Oratores, qvam *IN SUI EXISTIMATIONEM* propendeant, maxima qvæqve ſibi tribuentes, rerumqve præclarè geſtarũ gloriã ſibi vindicãtes; igitur neceſſe eſt, ut ſollicitè admodũ hoſtis tam truculenti inſidijs atq; conatibus eant obviam, ſub ipſa officij ſacri primordia abnegationi fallacis & fugacis gloriæ ſtrenuã navantes operã, inqve PIO qvopiam Secessu, ſaluberrimo demiſſionis propriæ ſtudio & exercitio etiam atqve etiam invigilantes. Non alia profectò cura eos magis verſare debet, qvam Sacræ illius à vanitate ad pietatem veram Secessionis;* qvâ nimirum ratione pectora ſua pravis deſiderijs & affectibus coinqvinata, maturius expurgari, mala ſacros infamantia Oratores evitari, nec non laudes incompoſitæ plauſusq; inanes declinari qveant. Qvod ſi AMOR cœleſtis in Præconis Evangelici pectore ſedem fixerit ſtabilem, omneqve ſibi in id dominium vendicarit, non minus vitia amato bono repugnantia in ſacro illo SECESSU fortiter reprimentur, qvam præſtantiſſimæ qvæqve virtutes congregabuntur. Siqvidem ea vis ſit fervidæ illius dilectionis, ea Spiritus ſancti, voluntatem humanam internosqve affectus commoventis operatio, ut unà cum eo bono, renovati ac verè *FELICIS Eccleſiaſtæ* ani-

* *Conſ. peculi. noſtram opellam, ſub Pij Seceſſus tit. editam Auguſtæ an. 1669.*

mum mirus demiſſionis & abnegationis amor ſubeat, ut qvi paulò ante arrogans, ſui amans, vanus, laudiſqve propriæ cupidus cernebatur, idem nunc velut alter homo, & antiqvis exutus affectibus, ſui contemptor, modeſtus, humilis, nulliſqve non virtutum ornamentis clarus & cunctis charus agnoſcatur. Cæterùm, ſibi maximè dictum credens Doctor Evangelicus monitum illud Apoſtolicum: *Exemplar eſto fidelium*, in rebus cunctis, omniqve vita, habitu, geſtu, inceſſuqve nil niſi grave moderatum ac pietate plenum præ ſe feret, adeoqve optimæ ſemper converſationis exemplum notis ignotiſve, hoſtibus pariter ac amicis, opere non minus qvam ſermone præbebit. *Nam qui* (uti præclarè Chryſoſtomus ait) *talis eſt, etiam ſilens, & cum non videtur docere poteſt, & alios quidem, qui illum vident, alios verò, qui de illo audiunt; & multa fruetur DEI gratia, non ſolum propter ſe, ſed & propter alios, qui illum vident, & incitantur, ut glorificent Dominum. Talis per mille linguas, & multò plures gratias & laudes referet DEO. Neque enim noti ſoli teſtes ſunt vitæ illius, & ipſum mirantur, ac ipſum Dominum, ſed & qui non cognoſcunt, & ab aliis diſcunt, & qui valdè procul habitant; & non amici ſoli, ſed & inimici virtutis ejus eminentiam reverebuntur.* Id qvod certo certius eveniet, ubi ſtudioſius paulò Orator Eccleſiaſticus,

Chryſ. hom. 13. in Gen.

cus converſationes promiſcuas,nimiſq; familiares, crebriores item viſitationes, minuſq; neceſſaria cum plebeis colloqvia duxerit devitanda. Qvantumvis enim ſolitudini non ſupra modum addictus eſſe debeat, apprimè tamen illi cavendum, ne nimiâ ſecularium conſvetudine occupetur: Non contemptum ſolum (ut in proverbio eſt) promiſcuæ cum omnibus familiaritates illi parient, verùm etiam efficient, ut maculæ (ſi qvas habeat) in vultu ejus animoqve cominus appareant, qvæ eminus non ita facilè fuiſſent deprehenſæ. Qvid, qvod periculum ſit, ne conſvetudini ſecularium nimiæ aſſveſcens Concionator, eorundem qvoq; mores expreſſius referat, ipſaq; illius devotio (velut *ſacer* qviſpiã *ignis*) inter vaniloqvia penitus extingvatur. Juvabit h.l. Senecam admittere monitorem: *Qvid Tibi vitandum præcipuè exiſtimem, qværis? TURBAM. Nondum illi Te tuto commiſeris, ego certè confiteor imbecillitatem meam. Nunqvam mores, qvos extuli, refero.* Et mox: *Inimica eſt multorum converſatio: Nemo non aliqvod vitium nobis aut commendat, aut imprimit, aut neſcientibus allinit.* Et cum ipſe Plato Sacerdotes juſſerit ſeparatam ab omni turbâ agere vitam; nemini mirum videbitur, qvod ſanctioris longè Religionis (Chriſtianæ videlicet) anteſignani, tam fervidè ſacros Oratores à promiſcuâ hominum

Seneca epiſt. 7.

Plato in Timæo.

conſvetudine fuerint dehortati; ne ſcil. tempus ſtudijs, & ſacræ contemplationi debitum, amici, aut vaniloqvi potius nugatores ſuffurentur, & ne publicis Eccleſiæ uſibus conſecrati Doctores, noxiæ converſationis veneno inficiantur, extremæqve dentur internecioni. Qvod ſi urgente neceſſitate maxima ipſis ſit prodeundum, atqve nobiliores etiam potentioreſqve domi ſuæ compellandi, omninò videant, ut eum in privatis ejuſmodi congreſſibus agendi modum obſervent, qvi ſimplicitatem Evangelicam, Chriſtianamqve affabilitatem apprimè deceat, non qvi urbanitatem ſpiret aulicam, aut mundanæ complacentiæ veſtigia oſtendat. Exulet nimia in familiari cum ſuperioribus ſermone libertas, neqve adulatio, alloqvij puritatem omninò dedecens ac dehoneſtans, locum inibi inveniat. Et cum ſatis abundè conſtet, qvanta ſacris cœtibus detrimenta ex pernicioſo hominum potentiorum ditiorumqve reſpectu accedant, qvantæqve inde corruptiones ſacri Ordinis proveniant, ideò Myſtæ cordatiores, ſive privatim ſive publicè loqvantur, veritatem liberè proferre neutiqvam intermittant; cum Prophetis hic potius odio haberi eligentes, qvam cum pſeudo-prophetis ab hominibus benedici, nec his ſimul & DEO

Gal.1. velificantes, ni ipſo Apoſtolo haberi velint prudentiores: *Si adhuc hominibus placerem,*

Chri-

Chriſti ſervus non eſſem: Eaq; propter (ut ſcitè Baſilius monuit) *ubiqve ex ore ſuo proſilire ſitiant ea, quibus & proximus ædificetur, & charitas erga illum magis confirmetur.* *Baſil. M. ſerm. de Abd. rerum.*

VII. Deniqve PRUDENTIA *(zelo ſociatâ) apprimè conſpicuus ſit, qviſqvis FELICEM agere CONCIONATOREM, atqve cum fructu & emolumento publico muneri Sacro præeſſe, & hoſtium undiqve inſurgentium machinationes fortiter reprimere velit. Et cum ipſo philoſopho enunciante, *Prudentia ſit anima ex Virtute operantis veluti oculus*; ſeu ut magis appoſitè Chryſoſtomus definivit, *lucerna animæ, & cogitationum actionumqve nobiliorum Regina*; liqvidò apparet, qvanta Virtutis ejuſce in ritè obeundo munere concionatorio neceſſitas exiſtat, ne ſc. cæco feramur impetu, & ad ſyrtes & ſcopulos naves noſtras miſerè adfligamus. *Illud dicere habeo* [ſcitè ait Qvintilianus] *nihil eſſe, non modo in orando, ſed in omni vita prius conſilio, fruſtraqve ſine eo tradi artes cæteras, pluſqve ſine doctrinâ Prudentiam, quam ſine prudentia facere doctrinam.* Qvodſi Plato ipſe tanti Virtutem illam fecit, ut eam ἡγεμόνα *Ariſt. 6. Ethic. c. 12.* *Chryſoſt. in Pſ. 13.*

Zzz 5 voca-

* *Non qvidem CONCIONATOR aliùs FELIX nuncupabitur, niſi qvi PIETATEM SCIENTIÆ ſolidiori, & PRUDENTIÆ ſanctiori, nexu amicabili, habuerit ſociatam.*

Socr. apud Max. Tyr. ſermon. 41.

vocarit εὐδαιμονίας, *ſcientiam felicitatis effectricem*, & Socrates apud Max. Tyrium primam inter tria poſuerit, quæ auditoribus præcipuè inculcanda judicavit: *Prudentiam in mente, in linguâ ſilentium, in vultu verecundiam*; qvidni magnificè de tanto animi theſauro Orator & philoſophus chriſtianus ſentiat, deqve eo conqvirendo ſeria ſecum agitare conſilia pergat? Oculatiſſimum qvidem eſſe oportet hominem Sacra ſanctè adminiſtraturum, & qvovis Argo perſpicaciorem; provida illi cura adhibenda, ne ceſpitet, aut graviter alicubi offendat. Qvid qvod Præco nullus (zelo licet ferventiſſimo præditus,) eſſe qveat multum fructuoſus, niſi ſimul PRUDENTIA ſit conſpicuus, eoq; antidoto noxias qvaſcunqve malignantium catapultas eludere ſciat. Sola prudentia illi modum rationemq; oſtendet, qvam in errantiũ reductione, pariter ac converſione peccantium inire debeat, nec minꝰ plagam ejus conſpectui ſiſtet, verſus qvam tendere oporteat, dubia cuncta enubilabit occurrentibus biviis, triviis, anfractibus, atqve Achatis fidiſſimi munere nunqvam non defungetur. Ne fruſtra ſupremæ ſapientiæ præcepta plebi tradantur, atqve in opere omnium ſaluberrimo perficiendo turpiores committantur errores, prudentiæ leges ſtudioſius obſervandæ, & ad eam amuſſim ſollicitè Oratori Eccleſiaſtico velut

velut ad ſacrã qvandã anchorã recurrendum, qvinimò illius actionum gubernatricis imperium unicè admittendum, nullæqve non actiones ejuſmodi temperandæ erunt condimento. Triſtis profectò omnium ætatum experientia docuit, qvantæ calamitates Virtutis ejuſce neglectum exceperint, qvot mortalium myriades, culpâ Eccleſiaſticorum minus providorum extremam ſubierint internecionem, cum ſcil. per ſummam imprudentiam ſchiſmata vel diſſidia excitata fuêre, ac ſimul Eccleſiæ tranqvillitas vehementiſſimè conturbata; qvæ mala velociter evitari potuiſſent, ſi ab actionibus imprudentioribus ipſi Gregis Dominici Antiſtites abſtinuiſſent. Siqve non ſemper Orthodoxorum Doctorum imprudentiæ tribuenda ſit ſchiſmatum & diſſenſionum Eccleſiaſticarum origo; attamen per actiones eorundem minus circumſpectas, exortæ lites non rarò nimiopere ſtabilitæ fuerunt atq; adauctæ, etiam tum, cum de diſſidiis componendis tollendiſqve apprimè fuit laboratum; prout à Lucifero Calaritano factum; Is enim in ſchiſmate Meletiano componendo operam diligentiorem poſiturus, morbo ipſo deterius remedium adhibuit, eoqve ipſo effecit, ut excitatum diſſidium indies ſit adauctum, ac tandem inſanabile propemodum redditum, & plus qvam octoginta qvinqve annos durarit. *Conf. Vedel. de prud. Eccl. vet. lib. 1. c. 1. p. 43.*

Sed

Sed cum, de PRUDENTIA CONCIONATORUM præcipuus nunc ſit dicendi locus, notandum apprimè, non reqviri ab illis, ut vel tantillum de zelo ſuo remittant; aut minimum qviddam in præjudicium faciant veritatis; (ſiqvidem graviſſimè & inexcuſabili modo ab iis peccetur, qvi zelum prudentiâ ita ſibi temperandum eſſe exiſtimant, ut veritatis & pietatis patrocinium deſerant,) qvin potius ut ſtudiosè ſollicitèqve diſpiciant, qvid qvovis loco utile qvidve noxium, qvid neceſſarium, qvid minus tale ſit reputandum, ut eò rectius atqve felicius præfixus utilitatis publicæ ſcopus attingi qveat, qvam ipſam circumſpectionem Salvator ſectatoribus ſuis non ſolum generali illa ſententia commendavit, ut *ſerpentum inſtar prudentes evadant;* verum etiam ſpeciali monito duxit inculcandam, *ne ſcil. ſanctum canibus dent, neqve margaritam coram porcis projiciant, ne qvando conculcent eas pedibus ſuis, & converſi lacerent diſcipulos.* (*Matth.* 7. ℣. 6.) Qvibus verbis optimus Magiſter clariſſimè docuit, qvanta ab Eccleſiaſte circumſpectio adhibenda ſit, ſi imminentia pericula velit evitare, & ad optatæ felicitatis [ſolis Chriſti aſſeclis propriæ] pertingere metam. Conteſtatiſſimum illi ſit oportet, zelum ſanctum ac divini amoris igne flagrantem, nunqvam ſolum, ſed ſemper cum prudentiâ ſanctorum conjunctum eſſe debere. Caveat cum-

cumprimis FELIX Concionator, ne ſalutaris PRUDENTIÆ leges aliunde petat, qvam ex Veritatis cœleſtis officinâ, non illas è profanorum ſcholis hauriat, ſed Dominici præcepti memor; *Ne vos configurate ſeculo iſti, &c.* humanam verſutiam ſanctuario eccleſiaſtico penitus exulare jubeat: Eqvidem ubi callidè magis qvam calidè pieqve ſacra etiam negotia tractantur, neceſſe eſt ea profanari turpiter, Religionem corrumpi, Eccleſiam in ſynagogam aulamve politicam migrare, pacem illius in funeſta diſſidia converti, & extremum pietatis chriſtianæ cernere exitium. Qvod ſi verò ex limpidiſſimo Scripturæ divinæ fonte prudentia illa hauriatur, precibuſqve à DEO ipſo expetatur ardentioribus, fructû faciet omni encomio majorem, & benedictionis cœleſtis largiſſimam ſcatebram certo certius finitimam habebit. Nec minus *COGNITIO ECCLESIASTICÆ ANTIQVITATIS*, plurimùm emolumenti ſacræ illius PRUDENTIÆ ſtudioſo adferet, ſiqvidem ea nobiliſſimas qvaſq; providorum DEI ſervorum ſuggerat actiones, caſus qvoqve & pericula promat, qvæ cunctos in vineâ Domini operarios facere poſſint cautiores, neqve calamitates reticeat, ex imprudentia qvorundam ſummè culpabili enatas. *Vidimus* [ita notanter doctiſſimus Vedelius] *in illa*, ſc. Eccleſiaſticâ antiqvitate, *vos, qvi negotium* *Vedel. l. c. Proleg. c. 2. p. 11.*

Re-

Religionis atque Eccleſiæ tractabant, prudenter interdum egiſſe, & ſic Eccleſiæ profuiſſe, ſibique ipſis non nocuiſſe; interdum autem imprudenter egiſſe, & ſic Eccleſiam ſeque ipſos graviſſimis miſeriis implicuiſſe. Videmus etiam in illa, quanto cum furore Tyranni, quanta cum verſutia & vafritie hæretici Eccleſiam aggreſſi fuerint, & in ruinam atque exitium ipſius conſpirarint. Uno verbo; ſi illorum temporum actiones atque eventus, ſiniſtros præſertim, cum moderno Eccleſiæ ſtatu conferas, deprehendes eandem quod dicitur fabulam agi; atque ex iiſdem erroribus eaſdem calamitates, & contra ſi quid prudenter in Eccleſia hodie geritur, eundem bonum ſucceſſum ſequi; deprehendes etiam iiſdem machinis, iiſdem artibus hoſtes Eccleſiæ uti hodie; quibus contra veterem Eccleſiam uſi fuerunt. Ut adeo Eccleſia VETUS Chriſtiana nos PRUDENTIAM doceat utroque modo, nimirum tam prudentia, quam imprudentia; tam EXEMPLO, quam DAMNO ſuo. Neqve exigua prudentiæ Sacro-Eccleſiaſticæ acuendæ adminicula ſubminiſtrabunt miræ illæ rerum viciſſitudines, qvæ aut prudentiam aut imprudentiam publicorum Doctorum ſunt inſecutæ, atqve apertiora noxiarum æqve ac fructuoſarum Concionum in Eccleſia qvondam habitarum indicia faciunt; Utinam cura operoſiori aliqvis ex antiqvitate ea documenta conſignaret, qvæ *in Praxin*

Ho-

Homileticam utplurimum deveniunt, & caſibus undiqve obvijs planè finitima eſſe videntur, operam ſanè ſcriptor talis minimè luderet, ſed Eccleſiæ paſſim laboranti, & Rei cumprimis Concionatoriæ adaugendæ exornandæqve plurimum inſerviret.

VIII. Tempus nunc eſt, ut Felici noſtro Concionatori, optimum dicendi genus commendemus, cujus beneficio largos in vineâ Dominicâ fructus colligere, & efficaciores ac ſangvinis ſucciqve pleniores ſermones ad populum habere poſſit. Illi autem maximè (ſapientiorum omnium calculo) dicendi generi palma erit tribuenda, qvod non tam in verbis nitidis proferendis, qvam in rebus ipſis clarè explicandis, & ritè intelligendis, eradicandis item vitijs, & virtutibus implantandis felicius verſatur, explicatioraqve pietati propagandæ ſubſidia ſubminiſtrat. Et cum Chriſtiani Oratoris finis idem qvi omnium ſit dicendi magiſtrorum, perſvadere nimirum dictione; ideò artificia eorum cumprimis ſunt adhibenda obſervandaqve, qvi appoſitiſſimè ad perſvadendum dixêre, h. e. ſcitè invenêre dicenda, & inventa exqviſitè ordinavêre, optimè deniqve ordinata & diſpoſita feliciſſimè ſunt elocuti. Qvem ipſum in cenſum præ cæteris veniunt Prisci Homiliarum Sacrarum Artifices, qvi donis exqviſitioribus ad concionandum in-

inſtructi, triplici iſto munere feliciter adeò
functi ſunt, ut voluntates auditorum non
maſculè ſolùm expugnaverint, verùm etiam
communem Oratorum finem egregiè ſint aſ-
ſecuti. Non aliundè profectò celebratiſſi-
mis illis veterum Doctorum Homiliis ea di-
gnitas obvenit, qvam qvod ad vulgi ſenſum
& intelligentiam maximè fuerint accomodæ,
ſingulaſqve dictionis fructuoſæ characteriſti-
cas notas habuerint. Nulla eqvidem non
Concionum ſuarum argumenta, nullas non
ſententias, in eum ſcopū ſanctiſſimi illi Homi-
letæ dirigebant, ut optimis documentis in-
ſtruerent ignaros, animas in peccatorum cœ-
num collapſas erigerent, & vitam gratiæ
qvam amiſerant, iiſdem recuperarent, cæte-
rum in cœpto itinere, & gratiæ cœleſtis ſtatu
firmarent pœnitentes, afflictis verò graviſſi-
miſqve calamitatibus preſſis, ſolatia divina
effuſo ore impertirentur. Non ſecus ac Pi-
ſcatoris piſcatum euntis intentio eſt domum
redire auctum piſcibus, & alio atqve alio la-
boris ſui emolumento gaudere, ita ſpiritua-
les illi piſcatores non niſi ſacram in ho-
milijs ſuis ſpectabant capturam, eaqve pro-
pter inutile atqve abſurdum cenſebant, qvid-
qvid ad eum ſcopum non collimaret. Por-
rò cum probè perſpexiſſent ſapientiſſimi il-
li Oratores, doctrinam, qvæ Morum compoſi-
tionem ſpectat, propè caſſam, & fructu va-
cuam

cuum eſſe, ſi ſummatim ſolùm & in genere proferatur, idcircò à generalioribus ad magis particularia paulatim, & propemodum ſine auditorum ſenſu, ſe devolvi ſinebant, utqve tanto utiliores evaderent, ad partes deſcendebant tum bonorum operum, qvæ præſtanda ſunt, tum pravorum, qvæ devitanda. Qvanti momenti ſit idipſum ſacri Oratoris artificium, qvantisqꝫ ſeſe commendet emolumentis, loco qvodam memorabili Leo Magnus (in ordine priſcorum Homiletarum minimè poſtremus) expoſuit, clariſſimeq; oſtendit, qvod illo artificio adhibito *feliciſſime pellatur laſcivia, abdicetur ebrietas, & carnalis concupiſcentia caſtitatis legibus edometur, odia ad hæc tranſeant in dilectionem, inimicitiæ convertantur in pacem, manſvetudo remittat injuriam, & tranqvillitas iram extingvat, &c.* Nimirum, ſi ſacri Oratores ſingulatim virtutes & vitia proſeqvantur, & à generalioribus ad magis ſpecialia deſcendant.

Leo M. ſerm. II. de Qvadrag.

IX. Aliam inſuper induſtriam Veteres adhibebant ad fructum copioſiorem faciendum: Auditores nimirū ſuos ſæpenumero tanqvam familiam Pater, aut amicus amicum amicè & familiariter alloqvebantur, ut inde non raro Conciones ADLOCUTIONUM nomine venerint. Teſtem laudamus Tertullianum, qvi Conciones proxime poſt divinæ Scripturæ recitationem haberi ſolitas, *Adlocutiones*

Tertull. lib. de anima cap. 9.

Conf. Greg. M. Lib. 7. epiſt. 52. Homil. V. & IX. in Ezech. item Homil. 22. in eund. Burch. in II. Decret. lib. c. 65. Ivo in 6. Decreti parte c. 165.

titulo diſertis verbis cohoneſtavit, in h. m. *Jam verò prout Scripturæ leguntur, aut Pſalmi canuntur, aut ADLOCUTIONES proferuntur, aut petitiones delegantur, &c.* Nec minus Gregorius Magnus, varijs locis edocuit, illam ipſam appellationem ævo ſuo paſſim fuiſſe receptam atqve freqventatam. Burchardus qvoqve & Ivo eodem planè ſenſu verbum illud uſurparunt, tradideruntqve ex more Veterum fuiſſe, *qvod poſt ALLOCUTIONES Epiſcoporum vel Presbyterorum Orationes ſuper catechumenos celebratæ fuerint.* Dubium profectò nullum eſt, qvin *Adlocutiones* ejuſmodi publicæ, plurimo ſeſe commendarint fructu, & optima qvæqve adverſus omne genus vitiorum pharmaca ſubminiſtrarint. Et qvam præclarè eo ipſo genere Homiletico cum peccatoribus (etiam obfirmatiſſimis) actum fuerit, exemplis pænè innumeris dare poſſemus demonſtratum, ſi ullus ambigendi locus ſupereſſet. Qvid multis? Inſignes planè priſci illi HOMILETÆ [ut paulò ante innuimus] agebant Medicos, laborantium ægritudinibus ubiqve condeſcendentes, atqve tum in peſtiferis morborum myſticorum ſeminarijs excutiendis, tum opportunis etiam Remedijs præſcribendis diutius comorantes, operaſqve collocantes fructuoſiores. Secabant aliqvando, cum neceſſitas ſectionem flagitaſſet, uſtiones & ama-

ra qvoqve adhibebant medicamenta, cum valetudinem deſperatam crederent, & ægrotis mortem augurarentur. Et qvemadmodum Medici excellentiores *THERIACAM*, ex multivarijs rebus, adverſus venena viperarum ſerpentiumqve componere ſolent, laborantium reſtitutioni maximè idoneam; ita etiam feliciſſimi illi animarum Curatores, bono & emolumento malè [ad animum qvod attinet] affectorum, & ad veneni infernalis vim eludendam, Theriacam qvandam ſpiritualem conficiebant, ex permiſtione eorum omnium conſtantem, qvæ ad corruptionem præcavendam, mortemqve peccati propulſandam apprimè idonea videbantur. Nec præter rem fuerit alia qvædam, eaqve uſitatiora commemorare ſubſidia, qvæ olim ſancti Oratores ad animas DEO lucrandas adhibuêre: Uſitatiora inqvam; ſiqvidem operis infiniti eſſet percenſere omnia, & artes armaqve ſingula producere, qvibus infernales copias profligarunt. Qvippe ſicut prudens & ſolers belli Dux, arcem armis viriſqve munitam obſidens, totus eſt in excogitandis rationibus, eam qvam citiſſimè, minimoqve ſuorum periculo occupandi; ita ſtrenui illi bellatores, non aliud agitabant animo, qvam qvâ ratione corda humana, velut arces qvædam munitiſſimæ, & à robuſto illo armato occupatæ expugnari, ac divinæ Majeſtati reconciliari qveant.

ant. Hinc eſt, qvod ſollicitè admodum ſibi caverint ab omni OBSCURITATE, & pro audientium captu ac intelligentiâ ſemper fuerint ſermocinati. Et qvamvis ſubliſſima fidei myſteria pro ſacrâ etiam Concione tradiderint, dimiſſis tamen ſpeculationibus infructuoſis, ea duntaxat propoſuerunt, qvæ ſalus audientium reqvirere videbatur, atqve id ipſum præ cæteris ſapientiſſimè Magnum Baſilium feciſſe, ſingularemqve auditorij imperitioris rationem habuiſſe præclarè Nyſſenus oſtendit, initio ſupplementi explicationis in Hexaëmeron conſcriptæ graviter occurrens expoſtulationibus ſciolorum qvorundam, qvod difficilia nonnulla Baſilius præterijſſet, vel minus ſubtiliter Creationis opera eſſet perſcrutatus; ſapientiſſimè inqvam hoc ipſo feciſſe eum, Nyſſenus monſtravit; *Qvippe, qvi* (prout authoris verba ſonant) *in ampliſſima Eccleſiâ populum frequentiſſimum alloqvens, pro audientium intelligentia ſermonem ſit moderatus; In tanta enim* (pergit notanter) *multitudine licet eſſent nonnulli, qui altiores etiam diſputationes intelligerent, plurimi tamen doctrinæ ſubtilitatem non capiebant, utpote homines imperiti atqve opifices, & negotijs vilibus occupati, & mulieres in hujuſmodi diſciplinis minime exercitatæ, & puerorum turba, ætateqve provecti ſenes, qui omnes oratione facili inſtituendi*

Gregor. Nyſſ initio ſupplem. explicat. in Hex.

re-

recreandiqve erant, & per res procreatas, qvæ cernuntur, earumqve pulchritudinem, ad rerum omnium authorem procreatoremque perducendi. Qvare ſi quis ex Præceptoris conſilio dicta ipſius expenderit, nihil dubitationis relinqvetur. Neqve enim verborum contentiones aucupabatur, ne facilè ſeſe qvæſtionibus implicabat, ſed ſimplici verborum expoſitione, audientium ſimplicitati ſic orationem ſuam accomodabat, ut variam tamen externæ philoſophiæ doctrinam redolens, peritioribus etiam ſatisfaceret. Qvamobrem eum & imperiti intelligebant, & eruditi admirabantur. Qvod ipſum ſacri Oratoris artificiũ, præter Baſilium Magnum, cæteri qvoqve Patres apprimè perſpectum habuêre, auditorumqve intelligentiæ ſermones ſuos ſtudioſiſſimè attemperavêre. Ac licet pro ingenij ſui acumine, & profundiſſimæ eruditionis apparatu, ſublimiora & abſtruſiora plurima in mediũ afferre potuiſſent, nihilominus humiliora, fructuoſiora tamen, & inſtruendis auditoribus minus peritis aptiora ubiqve ſunt conſectati, intentis ſemper in ſcopum palmarium oculis id contendentes, ut prodeſſe poſſint multitudini, ex ipſis propoſitionum ſacrarum viſceribus monita maximè ſalutaria proferrent, & breviuſculi temporis ſpatio, affectibus multivarijs oportuna remedia adhiberent. *

* *Egregiè etiam hanc in rem Origenes* hom. IV. in

in Num. *mandatum divinum de ſacris velandis tractans, diſſeruit; videndus etiam eſt Iſidorus Peluſiota, lib. IV. Epiſt. 37. ubi Scriptorum à DEO animatorum humilitatem cum Ethnoſophorum grandiloqventia contulit, magnumqve divini verbi decus eſſe demonſtravit, qvod humili efficacitate ſit præditum, & ad evertendam omnem mundanam ſapientiam ſufficiat. Nimirum, ut idem author rectè obſervavit, Oratores Scriptoresve illi ſanctiores minimè ſerviebant gloriæ propriæ, ſed in legentium utilitatem tantum intenti erant, cui potius commodet ſtyli ſimplicitas, qvam elatio intemperata, &c.*

Neqve exiſtimandum tamen, qvod ſemper tractatione rerum ſublimiũ Oratores illi verè Evangelici abſtinuerint, aut nihil unqvam difficile auditoribus propoſuerint, verum ſollicitè tantum caverunt, ne in mirabilibus ſuper ſe freqventius obambulantes, captui auditorum minus convenientia edicerent; cæterum ad Magni Chryſoſtomi exemplum, animos auditorum mox ſeverioribus doctrinis intendentes, mox facilioribus refocillantes. *Scio* (inqvit egregiè os illud aureum) *qvod ſuperioribus diebus mentem veſtram gravioribus ſententijs intenderim, & exercuerim, eam ob rem, hodie animus eſt faciliorem proponere doctri-*

Chryſoſt. homil. 11. in Geneſ.

doctrinam - - Neqve enim ſemper intendere, neqve ſemper remittere oportet; ſed nunc hoc, nunc illud faciendum, ad regendum animæ ſtatum, & domandam carnis petulantiam. Nam ſicut ſemper intentum eſſe laboribus dolorem affert, & ſuccumbere facit; ita ſubinde remittere, ad ignaviam inducit. Id qvod & in anima & in corpore uſu evenire ſolet, &c. Arriſit eqvidem ſapiens hoc Chryſoſtomi conſilium & inſtitutum nullis non Doctoribus antiqvis tantoperè, ut in qvorumvis argumentorum tractatione nonnunqvam difficiliora attigerint, ſubinde tamen ita remiſerint, ut nonniſi aperta & penitus patentia auribus imperitiorum ab illis ſint inſtillata. Qvod D. Auguſtinus alicubi apprimè Doctori Evangelico injungendum duxit, *ne ſc. per imprudentiam moveat, qvod auferre non poſſit*; id ſapientiſſimi illi priſcæ pietatis Præcones ad unum omnes ſollicitè obſervavêre, à dubiorum minus ſolubilium mentione & motione etiam atqve etiam abſtinentes, ſaltim nodorum propoſitorum ſolutionem in tempus aliud (qvod imprudentiores qvoſdam, maximo audientium damno & periculo feciſſe conſtat) minimè differentes. *Qvid prodeſt obſecro* [ait notanter Richardus Victorinus] *qvæſtionem movere, qvam nolitis aut non poſſitis ſolvere? Nonne hoc eſt ciſternam aperire, & ſine operculo relinqvere? Qvid eſt ambigui-* *tatis*

Auguſt. lib. IV. de doctr. Chriſt. c. 20.

Rich. Victor. lib. 1. de Eman. c. 7.

tatis opacum, perplexioniſqve profundum argumentando oſtendere, qvam puteum effodere vel ciſternam aperire? Ad quaſtionem interpoſitam nullam ſolutionem reddere, ſed quaſi indiſſolubilem relinqvere, qvid aliud eſt qvam ciſternam apertam & ſine operculo relinquere? ſed ſi ceciderit bos aut aſinus in eam, ſecundum legis præceptum, Dominus ciſternæ reddet pretium jumentorum. Qvid eſt bovem aut aſinum in hujuſmodi ciſternam cadere, niſi ſimplices quoſdam dubitationis laqveos incidere, & perfidiæ periculum incurrere? ſi autem in ſcientia noſtra perit anima pro qua eſt mortuus Chriſtus, qvale qvæſo pretium pro illius multatione daturi ſumus? Quæ ergò explanare non poſſumus, aut nolumus, nonne melius eſt tacendo præterire, qvam veritatem obvolvere, & perfidiæ laqveos ſpargere. Ita præclarè Victorinus ad mentem Oratorum verè Chriſtianorum, verè Evangelicorum; qvorum monitis exempliſqve edocti Concionatores, aut nullam contra fidei myſteria difficultatem publicè moveant, aut motam illicò diſſolvant, ne ſaucius potius qvam curatus auditor abſcedat. Ni operam illi & oleum perdere velint, Medicorum erga ægrotos prudentiam æmulabuntur, qvam verbis ſignificantiſſimis author epiſtolæ de malis Doctoribus commendavit, ad h. m. *Talis eſt doctrina, per qvam nullius animæ profectus acqviritur, qvalis*

Auth. Epiſt. de malis DD. ſub jnit.

eſt

eſt medicina, cujus per curam remedium minimè ægrotantibus exhibetur. Quod ſolet etiam peritis Medicis ſæpè contingere, dum in ſolâ arte fidentes, minus ſollicitè aut peſtilentiam corporis perſcrutantur, aut ægritudinis rimantur cauſam, aut qualitatem valetudinis continentur. Sicut enim in corporalibus morbis varia & multimoda langvoris videntur eſſe contagia, & pro commutatione temporum, valetudinum quoque diverſitas naſcitur, & periti ac ſolertis Medici eſt, per ſe perpensè omnia librare, æſtimare, conjicere, ne laborioſæ ſollicitudinis declinatio faſtidioſa & ægrum perdat, dum parvâ diligentia cunctari imatur; & artem, dum negligentius latentia ſcrutatur, infamet: ita & BONI DOCTORIS eſt, ſpiritualium morborum cauſas prævidere, explorare, cognoſcere, perdocere, & qvibus occaſionum generibus oriantur advertere, & tum demum cognitis omnibus atque compertis, cœleſtis curæ adhibere Medicinam.

X. Qvandoqvidem verò in Medico non ſemper ſit, ut æger relevetur, atqve inſignis planè à veritatis divinæ Præconibus conſtantia reqviratur, ne deficiant, ſperato laborum fructu minimè apparente; hinc eſt, qvod priſcos illos, & omnibus numeris abſolutos Oratores Chriſtianos [qvi vulgò Patres nuncupantur] conveniamus denuò, nobisqve proponamus imitandos; Animum nimi-

rum illi, emolumento ſermonum ſuorum non extante, nullatenus deſponderunt, neqve ob audientium pertinacem malitiam & obfirmatam duritiem ullum tædio locum apud ſe conceſsêre. *Nimirum cum audiens reſiliiſſet*, (ipſiſſima D. Auguſtini verba adſcribo) *atqve recuſaſſet CURARI, conſolabatur eos dominicum illud exemplum, qvi offenſis hominibus ex verbo ſuo, & tanqvam durum refugientibus, etiam iis, qvi remanſerant, ajebat; NUNQVID ET VOS VULTIS ABIRE? Iſta* [addit notanter] *cogitantes, & invocantes Dominum, minus timebimus incertos exitus ſermonis noſtri, propter incertos motus auditorum, delectabitqve nos, etiam ipſa perpeſſio moleſtiarum, pro miſericordi opere, ſi non in eo gloriam noſtram reqviramus. Tunc enim eſt vere opus bonum, cum à charitate jaculatur agentis intentio, & tanqvam ad locum ſuum rediens, rurſus in charitate reqvieſcit.* Nec minus egregiè Chryſoſtomus, Concionatorum Chriſtianorum pectora adverſus periculoſam iſtam ſatanæ catapultam communivit, myſtaſqve ob eum defectum triſtiores, inde eſt conſolatus, qvod DEUS (cujus ſit fidelem operam ſervi & adminiſtri ſui compenſare,) non tenuius aut parcius ſtrenuum operarium ſit remuneraturus, etiamſi vitio ſoli res malè ceſſerit, qvam ſi uberes fruges collectæ fuiſſent; *Non eadem*

Auguſt. lib. de Catech. rud. c. 11.

[in-

[inqvit] *conditione, qvâ agricolæ ſunt verbi divini Præceptores, ſi qvidem agricolæ, poſt annuos ſudores, & miſeram illam laborioſamqve vitam, ſi terra aliqvando pro operis in ſe impenſis non reſpondeat, nemo alius ejus damna inſtaurare poteſt, ſed pudibundus triſtiſqve ab arca domum ad uxorem & filios revertitur; In nobis autem nihil hujuſmodi uſu venit, ſed licet culta terra nullum adferat fructum, dummodo nos nullum ſubtraxerimus laborem, & ejus & noſter Dominus vanâ nos ſpe dimiſſos non fruſtratur, ſed remunerat.* Unuſqviſqve enim (inqvit) propriam mercedem accipiet, ſecundum proprium laborem, *non rerum eventum.* Plenius autem idem argumentum Orator ille præſtantiſſimus alibi eſt proſecutus, occurrens ſcil. conqverenti; *Qvid igitur dicendo proficis? Proficio* (ait) *ſi qvis me audiat. Ego qvod officium meum eſt, id præſto, ſeminator ſeminat --- Et verò nunc in tantam multitudinem projectum ſemen fieri non poteſt, qvin mihi ſegetes proferat; tametſi omnes non audiant, dimidia pars audiet; & licet non dimidia pars, tertia; & licet nec tertia, decima; & licet nec decima, licet unus tantum ex eâ multitudine auditurus ſit, audiat; non enim exiguum eſt vel unam ovem ſervari, qvandoqvidem & paſtor ille, qvi nonaginta novem reliqverat oves, ad unam cucurrit, qvæ aberraverat. Hominem non contemno; licet*

Idem homil. in Terræ mot. qvæ 6. eſt Tomi V. Gr. Latini. Conf. Conc. 1. de Lazaro, ferè init.

cet unus ſit, homo, animal DEO chariſſimum? Licet ſervus ſit, contemnendus mihi non videtur; non enim dignitatem quæro, ſed virtutem: non dominationem, aut ſervitutem, ſed animam, &c. Cujuſmodi ſolatiis erecti firmatiqve priſci Eccleſiárum Doctores, animum (fructu licet nullo apparente) nunqvam deſponderunt, neqve ob INFREQVENTEM AUDITOREM in adimplendis ſacri muneris partibus fuêre remiſſiores. Non paucorum fortitudinem frangi videmus, populo numeroſo non accedente; aſt magnanima illa pectora ſummam ſemper tenuere conſtantiam, etiamſi auditor defeciſſet. Dicat rurſus ſententiam ſuam os illud aureum, atqve labefactioni fortitudinis, ob infreqventem auditorem, pro ſingulari
Chryſ. ſuâ dexteritate occurrat; *Si numeri ratio* (ita
Tom V. notanter ſuos aliqvando compellavit) *ha-*
Gr.L. *beatur, minores eſtis; ſi tamen cupiditatem af-*
ſerm.48. *fectumqve ſpectemus, pluris faciendi eſtis; Iſta ſit in rebus, qvæ ponderantur; ſi qvis decem aureos ſtateres ſumat, & in unâ lance deponat; ac deinde in alterâ centum æreos nummos, nunc tinam quidem centum ærei nummi deorſum ad ſe trahunt, attamen aurei decem illi, cum habitâ ratione materiæ graviores ſint ac pretioſiores, naturæ ſuæ dignitate præponderant. Itaqve fieri poteſt, ut qui pauci ſunt numero, pluris faciendi ſint, & utiliores habeantur illis, qui numero*

mero multi ſint. Sed qvid ego vobis exempla profero à rebus conſvetis repetita, cum ipſam a DEO prolatam ſententiam oporteat in medium afferri? Qvid igitur illa dicit? MELIOR EST UNUS FACIENS VOLUNTATEM DOMINI, QVAM INNUMERI PRÆVARICATORES. Eſt enim, eſt ſæpenumero unus homo cum innumeris æqviparandus. Et ante Chryſoſtomum breviter non minus qvam præclarè eandem in rem diſſeruit Clemens Alexandrinus, verbis qvidem ſeqventibus: *Qvi navigando prætervectus eſt Sirenas, unus ſufficit, & qvi ſphingi reſpondit unus alius, atqve adeò ſi vultis nullus; Non oportet ergò unqvam dilatare phylacteria, vanam ambiendo & magnifaciendo gloriam; ſufficit autem ei, qvi cognoſcendi eſt pietate præditus, ſi ei vel unus inventus ſit auditor.* Qvod ſi autem auditor non ſolum rarus & infreqvens, verum etiam infeſtus & inimicus acceſſiſſet, haſtam tamen neqve tum abjiciendam, nec ob malum & incompoſitum auditorem officij debiti partes eſſe deſerendas Oratores illi laudatiſſimi cenſuerunt; cum neqve Medici muneri ſuo deſint, qvantumvis ægri parum ſui compotes in eos ſalivam dejiciant, vel pugnis illos aut calcibus contundant.

Clem. Alexan. I. Strom. An ex Seneca profecit? apud qvem ſimilia leguntur epiſt. 7.

XI. Inſigne profectò ſpecimen fortitudinis, Concionatorem eo in caſu addecentis,

Auguſt. hom. 24. ex 50. ſub med. tis, D. Auguſtinus exhibuit, notanter eos alloqvens, qvibus inimicus factus fuerat, atqve malevolentiam eorum exqviſitè retundens ad h. m. *Prius paucis alloqvar debitores meos, qvi mihi neſcientes apud Deum ſuffragantur, dum faciunt debita, qvæ dimittam, ut & mea mihi debita dimitti promerear. Vobis itaqve dico, ſive præſentibus, ſive abſentibus, quibus inimicus efficior, verum prædicans, qvibus conſulendo videor oneroſus, qvorum reqvirens utilitatem, cogor offendere voluntatem. Nolite fieri ſicut eqvus & mulus, non habentes intellectum; Nam & hæc jumenta eos calce, morſuqve appetunt, à qvibus curantur: ut curentur eorum vulnera contrectantur. Non parcis, non parco: adverſaris, adverſor: reſiſtis, reſiſto, Lucta nos comparat, ſed cauſa ſeparat. Tu inimicus es Medico, ego morbo. Tu diligentiæ meæ, ego peſtilentiæ tuæ. RETRIBUEBANT MIHI MALA PRO BONIS, &c. Vos tamen corrigite perverſitatem veſtram, agnoſcite charitatem noſtram, reddite dilectionem dilectioni. Nolumus majorem cum veſtrâ perditione mercedem.* Qvem etiam in ſenſum idem Pater alia concione dixit ſeqventia: *Qvando nos reprehendunt homines in his rebus, in qvibus ei, qvem diligimus placemus, qvomodo pravi habemur apud reprehenſores noſtros? Qvomodo ab illis contemnimur, & omninò nihili pendimur. Amatores*

Auguſt. Conc. I. in Pſ. 32. ad verſ. 2.

res

res lubrici, & amabiles feminarum, qvando amatæ ipſorum componunt illos ſecundum oculos ſuos, ſi ipſis placeant, non curant eos, qvibus diſpliceant, putantes ſibi ſufficere, qvod earum oculis placent, ad qvas affectant, & plerunqve gravibus diſplicent, imò ſemper gravibus diſplicent, & meliori judicio reprehenduntur. Non benè tonſus es, dicit vir gravis laſcivo adoleſcenti, non Te decet cum talibus cincennis incedere. Novit autem ille capillos ſuos placere neſcio cui, odit Te reprehendentem vero judicio, & ſervat in ſe qvod placet perverſo conſilio. Inimicum Te putat, qvia turpitudinem demis; fugit oculos tuos, & omninò non curat, qvâ regula juſtitiæ reprehendatur. Si ergò illi non curant reprehenſores veraces, ut ſint formoſi fallaces, nos in his rebus, in qvibus placemus ſapientiæ Dei, non debemus curare irriſores injuſtos, non habentes oculos unde videant, qvod amamus. Tanta licet priſci Oratores conſpicui fuerint in tolerandis auditoribus minus ſibi faventibus magnanimitate, rumores tamen de ſe ſparſos, etiam falſos, non deſpexêre penitus, verum in ijs comprimendis ap-
pri-

Auguſt. lib. de bono viduitat. c.22.

primè laboravére, ipſo rurſus præeunte D. Aurelio,& eam in rem ſcitè diſſerente ad h.m. *Qviſqvis à criminibus flagitiorum atqve facinorum vitam ſuam cuſtodit, benè facit, qviſqvis autem etiam famam, & in alios miſericors eſt. Nobis enim neceſſaria eſt vita noſtra, aliis fama noſtra; & utiqve etiam qvod aliis miniſtramus miſericorditer ad ſalutem ad noſtram qvoqve redundat utilitatem. Unde non fruſtra Apoſtolus;* Provideamus (inqvit, bona non ſolum coram DEO, verum etiam coram hominibus. *In qvâdam etiam exhortatione dicit*; de cætero fratres, qvæcunqve ſunt vera, qvæcunqve ſancta, qvæcunqve juſta, qvæcunqve caſta, qvæcunqve bonæ famæ, ſi qva virtus, ſi qva laus, hæc cogitate, qvæ didiciſtis, & accepiſtis, & audiſtis, & vidiſtis in me; *Cernis qvemadmodum inter multa, qvæ exhortando commonuit, non neglexerit ponere,* qvæcunqve bonæ famæ, *duobuſqve verbis cuncta concluſerit, ubi ait*; ſi qva virtus, ſi qva laus. *Ad virtutem namqve pertinent, qvæ antea memoravi bona, fama verò ad laudem --ſed illorum duorum, id eſt, bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel qvod brevius dicitur, virtutis & laudis, unum propter ſe*

ipſum

ipſum ſapientiſſimè retinebat, alterum propter alios miſericordiſſimè providebat. Non itaqve myſteriorum cœleſtium tractatori (ex D. Auguſtini ſententiâ) vitio vertendum erit, ſi ſparſos de ſe ſiniſtros rumores diſſipare atqve enubilare ſatagat. Qvod ſi verò fruſtra adhibita fuerit conveniens & moderata (circa rumorum hujuſmodi diſſipationem) diligentia, tunc ex Chryſoſtomi monito pectus eo magis obfirmare ſtudebit, certò alioqvi dejiciendum, & curarum ſollicitudinumqve ponderibus opprimendum. *Qvoniam* [ita appoſitiſſimè ſæpè laud. Doctor auguſtiſſimus,] *qvantalibet humana cautela ſuſpiciones malevolentiſſimas non poteſt omni ex parte vitare, ubi pro exiſtimatione noſtra qvicqvid rectè poſſumus ferimus, ſi aliqvi de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo, famam noſtram decolorare conantur, adſit conſcientiæ ſolatium, planèqve etiam gaudium, qvod merces noſtra magna eſt in cœlis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, piè tamen juſtéqve viventibus. Illa enim merces tanqvam ſtipendium eſt militantium, per arma juſtitiæ, non ſolùm dextra, verum etiam ſiniſtra; per gloriam ſc. & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* *Auguſt. l.c.*

XII. Inſigne adhuc delibandum reſtat artis Homileticæ, priſcis Doctoribus uſitatæ ARCANUM, atqve Prudentiæ verè

chriſtianæ, verè Theologicæ documentum, qvo obſervato, maximi illi pietatis Præcones, multam & utiliſſimam in vinea Dominicâ operam locavâre, atqve feliciſſimam delinqventium qvorumvis fecêre correctionem; Nobile id eſt SEVERITATIS & LENITATIS hieroſophicæ TEMPERAMENTUM: ſiqvidem ſollicitè illi lenitatem nimiam pariter ac aſperitatem ſummam, & correptiones paulò turbulentiores, læſæqve charitatis notas devitarint. Etenim ut in arte Medicâ illâ efficacior & ſalubrior eſſe curatio ſolet, qvæ acrioribus medicamentis leniora ſociat; ſic & animarum curatio plurimum ſemper habuit emolumenti, in qvâ duæ iſtæ virtutes nobiliſſimæ, *Severitas* & *Clementia* pariter coeant, ac nexu ſvaviſſimo conjungantur: Sanè cum ex antiqviſſimorum Doctorum Chriſtianorum ordine nonnulli, correctionem ſacro-publicam *CHIRURGIÆ* aſſimilarint, * ad cujus præcepta ſectiones & uſtiones fomentis ſunt leniendæ; hinc operam ſapientiores Myſtæ ſollicitam adhibuêre, ut admonitiones ſeveriores ſuis minimè caruiſſe lenimentis; & cura animarum ſacratior, in torturam haudqvaqvam degeneraſſe videatur. Cum ex Baſilio M. non-

* *Multus in ea comparitione eſt Joh. Chryſoſt. Tom. I. hom. de habendâ cura ſalus prox. Conf. Clem. Alex. lib. 1. pædag. c. 8.*

nonnemo qvæſiviſſet, cujuſmodi affectione animi increpare debeant corripientes, præclarè reſpondit ad h. m. *Qvod qvidem ad DEUM attinet*, eâ (ſcil. animi affectione increpandum eſſe) *qvam habebat David, cum dixit; vidi prævaricantes, & tabeſcebam, qvia eloqvia tua non cuſtodierunt. Qvod verò ad eos, qvi increpantur, ejuſmodi, qvali uteretur Pater, & Medicus, cum miſericordia, & lenitate, ſi filium ſuum curaret, & maximè ſi adeſſet dolor, & ſine cruciatu adhiberi curatio non poſſet.* Eandem mentem auguſtiſſimo Patri, Auguſtino ſcil. inſediſſe, plurimis locis dare poſſemus demonſtratum. Non minus verbis, qvam re & opere ipſo ille docuit, auſtera nimis medicamina eſſe temperanda, & vulnera fomentis ſuis lenienda. Atqve ut paulò evidentius fructificantis illius medelæ indicium & documentum extet, Magnus Gregorius Samaritanum illum Evangelicum [vinum æqve ac oleum adhibentem] duxit advocandum; *Per Samaritani* (inqvit) *ſtudium ſemivivus in ſtabulum ducitur; & vinum æqve oleum ejus vulneribus adhibetur; ut per* vinum *ſcil. mordeantur vulnera, per* oleum *foveantur. Neceſſe qvippe eſt, ut qviſqvis ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis; qvatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur ſananda.* Ad hunc planè mo-

Greg. M. p. II. Paſtor. c. 6.

modũ Medicorum prudentiam apprimè ſibi imitandã ſumsêre fructuoſi omnes ævi priſci præcones, qvi ſc. maximo cum emolumento in curandis gregis ſui affectibus fuêre verſati. Nec Medicorum aut Chirurgorum ſolùm, verum agricolarum etiam ſolertium illi egêre perſonas: Ut enim principiò agricola ſic arva ſtudet purgare, ut ignis qvidem ſpinas ac vepres exurat, ſegetes verò attingat minimè, ſic Patres aliorum correctioni inſudantes, culparum qvidem ſpinas, reprehenſionis igne conſumsêre, virtutum autem ſegetes perdidêre neutiqvam; *Ignem* (ajebat olim modo laudatus Gregorius) *ſuccendimus, cum correctionem ſubditis præparamus, ut ſpinas vitiorum conſumamus, ſed videndum eſt, ne cum vitia perſeqvimur, virtutes lædamus, & eis, qvi fructum bonorum operum proferre cœperant, ante maturitatem noceamus.* Præterea, ſicut agricola ſic agrum arat, ut utilem in eo exiſtentem plantam non extirpet, ſimiliter Patres, peccantium errores, correctionis aratro ita proſcindendos ſtatuêre, ut generoſæ mentis plantæ minimè evertantur; velut inter alios prudenter alter Gregorius, videlicet Nazianzenus commonuit: *Benignum illum* (ſic verba habent) *& humanitate præditum agricolam imitare, cum Domino ad hæc agene*

Greg. l.c.

Gregor. Naz. orat. 26.

ne inutilem atqve infructuoſam ficum exſcindat atqve odio habeat; verum emendet & curet, ac ſtercus injiciat, hoc eſt eam correctionem, qvæ per confuſionem ac publicam ignominiam, contemtioremqve vivendi rationem efficitur. Qvis ſcit, an mutabitur ac fructum feret, JESUMqve à Bethania redeuntem alet? At verò ſolâ plerunqve ſuſpicione ductus, fratrem proſcindis, & qvem, ſi benignitatem, & lenitatem adhibuiſſes, fortaſſe lucratus fuiſſes. Audienda deniqve gravis exhortatio Bernardi, optimæ & ſaluberrimæ correptionis Eccleſiaſticæ modum ita commendantis; *Eme à Domino moderatam correptionem, qvia omninò magnum qvoddam bonum & datum optimum eſt, & qvod habent pauci videas multos ſincerâ licet intentione leviter dicere, qvod graviter audiatur? Volat irrevocabile verbum, & qvod ſanare debuerat, qvia mordacius forte videtur, exaſperat, & exulcerat magis. In ſpiritu vehementi conterimus naves Tharſis; conterimus qvaſſatum calamum, extingvimus linum fumigans.* Hujus egregij moniti memores Præcones Evangelici, mo-

Bern. ſerm. II. de Reſur. Dom.

Jeſ. LV. deratæ correptioni apprimè ſtudeant, juxta propheticam exhortationem VINUM & LAC à Domino ementes, emendicanteſqve, VINUM ardentis zeli, & LAC ſvavis fomenti, ſi modo uberiori cum emolumento fructuqve, officio ſuo defungi velint.

XIII. Qvo plus autem PRISCORUM CONCIONATORUM exempla & documenta recogitamus, eò magis etiam defectus & maculas, qvibus obnoxia divini verbi tractatio eſſe ſolet deprehendimus, qvamqve periculoſa illa functio ſit, qvantiſqve labendi occaſionibus expoſita, planiſſimè perſpicimus. Non illum qvidem FELICISSIMUM ejuſce muneris exercitatorem nuncupavero, qvi nullis oblocutionibus pateat, nullis morſibus laceretur; ſed qvi tot undiqve periculis imminentibus, tot laqveis obvallantibus à præſtituto ſcopo neutiqvam aberret, & ſummâ cautione adhibitâ, difficultates obvias ſuperet, lapſusqve turpiores effugiat atqve declinet.* Id qvantæ molis, qvantæve virtutis opus ſit, nemo rectius indicaverit exercitatiſſimo in ſacræ Oratoriæ palæſtrâ Chryſoſtomo, qvi in commemorandis Sacri muneris difficultatibus plurimam paſſim operam poſuit. Totus Magni hujus Doctoris liber qvintus de Sa-

* *Conf. Chryſoſt. toto libro qvinto de Sacerdot. qvem effusè laudavit Iſid. Pelnſ. lib. 1. epiſt. 156.*

Sacerdotio in periculis tentationibusqve functionis ejuſce exponendis conſumitur; paucioribus qvidem, non minus inſigniter tamen id ipſum præſtitit Nazianzenus, cauſam redditurus, cur Epiſcopatum [cui munus prædicandi olim intimè nexum erat] tantoperè refugiſſet; *Jam ipſam verbi distributionem* (ſcribit præter cætera) *divini inqvam verbi & excelſi diſtributionem, qvam omnes hâc ætate profitentur, ſi qvis eſt alius, qvi præſidenti animo ſuſcipiat, aut cujuſvis ingenij eſſe cenſeat, hunc ego ſolertiæ nomine admiror, ne dicam ſtultitiæ. Mihi qvidem res minimè vulgaris, parviqve ſpiritus eſſe videtur, verbi, perinde ac tritici, menſuram tempeſtivè cuiqve dare, & dogmatum noſtrorum veritatem cum judicio diſpenſare - - Nam cum tres ſint hoc tempore circa Theologiam morbi, ΑΘΕΙΑ nempe, Judaiſmus, & multorum Deorum cultus, qvorum primi Libycus Sabellius propugnator fuit, alterius Alexandrinus Arius, tertij qvidam è noſtris nimis orthodoxi, quænam mea ratio eſt? nimirum, ut qvicqvid in his tribus noxij eſt, fugientes, intra pietatis metas conſiſtamus, &c.* Hiſce cum benè multa de varijs argumentis con-

Greg. Naz. Orat. 1.

cionum, penes qvæ difficultas maxima hujus muneris, ob omninò varios auditorum animos exiſtere poſſit, ſubjeciſſet, notanter addidit ſeqventia: *Hæc autem idcircò in præſentia paucis commemoravimus, ut iſtud planum fiat ei, qvi de tantis rebus diſputationem* (Orationem) *habeat, præſertim apud multitudinem, qvæ ex varijs ætatibus animiqve affectionibus conflata eſt, ac Muſici cujuſdam inſtrumenti, multis fidibus conſtantis in modum, varijs pulſibus opus habet, difficile eſſe ejuſmodi orationem invenire, qvæ omnes concinnare, ac ſcientiæ lumine colluſtrare poſſit. Non modo qvod cum in tribus his rebus periculum verſetur, hoc eſt, in MENTE, & SERMONE, atqve AUDITU, ſi non ad omnia, ad unum certè aliqvod horum offendere neceſſe eſt, (aut enim mens minimè illuminata eſt, aut ſermo elanguit, aut deniqve auris haud ſatis purgata, minimè excepit; atqve ex horum uno peræqve atqve ex omnibus veritas claudicet neceſſe eſt) verum qvia id, qvod his, qvi aliud qvoddam doctrinæ genus profitentur, facilem & plauſibilem ſermonem reddit, hoc eſt, auditorum reli-*

gio,

gio, in detrimentum & periculum hîc ce-
dit. Atqve ex tribus illis, MENTE ſcil. *Gregor.*
SERMONE & AUDITU, cum etiam alibi *Naz.*
ſummam muneris Concionatorij difficulta- *Orat. 26.*
tem petijſſet, præclarè obſervavit, vel ſolam *num. 25.*
affectuum ſubactionem, ſive integram (ut
vulgò loqvuntur) mortificationem, negotij
plurimum Præconibus ſacris ingerere. Qvan- *Conf.*
tum etiam pondus, onus qvantum, qvamqve
immenſum laborem, Magnus Aurelius in *præpri-*
prædicandi munere agnoverit, Homiliæ plu- *mis Au-*
rimæ, cedro digniſſimæ loqvuntur. *Non* *guſtini*
hic [ita notanter ad mentem ſanctiſſimi illius *hom. 25.*
Patris ſcribit ante laudatus Deſiderius] *de ma-* *& 50.*
trimonio conciliando, aut de ditione vin- *Deſid.*
dicanda, nec de pangendo inter duos poten- *Eraſ.*
tes fœdere; ſed hoc agitur, ut qvampluri- *Tom. V.*
mæ animæ deſpondeantur Chriſto, tam fer- *opp. p.*
vido amatori, ut pro his mori non dubitave- *670.*
rit; agitur, ne qvod CHRISTUS redemit
ſuo ſangvine, occupet ſibi Satanas, ne lupi
devorent gregem Domini, ne populus Chri-
ſtianus deſciſcat ab Imperatore ſuo, cui ſe-
mel nomen dedit in baptiſmo. Hæc autem
legatio ſic commiſſa eſt paſtoribus, ut ſi nil
prætererunt officij ſui, nihil tamen hic lau-
dis arrogent ſibi, qvod qvicqvid gerunt,

 alie-

alieno nomine, alienis præſidijs; atqve auſpiciis gerant, contra ſi perperam obierunt legationem, omne damnum ipſis imputetur. Hanc legem Dominus per Ezechielem præſcripſit Evangeliſta, ut ſi ipſo in officio delegato ceſſante, vel impius non fuerit converſus ad pœnitentiam, vel juſtus averſus fuerit ad impietatem, qvum illum allicere debuerit, hunc retinere; ambo ſimul moriantur, & impius ob admiſſam impietatem, & Eccleſiaſtes ob neglectum officium.

XIV. Non eſt tamen, qvod tantorum diſcriminum gnarus Concionator, animum penitus deſpondeat, aut munus ſacrum [angelicis licet tremendum humeris] omninò refugiat, qvin potius tanto intenſiori curâ (ad Præconum ſæpè laudatorum exemplum) Spartæ cœlitus ſibi demandatæ invigilet, nec non pium PRECANDI uſum habeat commendatiſſimum. Nimirum ut labor ſuſceptus benè vertat, nec Oratori ſit detrimento, qvi auditorem vel maximè juvare debuiſſet, neceſſe eſt, ut pietate magis orationum, qvam Oratorum facultate inſtructus ſuggeſtum conſcendat, Deumqve (ut Nazianzenus loqvitur) Concioni ad populum habendæ ſollicitè præficiat. *Ipsâ hora jam* (addit Auguſt.) *ut dicat accedens, priuſqvam exerat proferentem lingvam, ad DEUM levet animam*

Naz. Orat.33. init.
Auguſt. lib.IV.de doctr. Chriſt. cap.15.

mam ſitientem, ut eructet, quod biberit, vel quod impleverat fundat. Cum enim de unaquâque re quæ ſecundum fidem delectationemque tractanda ſunt, multa ſint quæ dicantur, & multi modi quibus dicantur ab eis, qui hoc ſciunt, quis novit quid ad præſens tempus, vel nobis dicere, vel per nos expediat audiri, niſi qui corda omnium videt? Et quis facit, ut quod oportet, & quemadmodum oportet dicatur à nobis, niſi in cujus manu ſunt & ſermones noſtri? Rurſus; *ſive autem ad populum* (inqvit) *vel apud qvoslibet jam jamque dicturus aliquis, ſive quod apud populum dicendum, vel ab eis, qui voluerint aut potuerint legendum, eſt, dictaturus, oret, ut Deus ſermonem bonum det in OS ejus; ſi enim Regina oravit Heſter pro ſuæ gentis temporaria ſalute locutura apud Regem, ut in os ejus Deus congruum ſermonem daret; quanto magis orare debet, ut tale munus accipiat, qui pro æternâ hominum ſalute in verbo & doctrinâ laborat.* ita Auguſt. Sanè cum verbi divini prædicatio, navigationis cujuſpiam ſpiritualis rationem habeat, perperam omninò agerent navigaturi, ſi è portu ſolventes, preces omitterent ardentiores, qvas ne ipſi qvidem Gentilium Oratores ſprevêre, * veluti Plinius Trajanum commendatu-

Idem l.c. c.30.

* *Meminit ejuſce moris Valer. Max. in libr. I. præfat. & Anth. Rhetor. ad Heren. in fine*

ſine libri 4. agens de Gracchò occiſo cum inciperet precari concionaturus ad populum. Apud Livium 4. decadis lib. 9: Poſthumius Conſul verſiculos, qvibus ex morè dicturi ad populum, Deos ſuos precabantur ad exordium aptavit, dicens, nunqvam fuiſſe eam Deorum comprecationem magis neceſſariam. *Hinc Symmachus lib. III. Epiſt.* 44 An ſi nobis (*inqvit*) ſcribenda ſit forenſis oratio, Jovem Deosqve cæteros Catonis lege præfabimur? *Conf. Plin. lib. 25. c. 2. & Macrob. 1. Sat. cap. 9.*

daturus, Jovem initio compellavit ut digna diceret; ipſeqve Tullius (licet talia exordia tandem dimiſerit, facultate ſuâ in dicendo excelſiori nimioperè fretus) juxta antiqvum illum morem Orationem *pro Murenâ* ſuam fuit auſpicatus. Pudeat Sacrum Oratorem ea negligere, qvæ priſci Concionatores chriſtiani, vel ipſo Luciano confitente, religioſius duxêre obſervanda. Is ipſe enim in Philopatride ſuâ, Præconem Chriſtianum inducere non dubitavit, qvi à Spiritus ſancti invocatione exhortationem ſuam inchoavit. Nimirum cum ſanctiſſimæ illæ animæ (Chryſoſtomo præeunte) ſapientiſſimè judicarint, *nihil fructus ex homilijs capi poſſe*, niſi ORATIO adjungatur, hinc eam tantò diligentius ardentiuſqve qvibuſvis ſermonibus ſuis duxêre

Chryſoſt. hom. III. de incomprehenſ. Dei Nat. ſub fin.

xêre

xêre præmittendam, atqve ad ipſorum Apoſtolorum exemplum, IN ORATIONE non minus qvam SERMONIS doctrinâ ad vitæ uſqve terminum perſeveravêre. Qvoties lucrorum ſpiritualium deſiderio pectora ipſorum ſanctiora tacta fuêre, toties cum Origene, cœleſte ad illa conſeqvenda præſidium imploravêre; *Qvoniam* (ſic ille populum ſuum aliqvando alloqvebatur) *magnoperè expectatis, ut aliqva ex his qvæ lecta ſunt diſſerantur, præcepit mihi Dominus meus dicens;* Oportebat te dare pecuniam meam ad menſam, & ego veniens cum uſuris utiqve exegiſſem eam; *IPSUM ROGABO, ut verbum meum, ſuam pecuniam facere dignetur, uti non meam pecuniam, non meum aurum vobis, ſed ipſius fœnerem, ipſius vobis verbo, & ipſius ſenſu loqvar, & auditus veſtri hæc deferam menſam.* Qvis obſecro tam ſtrenuos cœli pulſatores in vanum oraſſe pariter ac laboraſſe, operamqve cum oleo impenſo perdidiſſe exiſtimet? Tale profectò gaudij lætitiæqve genus ex ſacro illo fœnore ſunt indepti, cui neqvaqvam comparanda, ne dicam anteponenda videtur ulla voluptas terrena alia; ſiqvidem ſermonibus ſuis [oratione ferventiori rigatis] effecerint, ut animæ qvamplures non ſolùm ex infidelitate ad fidem, ex vitijs ad virtutem ſint converſæ, verum etiam in ipſo pietatis curſu mirificè profecerint, inqve omni

Origenes initio homil. 13. in Exod.

omni felicitatis ſpiritualis genere cunctis ſtupentibus effloruerint. Haud abs re fructuoſos ejuſmodi Concionatores FELICISSIMOS dixeris Literatorum, qvippe omni curâ & ſtudio diſpicientes, qvâ ratione majora indies cultus DEI interior incrementa capere, proximorumqve, damnificis umbrarum tenebris obnuptorum ſalus promoveri obtinerique qveat. Qvod ſi hoc agentes morbus aut mors ipſa occupet, beatiores longè erunt valentiſſimis & florentiſſimis mortalium; *Sive enim vivimus* [ait ſcitè Bernardus] *ſive morimur, Domini ſumus; Gaude fortis athleta, ſi vivis & vincis in Domino, ſed magis exulta, & gloriare, ſi moreris, & jungeris Domino. Vita qvidem fructuoſa, & victoria glorioſa, ſed utriqve mors ſacra præponitur.* Vita itaqve ſi deſtituat laborantes Myſtas, qvid tum? Vincentes in Domino magis exultabunt, atqve defuncti jungentur Sanctorum Choris. Qvidni feliciſſimis illis, ex hâc vita decedentibus accinant Angeli: *Beati mortui, qvi in DOMINO moriuntur.* Qvam lætitiam (inqvit Eraſmus) qvam exultationem, qvod tripudium credimus eſſe in pectore piè morientis ECCLESIASTÆ, dum reputat, qvot animas ipſius miniſterio Dominus Satanæ tyrannidi ſubtractas ſibi vindicarit? Qvanta Pauli gratulatio, qvantus trium-

Bernar. Exhort. ad mil. Templ.

Eraſm. Tom. V. opp. p. 682.

umphus, qvoties meminit, qvam latè propagarit Evangelium, præſertim his locis, in qvibus non fuerat ſeminatum? Utinam ſupremæ hujus felicitatis deſideria Dominus dignetur inſpirare Paſtorum ſuorum animis, ut omnes, deſpectis hujus Mundi vilibus emolumentis, ad hanc omnium pulcherrimam militiam toto pectore incumberent, poſt breve tempus (qvid enim hâc vitâ fugacius?) ſempiternam accepturi coronam BEATÆ IMMORTALITATIS. Et ſit qvid hic laboris devorandum, (nihil enim præclarum abſqve negotio geritur) cogitent, qvantum ſolatium futurum ſi audire beatificam vocem: *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini Tui*; Accede, ad Triumphum cœleſtem ſtrenue Dux, eſto particeps gaudiorum, qvi particeps afflictionum eſſe mea cauſa non recuſaſti. Qvod erit illud tripudium, qvi plauſus, qvam læta acclamatio, qvum illic multos videbis, qvi tibi ſuam felicitatem, ſuam ſalutem ferent acceptam, qvos ad pietatem inſtituiſti, qvos ab errore revocaſti, qvos ad cœleſtium bonorum amorem inflammaſti. Imò qvoniam illic perfecta charitas facit omnia omnibus communia, qvid erit TE FELICIUS, ſplendidius aut illuſtrius, qvum innumeræ cœleſtium Ordinum myria-

riades, uno ore, conſonâ voce undiqve Tibi gratulabuntur, & CHRISTO Principi gratias agent, qvi per Te dignatus eſt augere beatam illam ſodalitatem, nihil deeſt ad conſummatam beatitudinem, niſi ut expleatur electorum numerus, ac reſuſcitatis corporibus, omni ex parte plena eveniat & abſoluta

FELICITAS.

ANACEPHALÆOSIS
ALPHABETICA,
SIVE
INDEX
RERUM NOTABILIUM, QVÆ TOTO OPERE CONTINENTUR.

A.

Abercius vetuſtiſſimus in Phrygia Epiſcopus, exemplar literati ex animo feliciſſimi, p. 123. ſeqq. 957. ἰσαπόστελος unde dictus, 124. veri Gnoſtici idea 130. ejus colloqvium cum Euxiniano, 127. ſeqq. exitus ex hâc vitâ beatiſſimus, 130.

Abnegatio ſententiæ malè-receptæ qvam laudabilis, 178.

Abrahami Patriarchæ fides decies probata, 215.

Acacius hoſtis Chryſoſtomi infenſiſſimus, 594.

Academiarum Chriſtianarum dedecora, 1002

Academicorum Doctorum tria genera, 907.

Actio ſocianda contemplationi, 983.

Actorum Savonarolianorum falſatio pudenda 660. ſeqq.

Adlocutiones priſcorum Homiletarum, 1105.

Æmulatio doctorum hominum, 708.

Æſchylus culpâ ſua ærum-

rumnoſus 6. ejus exitus miſerabilis, 7.
Æſchynes unde infelix, 7.
Æſtus ingeniorum temperatus, 864. ſeqq.
Aëtius Doctor pruriginoſus, & ſectator novitatum, 184.
Ævi noſtri fertilitas liter. 180.
Affectus Literatorũ propenſior in ſtudia meliora & elegantiora, 938. item in ſanctiora, 942.
Afflictionum fructus & emolumentum maximum, 742.
Albici Archiepiſcopi Pragenſis avaritia inſatiabilis, 812.
Aldrovandi *Ulyſſis* felicitas Medico-literaria, 1085.
Alexandri VI. odium in Hier. Savonarolã, 624.
Altivolantia ingenia, 952. ſeqq.
Alumnus Collegij Hieroſophici docilis 272. ſeq.
Ambitio Literatorum hominũ notata à J. L. Vive 81. ejus pernicies ſumma, 859. 774. adverſus eam remedia, 789. ſeqq.
Ambitio Virorum Eccleſiaſticorum, 565. ſeqq.
Ambitioſorum qvorundam Clericorum tragœdiæ, 774. ſeqq.
Ambroſij Epiſcopi Mediol. humilitas inſignis 380.
Amoris divini criteria, 267. actus intenſior, 1007. 1013.
Anagnoſis ſacra, literatis felicibus commendata, 304.
Angelus Satanæ Literatos colaphizans, 203. ſeqq. incarnatus qvis, 218. ſeqq. qvâ ratione cum eo decertandum, 219.
Antiqvarij, qvi per contemptum dicti, 184.
Antiqvitas fructuoſa, 945. ſeqq.
Antiqvitatis Eccleſiaſticæ ſtu-

ſtudium Concionatoribus apprimè commendatum, 1101.
Apellis judicium de opere Protogenis, 471.
Apes ſpirituales, qvi literati ſint nuncupandi, 308.
Apollinaris ambitioſi lapſus graviſſimus, 776.
Apulejus Madaurenſ. culpâ ſua ærumnoſus, 10. ex paupertate eruditus 229. ejus ſtudium magicum 817. noxia curioſitas 818. in aſinum transfiguratio, ibid. calamitas extrema, 818.
Ariſtotelis inculpatio, 48. ſpiritus familiaris, 189.
Arithmeticæ ſacræ ſtudium qvale in Academia pietatis floreat, 256.
Artium hiero-liberalium Profeſſores, 254. ſeqq.
Arrogantia Literatorum maxima qvæ, 71. mater eſt atheiſmi 360.
Aſtrologi ſacri munus, 257.
Atheiſmus Literatorum qvorundam detectus & dejectus, 359. ejus radix ſuperbia, 352. arcanum peculiare revelatum, 354. 360. 364.
Atheiſmi probro qvi falsò infamati, 359. ſeqq.
Atheorum Literatorum exempla, 354. ſeqq.
Athenarum Atticarũ gloria ingens 245. 246.
Avaritia Literatorum hominum eliminata, 795. ſeqq. Clericorum culpata 573. ingens ejus noxa & pernicies, 795. ſeqq. 802.
Augustini Aur. humilitas inſignis, 393. monitum ad Dioſcorum vanitatis glorioſæ ſectatorem, 415. ſimultas cum Hieronymo, 559. ſeqq. 713. prudentia & æqvanimitas maxima, 715. affectus in auditores malevolos, 1118.
Aurelij Imp. ſermo me-

morabilis ad ævi ſui philoſophos,701.
Autognoſia remediũ adverſus peſtem ſuperbiæ,390.907.
Azonis Juriſconſulti caſus miſerabilis 56.

B.

Babylonis ſapientes qvi,40.
Balduccij Franciſci faſtus immenſus 381.dejectio infamis, 382.
Bartholini *Thomæ* admiranda in adverſis conſtantia, 1066. pietas doctrinæ Medicæ ſociata, ibid.
Baſiliſcus Martyr apparet Chryſoſtomo agonizanti,653.
Basilius M. invidiæ telis graviter impetitus, 509.ſeqq. ejus laus & gloria ingens,511. fuga & ſeceſſus,512.ſeq. æqvanimitas inſignis, 514. ex eremo reditus, 518. reconciliatio cũ Euſebio Epiſcopo livido,519. utilitas ex adverſis, 525. ſtudium perſpicuitatis in concionando,1108.
Baudij *Dominici* ſors aſpera unde 11. vita illaudata 12. 13. epitaphium,ibid.
Beatitudo Literatorum hominum maxima in qvo conſiſtat 119.132.
Bernardus Claravall.qvibus indicijs boni ſpiritus præſentiam deprehenderit, 194.
Bibliotheca ſancta Literatorum piè-felicium, 911.ſeqq.
Bibliothecæ apud gentiles templis cur contiguæ fuerint,461.
Bibliotheca Apollinis, 462.
Bibliothecæ ſuper arbores plumbeas poſitæ, 463.
Bibliothecarum olim extructarum finis præcipuus,936.

Bibliotheca Concionatorum, 1076.
Bleſenſis *Petri* memorabilis exhortatio ad cõſtantiam adverſus invidos, 485. 492.
Blondelli *Dav.* acta & ſcripta inſigniora, 694 ſeqq. unde reformatorum odia incurrerit, 696. animus ejus pacificus, 697. exitus ex hâc vita qvalis, 698.
Bocharti *Samuelis* felicitas, 916. ſolertia jugis, 917. ſeqq. peritia lingvarum & rerum orientaliũ exaſciata, 918. opera præcipua, 919. ſeq. monitum ſalutare de ævi hujus philologis, 926.
Bonorum & donorum literariorum differentiæ, 117.
Brevitas vitæ humanæ, 164. calcar indè ad actiones nobiliores, 165.
Buceri & Fagij improſpera ad Anglos profectio, 861.
Buchanani *Georgij* ex mordacitate infelicitas ſumma, 723.

C.

Cacus monſtroſus proſcriptus, 795.
Calamitates piorum literatorum 241.
Calviſi *Sethi* miſeria felix 235.
Calumnia à gentilibus inter Deas relata, 719. ejus fœditas & noxa graviſſima, 755. ſeq.
Calumniarum tela, qvæ evibrentur in pios literatos. 218. ſeqq. 221. 586. ſeq.
Calumniatorum pœnæ, 719. ſeq.
Carceres & exilia qvibus profuerint literatis, 232.
Carpzovij *Benedicti* JCti pietas & virtus ſingularis, 1042. ſeq. pius ſeceſſus, 1044.

Caſauboni *Iſaaci* laus eximia, 888. ſolertia jugis, ibid. 894. opera multivaria, 889. ſeqq. profectio in Angliam, 891. morbus & obitus, 895.
Caſſiodori, *M. Aurelij* virtus doctrinæ ſociata, 1030.
Cebes philoſophus qvalis, 135. ejus tabula memorabilis, 136. manuductio ad ſedem veræ felicitatis literariæ, 139.
Cenodoxiæ literariæ probrum, 76.
Cenſoria literatorũ qvorundam ſeveritas, 92.
Centrum ſupremæ felicitatis, 144.
Charitas qvæ conveniat literatis virtuoſis, 131. 265.
Chirurgia ſpiritualis qvæ, 1122.
CHRISTI Salv. comitatus qvis, 47. imitatio feliciſſima, 84. ejus cultui ſincerò addictorũ Literatorum felicitas ingens, 143.
Chriſtus liber gratiæ, & Bibliotheca ſanctiſſima, 261.
Chriſtiani veteres atheiſmi ſtigmate malitiosè notati, 300. vita eorundem memorabilis, 952.
Chriſtognoſia; fundamentum eſt ſupremæ felicitatis literariæ, 41. 126. 140.
Chryſoſtomus *Johannes*, ſpeculum Clerici acriter exagitati ab invidis, 564. ſeq. qvæ cauſæ livoris ei conflati fuerint præcipuæ, 565. ejus divina ad ſedem Conſtantinopol. vocatio, 566. æſtimatio publica, 568. parrheſia inſignis, 570. ſeq. 580. 601. abſtinentia rara, 575. innocentia à criminationibus multivarijs vindicata, 586. ſeq.

ſeq. exturbatio prima, 596. 597. reſtitutio, 598. expulſio altera, 605. ſeq. magnanimitas ingens, 595. 606. deportatio in Cucuſum 607. Arabiſſum, 611. in Pityuntem, 613. afflictiones & moleſtiæ itinerariæ, 613. ſeq. beata analyſis, 617. gloria martyrij, 618. ſepultura honorifica, 619.

Ciccarelli *Alphonſi*, infelix cauponatio famæ, 422. ſeq. extrema audacia, 426. ſcripta alijs ſuppoſita, 439. interitus miſerabilis, 435. cõfeſſio propria & apologia elumbis, 436. ſeq.

Ciceronis *M. Tullij* querimonia de vituperatoribus philoſophiæ, 49. laus ingens, 118. obſcuri natales, 973. gloria ex literis, ibid.

Clementis Alexandrini affectus in ſtudia ſanctiora, 958. libri Stromat. & Pædagog⁹ quales, 959. 960.

Clericorum carnaliũ genius perverſus, 240. correptio juſtiſſima, 500. ſeq. 548. ſeq. 570. 631. 672. 673.

Cluveri *Philippi* miſeria felix, 236.

Cogitationum malarum intemperies pijs literatis quam moleſta, 216.

Collegium Hieroſophicum in Academia ſinceræ piet. fundatum, 245. ſeq. ejus prima inſtitutio, 246. Rector perpetuus, 259. Profeſſores, 254. libri, 260. lectiones, 263. ſeq.

Columbani monitum ſalutare de fugienda avaritia, 814.

Comenij *Joh. Amoſi*, pietas eruditioni raræ ſociata, 1017. ſeq. ejus calamitas, 1018. ſcripta di-

didactica, ibid. ſtudium panſophicum, 1019. zelus fidei & religionis adverſus Socin. 1020. querela de corruptis fideliũ moribus, 1023 labyrinthus triplex, 1025. felicitas ingens, 1026. ultimum propoſitum, ibid. 1027. obitus placidus, 1028.

Cominæi *Philippi* elogiũ, 627.

Concionator Felix & fructuoſus qvis, 1075. ſeq. ejus idea & character indelebilis, 1077. dignitas ſumma, 1076. labor maximus, 1080. ſtudium ſinceræ pietatis, 1083. 1084. zelus animarum, 1085. ſeq. charitatis intẽſio, 1091. cordis ſubmiſſio vera, 1092. ſeceſſus ſacer, 1093. fuga nimiæ & noxiæ familiaritatis, 1095. prudentia inſignis, 1097. imitatio felix priſcorum Homiletarum, 1103. ſeq. artificia ad lucrandas animas potiora, 1107. ſeq. fuga obſcuritatis, 1108. deteſtatio vanitatis glorioſæ, 1110. æqvanimitas inſignis, 1111. affectus in auditores malevolos, 1117. ſeq. vindicatio famæ propriæ, 1119. temperamentum lenitatis cum ſeveritate, 1122. ſeq. ſtudiũ precandi, 1130. laus & gloria perennis, 1134. 1135.

Concionatorij muneris difficultas, 1129.

Concordia literatorum, 86. ad eam ineundam excitatio, 690.

Congreſſus literatorum hominum noxij qvi, 681.

Conſcientiæ & ſcientiæ conſociatio felix, 32. 33.

Contemplationis ſacræ ſtudium literatis commendatum, 132. 133.

Con-

Contentionis literariæ probra, 861. pernicies ſumma, 676. ſeq. 681. 704. antiqvitas, 677. 688. adverſus peſtem illã remedia ſalutaria, 688. ſeq. 693. 712. 716.
Conviciandi libido, 722.
Convitiatorum infamia, 719. genius hypocriticus, 730. artes multivariæ, 749. notæ characteriſticæ, 749. ſeq.
Correctio delinqventium qvomodo facienda, 1122.
Cunæi *Petri*, inſignis modeſtia, 178.
Cupiditas ſciendi nimia qvâ ratione ſit refrœnanda, 883.
Curioſitatis pernicies, 96. 648. adverſus eam remedia ſalutaria, 869. 876. ſeq.
Curioſitatis improſperæ ac exitioſæ documenta & nocumenta evidentiora, 816. 820. 821.
Cylonis Crotoniatæ odiũ in Pythagoram, 677.
Cynicorum philoſophorum altercationes, 680.
Cyprianus (*Cæcilius*, ex miſero, literatus feliciſſimus, 103. ſeq. pius ejus ſeceſſus, ſive converſio à vanitate ad pietatem memorabilis, 104. zelus ingens animarum, 105. 108. 110. ſeq. ſermo ad Donatum elegans, 111. ſeq. humilitas egregia, 373. ſcripta ad piet. ſtudium apprimè conducentia, 314. 967.

D.

DAvidis *Franciſci*, mendaciloqvium de excidio religionis chriſtianæ, 356. interitus ejus miſerabilis 688.
Demades Athenienſis Orator, culpâ ſuâ ærumnoſus, 8. 9. ejus effatũ memorabile de differentia doctorum homi-

minum ab indoctis, 46.

Demagogiæ pernicies extrema, 656.

Demoſthenes fortunæ ſibi novercantis faber, 8. qvantus fuerit Orator, ibid. qvâ ratione interemptus, ibid.

DEUS, qvibus modis ſervis ſuis loqvatur, 193. qvomodo erigat tentatos de fide, 210. cur malos graſſari permittat in bonos, 243.

Deſidia, peſtis Literatorum qvanta, 166.

Diabolus, qvâ ratione doctis hominibus inſidietur, 52. ejus abominanda & exitialis cum viris eruditis familiaritas, 189. 192. qvomodo mortales decipiat, 189. 191. literatos homines colaphizet, 203. 206. ſeq. 215. ſeq. qvibus ſeſe prodat indicijs, 195. 166.

Didymi Grammatici ſtudium inane, 689.

Dionyſij areopagitæ ſcripta myſtica cujus notæ, 949.

Diſcipulorum diſſenſus à placitis magiſtrorum. 679.

Diſcordiæ literariæ damna, 678. 679.

Diſputationes contentioſæ & cavillatoriæ eliminatæ, 699. ſeq.

Docti plerunqve mali & vitijs ſubjecti, 45. iracundiæ motibus freqventer agitantur, 46. 51.

Docti valetudinarij, 152. ſeq. pro ijſdem regulæ ſanitatis conſervandæ & recuperandæ, 156. ſeqq.

Doctoris ad inferos damnati tragœdia, 15. ſeqq. voces horrendæ, 17. 18.

Doctores antiqvi à pſeudo-fratribus graviter infeſtati, 495. ſeq.

Do-

Doctores orthodoxi temerè Weigelianiſmi inſimulati, 222.
Doctorum Chriſtianorũ bella domeſtica, 692.
Donatus, amicus Cypriani cœlo redonatus, 108. ſeq.
Doxoſophorum litigioſorum natura & genius, 677. ſeq. 691.
Dux Literatorum ad felicitatis ſedem tendentium, 136. ſeq.

E.

ECcleſiæ Chriſtianæ facies gemina antica & poſtica, 19. 20. Veteris, erga hæreticos & transfugas rigor, 503. ſeq.
Eccleſiarũ turbatores litigioſi, 680.
Eccleſiaſticorum hominum philodoxia qvam noxia, 407. 408. ſeq. 411. ſeq.
Eccleſiaſticorum pernicies ex impertinenti tractatione rerum politicarum, 646. ſeq. ex ambitione infrunita, 774. ſeq. ex avaritiâ inſatiabili, 795. 802. ſeq.
Eccleſiaſticorum hominum rixæ & contentiones, 682. ſeq.
Eccleſiaſtæ cujuſdam vaniſſimi interitus miſerabilis, 407. 408.
Elationis literariæ ſpiritus ſe ipſum dejiciens & confundens, 371. ſeq.
Epagathi Juriſperiti veteris pietas, 1036.
Epiphanij ſimplicitas noxia, 584.
Ephræmi Syri inſignis humilitas, 381.
Epiſcopi loricati & bellicoſi, 650.
Epiſcopi plurimi qvales, 806. 807.
Epitaphiũ feminæ nondum demortuæ à marito ſcriptum, 446.
Eraſmi *Deſid.* extrema calami-

lamitas 3. ſeq. felicitas literaria, 939. admonitio de pietate doctrinæ ſocianda, 988.

Eraſti *Thomæ*, curioſitas noxia, 824.

Errores ingeniorum varij, 933. ſeq.

Eruditio vera, qvibus rebus potiſſimum conſtet, 70.

Eruditionis & pietatis conſociatio felix, 977. 988. 991. ſeq.

Eruditionis ſcopus & finis palmarius, 685.

Eudoxiæ Auguſtæ odium in Chryſoſtomum, 580 ſeq. 585. 601. cur Jezabel Byzantina ſit nuncupata, 585.

Eunomij lapſus ex philodoxia, 369.

Euripides tardus in fundendis verſibus, 468.

Euxeniani converſio memorabilis, 129.

Exempla Literatorũ culpâ ſua ærumnoſorum, 6. ſeq. ſummè felicium, 103. 125. 145. fortunatorum ex incurſu calamitatum & miſeriarum, 228. ſeq.

Exempli vis maxima, 65. 81.

Exercitationis aſſiduæ emolumentum inſigne, 276. 283. ſeq.

F.

Famæ cauponatio infeliciſſima, 422. ſeq. ſitis im̃odica qvomodo reſtingvenda, 413. ſeq. 447. 454.

Famæ integritas qvantũ bonum, 733. qvomodo cuſtodiendum & vindicandum ſit à felice Concionatore, 1120.

Familiarium ſpirituum miniſterium literatis qvam noxium & exitiale, 189. ſeq.

Familiarium ſpirituum exempla vetuſtiora & recentiora, 190. 191.

Fauſti *Johannis* miſerabilis

bilis è curioſitate noxia interitus, 883.
Felicitatis literariæ compendium, 34. 39. vera ratio 116. 150. 193. 202. cardo & faſtigiũ, 269.
Felicium literatorum exempla, 103. 110. 123. ſeq. in ſpecie JCtorum 1029.ſeq. Medicorum, 1057.ſeq.
Feminarum & Clericorũ cohabitatio pernicioſa 571. ſeq.
Fererij maledici pœna juſtiſſima, 727.
Ficini *Marſilij* liber de literatorum valetudine curanda, 153. converſio ad pietatis ſtudia per Hier. Savonar. 622.
Fidei ſalvificæ neceſſitas ſumma, 211. exercitiũ in tentationum palæſtra, 209. 210. 211. praxis feliciſſima, 213. 214.
Fidei imbecillitas qvomodo curanda, 209. ſeq.
Fidei donum qvâ ratione impetrandum a DEO, 210. 211.
Fines vitæ & actionum qvomodo deligendi, 290.
Florentini Magiſtratus epiſt. ad Alexandr. VI. apologetica pro Hier. Savon. 641.
Florentinorũ mores corruptiſſimi, 637. 638.
Fœtus literatorum feſtinati rarò vivaces, 467.
Franckenij *Gaſpari* theſes atheiſticæ, 355.
Fritſchij *Ahaſveri* pietas ſumma doctrinæ profundiori ſociata, 1045. ſeq. felicitas ingens, 1046. paræneſis ad Viros Politicos, 1047. ſeq.
Funccij *Johannis* exitus tragicus, 648.
Functionum publicarum mu-

mutatio, qvibus literatis malè ceſſerit, 857.

G.

GAZÆ *Theodori* acerbitas in Trapezuntium, 726.

Genealogiæ confictæ ab Alph. Ciccarello, 440.

Generis obſcuritas literatis haud objicienda, 974. 975.

Genius Literatorum errans & fidus Achates, 928. ſeq.

Genius Patriæ novercantis, 486. ſeq.

Gentilium acres contentiones de rebus futilibus, 690.

Gentiliū Oratorum preces ad deaſtros ſuos, 1131.

Geometriæ ſacræ profeſſio qvalis, 257.

Georgij, *Davidis* ruina ex taſtu miſerabilis, 385. ejus fanatica & blaſphema effata, 385.

Gilberti Genebrardi dejectio à ſede epiſcopali, 788.

Gloriæ literariæ vanitas, 78. 185. 456. 568. inſtabilitas, 400, ejus ſectatores in atheiſmum proni, 368.

Gloriæ animalia acriter exagitata à Raynaudo 368.

Glorioſa vanitas conculcata, 398. ſeq 407. ſeq. adverſus eam remedia ſalutaria, 408. ſeqq. 456.

Gnoſtici veri & orthodoxi qvi, 121. laus eorum præcipua, 122. 123.

Godelmannus *Joh. Georgius* Jctus qvalis, 1640.

Græciæ Sapientes cur doctrinæ uberioris acqvirendæ cauſa non adierint Ebræos, 250.

Grammaticæ ſacræ profeſſio ſalutaris, 254.

GREGORII NAZIANZENI virtus exagitata ab invidis,

vidis, 527. 530. dejectio à ſede Conſtantinop. iniqviſſima, 528. ſeq. eruditio inſignis, 530. ſermo ad pſeudofratres & Epiſcopos lividos, 533. animus pacificus, 534. oratio ad Imperatorem memorabilis, 535. affectus erga Maximum Cynicum, 538. carmen de vitâ propria, 542.

Gregorij Thaumaturgi pietas, è ſcriptis qvâ ratione eluceat, 964. 965.

Grotij, *Hugonis* gloria literaria, 831. præcox maturitas 832. ſeq. polypragmoſyne noxia, 833. ſeq captivitas, ib. conatus illaudati, 834. 838. Religio multiformis, 837. Antagoniſtæ 836. Theologia deploranda, 839. depravatio oraculorum de CHRISTO agentiũ, 840. morbus extremus & obitus, 841.

Gruteri *Jani* laus ex *αὐταρκείᾳ* inſigni, 798. in avaros & cupidos lit. dicta egregia, ibid. contemptus opum, 799. 800. conſtantia in Religione ſuâ maxima, ibid.

Gvilandini Medici mordacitas, 732.

Gulo infernalis qvales appetat dapes, 204.

H.

HAcketi *Guilielmi* enormis ex faſtu veſania, 384. interitus miſerabilis, ibid. 385.

Hæreticorum priſcorum pertinacia, 174. acres in eos Doctorum veterum ſententiæ, 503. ſeq. genius contentioſus, & amans diſſenſionum. 680.

Heluatio libraria felix, 297. ſeq. noxia & damnifica qvæ, 303.

He-

Heluones librorum vani & ſani, ibid.

Heluatio literaria, qvomodo refrœnanda, 867.

Helmontius *Johannes Baptiſta*, ſpeculum Literatorum curioſorũ, 842. ejus confeſſio memorabilis, 844. amor & ſtudiũ ſapientiæ ſummæ, 856

Hermæ Paſtor, qvalis liber, 946.

Hermodorus ob virtutem exul, 220.

HIERONYMI STRIDONENSIS Doctoris Eccl. ſermo memorabilis in captatores novitatum, 185. pœnæ pro tribunali divino acceptæ, 208. humilitas egregia, 380. cur gloriam ejus ferre neqviverit Papa Siricius, 476. invidiæ activæ qvomodo inſimulatus fuerit, 478. qvanta perpeſſus ſit à pſeudo-fratribus lividis, 544. ſeqq. 546. 547. ſeq. ejus vita cur perpetuum martyrium ſit appellata, ibid. cauſæ conflatæ illi invidiæ, 545. ſeq. parrheſia ejus admirabilis, 548. ſeq. pius ſeceſſus, 551. laus ſumma, 564. ſimultas cum Ruffino Aqvil. 553. cum Joh. Hieroſolymitano, 556. cum D. Aurel. Auguſtino, 554. cur libros invitus ediderit, 728. lorica ejus adverſus ictũ calumniæ, 741.

Hieroſophi veri qvi, 942. ſeq.

Hippocratis dictum de Medicis memorabile, 1058.

Hirnheimij *Hieron.* meletemata varia 45. 46. 457. 699. 876.

Hobbeſij *Thomæ* arrogantia depreſſa, 387.

Homiletarum priſcorum laus præcipua, 1103. imitatio felix, ibid. ſeq.

ſeq. adlocutiones familiares, 1105. artificia ad lucrandas animas uſitatiora alia, 1107. ſeq. æqvanimitas & fortitudo inſignis, 1115. ſeq. affectus in auditores malevolos, 1118.

Honorati in vita literati, contempti poſt fata, 77.

Honoris mundani probra 792. conſilium de eo ſive admittendo ſive reſpuendo, 794.

Honores malis utplurimum deferuntur maximi, 791.

Hoplotheca Literatorum adverſus ictum maledicentiæ, 737. 743. ſeq. 771.

Horatius Flaccus, ex calamitate poeta feliciſſimus, 229.

Humilitatis & manſvetudinis nexus perpetuus, 149.

Humilitas literatis commendata, 224. 227. 264. 377. priſcorum Eccleſiæ Doctorum qvanta, 378. ſeq. literatorum qvorundam recentiorum, 391. ſeq.

Huſſi *Johan.* parrheſia & magnanimitas ſtupenda, 670. 812. ſententia in eum à Patribus Concilij Conſtant. lata, 674. vivicomburium, ibid.

Hyperides Orator culpâ ſuâ ærumnoſus, 9. exitus ejus miſerabilis, ibid.

Hypocriſis à piè literatis qvomodo eliminanda, 224. ejus ſtigmate temerè notati qvidam literati ſanctiores, 219. 221.

I.

JAcobi I. Britanniæ Regis captivitas felix, 233.

Jactantiæ literariæ pernicies ſumma, 82.

Idea literati infelicis & ærumnoſi in D. Er. R. 4.

Idololatria literatorum turgidorum dejecta, 388.
Ignatij Episc. Antioch. humilitas inſignis, 378. 417. 419. ſeq. epiſtolæ pietatem ſummam ſpirantes, 948.
Illuſiones ſatanicæ, 667.
Immortalitas literatorum vera, 401. ejus affectatio vana, ibid. ſana, 417. ſeq.
Imprudentiæ falsò accuſatus Joh. Chryſoſtomus, 587.
Infelicitatis literariæ non cauſa ut cauſa, 2. vera & palmaria, 3. ſeq.
Infelicium literatorum exempla, 6. ſeq. 229. ſeq. 817. ſeq. criteria, 195.
Ingenia altivolátia, 369.
Ingenia literatorum perdita qvæ, 864.
Invidia Literatorú qvanta peſtis, 473. ejus malignitas curâ poſteriori detecta, 474. ſeq. 483. 542. adverſus eam remedia, 484. ſeq. 490. ſeq.
Invidiæ activæ probrum falsò impactum Johan. Chryſoſtomo, 477. Hieronymo Stridon. 478. ſeq. Cyrillo Alex. 481. Bernardo Clarav. 481.
Invidiæ Eccleſiaſticæ ſpeculum, 495.
Invidia eſt fons & origo contemptûs prophetarum in patria, 486. cauſa diſſenſionum, 491.
Invidorum ſtatus & conditio miſerabilis, 489. natura & genius, 89. 612.
Inſcriptiones antiqvæ Bibliothecarum publicarum, 462.
Inſtitutionis bonæ neceſſitas, 274.
Joaſaphi Patriarchæ Conſtantinopol. ex ambitione lapſus graviſſimus, 786.

Joan-

Johannis Epiſc. Hieroſolymitani invidia in Hieronymũ, 556. culpa enormis, 557.

Irenæi Epiſc. Lugdun. demiſſio ſingularis, 379. laus ſuprema, 955.

Iſidorus, Philoſophus pacificus, 684.

Iter ſpirituale Literatorum ad felicitatis ſupremæ ſedem tendentium, 141.

Judæ Gaulon. ſeditio, 664.

Juliani Celanienſis pertinacia, 175.

Juriſconſulti ſacri officium, 258.

Juriſconſulti pij & virtuoſi, 1029. ſeq.

JUSTINUS MARTYR, idea pij & felicis Literati, 31. exaltatio ejus ad ſupremum proſperitatis liter. gradũ, 32. cura præcipua qvæ fuerit, 307. amor erga Chriſti amicos, ibid. humilitas egregia 379. ſcripta ad pietatis emolumentum facientia, 312. 951. ſeq.

L.

LAborantium & oneratorum Literatorum ad Chriſtum acceſſio feliciſſima, 115. 140. ſeq. refectio ſalutaris, 161.

Labores eruditorum hominum Herculei ſimul ac ſupervacanei, 114. 167. utiles & fructuoſi, 142.

Labor improbus Literatis neceſſarius, 465. Viris Eccleſiaſticis proficuꝰ, 576.

Lactantij Inſtitutiones qvales, 969.

Lectionis & orationis fervidæ conſociatio felix, 301.

Lectio fructuoſa qvæ, 301.

Lectiones ab Alumnis Collegij Hieroſophici excipiendæ, 263.

Lectionis ſacræ neceſſitas

& utilitas inſignis, 295. ſeq.
Lectoribus piorum operum qvid obſervandum atqve cavendum ſit, 300.
Lenitatis & ſeveritatis temperamentum in felice Concionatore, 1122.
Leonidis dictum memorabile, 740.
Levitatis in ſtudendo deſultoriæ noxa & pernicies maxima, 928. ſeq.
Librariæ infelicitatis origo & remedium, 447.
Libri, à piè-literato homine legendi & evolvendi, 297.
Librorum Helluones qvi, 295. ſeq.
Librorum ſcriptio qvantum emolumenti afferat literatis viris; 402. 458.
Librorum conditores, qvibus ut plurimum modis peccent, 449. ſeq. eorundem dedecus maximum. 454.
Librorum nimiæ pumicationes, 471.
Librorum pietatis praxi inſervientium tria genera, 306. utilitas ſumma, 310.
Libri veterum an præferendi ſcriptis recentiorum, 91.
Librorum ſcriptori qvæ obſervanda, 98.
Lingvæ maledicæ noxa gravisſima, 729
Lipſij *Juſti*, oratio de calumnia memorabilis, 755. ſeq.
Literariæ Reip. facies gemina, 19. 20. ſeq. ſtatus deplorandus, 21. ſeq. an & qvâ ratione emendabilis, 26. ſeq.
Literæ vitales qvæ, 63. 64.
Literæ famoſæ, 735.
LITERATUS culpâ ſuâ ærumnoſus, 1. ſeq. 10. ſeq.
Literatus vitioſus, infelix

Reip. ſuæ everſor, 22. 23.
Literatus virtuoſus, felix ejuſdem Reip. reſtaurator, 19. ſeq.
Literatus vitioſus, gentis, mentis & artis ſuæ infamator, 42. ſeq.
Literatus exemplaris, 63. ſeq. ex miſero feliciſſimus, 103 ſeq. valetudinarius & longævus, 152. ſeq. philautus, geminâ peſte correptus & corruptus, 170. ſeq.
Literatorum hominum corruptio exitialis, 42. ſeq eorum mores comparati cum exemplaribus pictorum, 65. pertinacia ſumma, 170. captatio novitatũ noxia, 179. impietas atrox, 352. ſeq. ſuperbia pudenda, 371. 381. ſeq. deceptio per fatuos inanis gloriæ igniculos, 398. ſeq. vanitas glorioſa, 400. ſeq. malignitas livida; 473. ſeq. contentio & vitilitigatio freqvens, 676. ſeq. libido conviciandi, 719. cupiditas adſcendendi, 774. pleonexia pudenda, 795. improſpera & exitioſa curioſitas, 816. ſeq.
Literatorum virtuoſorum & vitioſorum ideæ, artificioſo Iohan. Lud. Vivis penicillo expreſſæ, 67. ſeq.
Literatorum morbidorũ, ſeu valetudinariorum tria genera, 160. ſpiritu malo & proprio agitatorum notæ evidentiſſimæ, 195.
Literatorum gentilium extrema infelicitas, 118.
Literatorum virtuoſorum cõſociatio mutua, 85. ſpiritus eorundem familiaris, 192. ſeq. tentationes graviſſimæ, 203. ſeq. 241. pugna cum dæmone maxima, 214. item cum cogi-

cogitationibus malis, 216. cum obtrectatoribus & maledicis, 218. officia erga hoſtes acerbiores, 219. inſignes in virtutis ſtudio profectus, 272. captatio cujuſvis benè agendi opportunitatis, 277. ſeq. ſolatium in afflictionibus, 237. 243. 244. 737. 738. ſeq. 741. 771. heluatio libraria felix & fructuoſa, 295. ſeq. humilitas & demiſſio animi egregia, 378. propenſus in pietatis ſtudia affectus, 942. ſeq.

Literati ex animo feliciſſimi idea, 39. eadem repræſentata in perſona Cæcilij Cypriani, 103. ſeq. 110. ſeq. Abercij Epiſcopi vetuſtiſſimi, 123. ſeq. Paulini Nolani, 145. Hieroſophis alijs, 193. 202.

Literati devij & errabundi revocatio in viam ſalutis, 114. 115.

Literatorum hominum beatitudo maxima, 119. vita, qvibus modis pereat, 166. miſeria felix 228. ſeq.

Literati ex aliorum periculis felices, 987.

Literatorum ad ſedem felicitatis perpetuæ tendentium remoræ & obſtacula, 238. 241.

Literati otiosè negotioſi, 167.

Literatorum qvorundam abominabile cum dæmone commercium, 192.

Literati viri, an & qvâ ratione ad functiones civiles obeundas ſint ineptiores, 2. ſeq.

Literati irreligioſi & athei detecti ac dejecti, 359. ſeq. ex eorundem ruinis & caſibus cautelæ, 368.

Literati impoſtoris & nugi-

givenduli tragœdia, 422. ſeq.
Literati, cur calumniarum telis tantoperè pateant, 738.
Literatorum maledicorum probra & pœnæ, 720.
Literati loricati, ſeu validè muniti adverſus ictum calumniæ, 737. ſeq.
Literati avari & cupidi, 792.
Literati malè-curioſi & polypragmones, 816. ſeq
Literati infelices è temerariâ mutatione functionum publicarum, 857. ſeq.
Literatorum genius errans & fidus Achates, 928. ſeq. arcana propenſio in ſtudia meliora, 938. ſeq. in ſanctiora, 942.
Literatorum hominum vera nobilitas, 971. ſeq.
Livor ſympatriotarum exitialis, 488. cauſæ ejus palmariæ qvæ, ib.
Livor Præconum magnanimorū carnifex, 620. ſeq.
Logici ſacri profeſſio qvæ, 255.
Longævitas qvalis expetenda ſit & conſectanda viris eruditis, 161. ſeq.
Lucianus Samoſatenſis culpâ ſuâ ærumnoſus, 9. exitus ejus miſerabilis, ibid.
Luciferi Calaritani imprudentia & zelus noxius, 1099.
Luxus Clericorum caſtigatus à Chryſoſtomo, 575.

M.

MAchiavelliſtarū barbara & profana effata, 358. artes ad evertendam pietatem & religionem attinentes, ibid.

Magliabeci *Antonij* laus egregia, 662.
Maledicentiæ literariæ noxa graviſſima, 733. 734. notæ characteriſticæ, 750.
Maledici literati notati à J. L. Vive, 88. 97. eorum pœnæ juſtiſſimæ, 719. ſeqq.
Manichæi hæretici captatores novitatum, 184.
Manuſcripta Ciccarelli conficta & ementita, 426. 436. ſeq.
Marci Ant. de Dominis mens turgida, 376. ex faſtu infelicitas, 377.
Marianus Eremita æmulus Hieronymi Savonarolæ, 639.
Marſyas tibicen, arrogantis literati imago, 58.
Martinuſij Monachi & Card. peritia militaris, 655.
Martyria incruenta qvæ, 218.
Maximi Ex-Cynici perfidia & livor in Greg. Nazianzenũ, 538. ſeq. ambitio pudenda, 540.
Medici ſacri cura præcipua, 258. ex animo ſani & felicis idea, 1071.
Medici pij & virtuoſi qvi fuerint, 1057. ſeqq. 1063. ſeq.
Medicorum ornamenta præcipua, 1058. infelicium qvorundam deſignatio, 1061.
Mel Sapientiæ ſanctioris à qvibus apibus conficiatur, 309.
Metamorphoſis Literatorum hominum feliciſſima, 103.
Metaphyſica optima qvæ, 28.
Mirandulani *Job, Fr. Pici* affectus in Hieron. Savonarolam, 632. ſeq. liber de vita & geſtis ejuſdem, 636.
Miſeria felix hominum literatorum, 228. ſeq.

Mon-

Monſtroſorū ingeniorum fœtus qvales, 455.
Morbi, qvibus literatis fuerint ſalutares, 234.
Mornæi *Phil.* infelix cum Perrono Cardin. congreſſus, 686. 687.
Morum compoſitio præcepta à Socrate, 43.
Morum doctrina optima, 64.
Mori *Thomæ* laus eximia, 1038.
Muretus *M. Anton.* culpâ ſuâ ærumnoſus, 14.
Muſculi *Wolffgangi* inſignis erga ſtudia lingvarū προθυμία, 940. 941.
Mutationes functionum literatis qvibuſdā perniciosæ, 857. 862.
Myrica coronati calumniatores, 720.

N.

NAtalis Jornettus atheus qvalis, 354.
Naturæ liber, 260.
Naturalium rerum laborioſa indagatio, 874.
Naturalium donorum uſus etiam peſſimis conceſſus, 117. illorum neceſſitas maxima ad conſeqvendam eruditionem profundiorem, 273. 274.
Naudæus *Gabriel*, obtrectator Hier. Savonarolæ, 644.
Nectarius Epiſc. Conſtantinop. qvalis. 537.
Neſtorij extrema ex faſtu infelicitas, 375. arrogantia ſumma, 376.
Neuhuſij *Edonis* modeſtia inſignis, 859.
Nobilitas hominum literatorū præcipua, 971. ſeq.
Novitatum captatio exitialis, 179. 183. 186.
Novatorum literatorum natura & indoles, 181.
Novatio in re Theologica qvā periculoſa, 183.

O.

OBſcuritas vitanda Præconi eccleſiaſtico, 1108.

Occaſio ad bonum qvam ſollicitè obſervanda, 277.278.ſeq.
Occonis *Adolphi* Medici Auguſt. virtus & probitas ſingularis, 1062.
Odium vitioſorum literatorum in virtuoſos, 218.ſeq.
Opera veterum deperdita, 77.
Orandi ſtudium in Th. Aqvinate, 72.
Oratio Literatorum piè-felicium, 40. 41. 71. fructus ejus maximus, 132.255.
Oratio qvomodo jungenda ſit lectioni, 301. 302.
Oratio hom. literati graviter tentati de veritate orthodoxæ fidei, 209.
Oratio felicis Concionatoris, 1130.
Origenis ſcripta potiora, 963.
Otioſa vita cur fugienda literatis, 142, 150. 166.886.
Otioſi literati idea, 167.
Ovidij Naſonis exilium fortunatum, 232.

P.

PAntaleonis, Medici antiqvi martyrium, 1059.
Parermeneutarum hæreticorum pervicacia, 176.
Patientiæ clypeus adverſus ictum calumniatorum, 218.
Patriæ novercantis genius, 486.ſeq. 536.
Paulini Epiſcopi Nolani converſio ad pietatis ſtudia mirabilis, ſummaqve felicitas, 145. gloria aliqvandiu obfuſcata ab invidis, 475.
Paulus Apoſtolus à dæmone cur infeſtatus, 205.
Paupertas qvibus literatis fuerit ſalutaris, 229.ſ.
Peccati jugum ferreum, 1011.

Pec-

Peccata literatorum cur gravius punienda ſint qvam illiteratorum, 53.55.57.

Perroni Card. congreſſus cum Mornæo captioſus, 686.

Pertinacia literatorum qvanta peſtis, 171, ſeq. fons & origo ejus palmaria, ibid.

Pertinacia priſcorum paganorum, 172. hæreticorum, 174.

Peyrerij *Iſaaci* maleſana curioſitas, 827. captivitas, 828. retractatio libri de præadam. 829.

Philautiæ noxa graviſſima, 24. 70. 858. gemina ejus progenies, 171.

Philologis qvid cavendum maximè, 926.

Φιλοπρωτείας, pernicies ſumma, 776.

Philoſophi gentiles, qvãtis Naturæ bonis & donis fuerint conſpicui, 117. judicium de ſcriptis eorum moralibus, 163. pertinacia qvorundam exitialis, 172. ſtudium contentionis, 678.

Philoſophi cur Athenis & Romæ olim fuerint inviſi, 44. pleriqve oſtentatores potius virtutis fuêre qvam ſectatores, 47. qvorundam æqvitas, 91.

Philoſophorum noſtræ ætatis ſors felicior qvã antiqvorum, 44. 45.

Photij Patriarchæ Cpolit. eruditio ſumma, 776. ambitio infrunita, 777 ſeq. depoſitio, 779. impoſtura deteſtabilis, ib. exilium, 784. ex ejus caſu documentum ſalutare, 785.

Pietas qvâ ratione à literatis hominibus ſit excolẽda, 30. ſeq. 38. 119. 120. ſeq. 131. 148. ſeq. ejus profeſſores publici qvales, 254. in eam literatorum qvorundã propenſio inſignis, 942. ſeq.

Pie-

Pietatis & doctrinæ ſolidæ conſociatio feliciſſima, 977. 988. 1002. 1003. ſeq.

Piorum literatorum tentationes graviſſimæ, 203. ſors perpetua, 218 241.

Plagiarij Literati notati à J.L.Vive, 91.

Plantavitij *Johannis* ex ambitione lapſus, 788.

Plateri Medici nomine & omine *Felicis* elogium, 1062.

Plato infamatus, 48. octuagenarius ſuos evulgat dialogos, 467.

Platonicorum de miniſterijs ſpirituum ſententia, 190.

Plutarchus Chæron. ex calamitate felix, 230.

Pœnitentium Veteris Eccleſ. gradus tres, 965.

Poggius Florentinus hoſtis H. Savonarolæ infenſiſſimus, 623. calumniator ingens, 625. ejus mordacitas, 726.

Politicarum rerum tractatio cur Viros Eccleſiaſticos minime deceat, 647.

Politicorum Virorum officiū ſacrū inter labores & curas ſeculares, 1047. ſeq. ad eos parænesis, ibid. ſeq.

Popularis favor Clericis interdum exitialis, 656. ſeq.

Poſtellus *Guil.* Deiſtarum Patriarcha, 361. extrema ejus infelicitas, 362. ex arrogantia caſus miſerabilis, 363.

Præcones ventriloqvi, 1068.

Prævaricatores literati qvi, 51.

Primarius, Juriſperitus virtuoſus, 1037.

Profeſſores pietatis juxta ſeriem qvatuor facultatū & artium liberalium commemorati, 254. ſeq.

Prolixitas in ſcribendo non

non omnis culpanda, 454.

Prophetæ contemptus in patria unde, 486.

Prophetici muneris arrogatio temeraria, 664. ſeq.

Prudentia vera ſignum inhabitantis ſpiritûs divini, 198.

Prudentia felicium & fructuoſorum Concionatorum, 1097. ſeq.

Pſeud-Apoſtolorum livor in D. Paulum, 474.

Pſeudo-ſcientiæ deſcriptio, 25. ejus pernicies ſumma, 29. 35. 36.

Pſeudo-ſophorum animæ, qvâ ratione puniendæ ſint ex mente gentilium, 43.

Ptolemæi Regis Bibliotheca, qvâ occaſione primùm ſit condita, 234.

Pythagoræ exitium miſerabile, 678.

Q.

QVadriga Literatorum ſolertium, 887. ſeq.

Qvæſtiones futiles & rixoſæ qvomodo eliminandæ, 688. 878. ſeq.

Qvæſtiones pro Concione non movendæ temerè, 1111.

Qvies inter Deas à Romanis cur ſit relata, 148.

Qvietis captatio vana & noxia, 140. ſana, 148.

Qvietis in ſolo Chriſto inveniendæ ratio expeditiſſima, 148. 149.

Qvintiliani effatum memorabile, 89. conſiliũ ſubminiſtratum conditoribus librorum, 98.

R.

RAtionis abuſ⁹ in Theologia prodromus atheiſmi, 364.

Rauleì *Gvalteri* irreligioſitas, 356.

Raynaudi *Theophili* Ho-

plo-

pſotheca adverſus ictū calumniæ, 743. ſeq.
Raynaldorum fratrum pugna & victoria mirabilis, 687.
Regimen ſanitatis, viris literatis perqvam neceſſarium, 156. ſeq.
Reipublicæ literariæ corruptio unde, 20. ſeq. reſtauratio ejus an & qvâ ratione ſperanda, 26. ſeq.
Reiſnerus *Nicolaus*, exemplar JCti virtuoſi, 1041.
Religio ſophiſtica qvæ, 986.
Reuchlini propenſus in ſtudia meliora affectus, 939. felicitas præcipua, ibid.
Rhetoricæ Sacræ profeſſor in Collegio pietatis chriſtianæ, 255.
Ritterſhuſius *Conradus*, idea JCti & literati pij ac felicis, 1041.
Ruberti Abbatis Babenbergenſis avaritia deteſtabilis, 808. ambitio infrunita, 811. ſeq.
Ruffinus Aqvil. æmulus B. Hieronymi, 553.
Ruſticorum tumult⁹ unde ſuperiori ævo concitati, 665.

S.

SAlamandra literaria, 676. ſeq.
Salmaſij *Claudij* prudens recuſatio functionis Gallicanæ, 860.
Sanctitatis ſtudium, nota eſt inhabitantis boni ſpiritus, 201.
Sanitatis corporalis cura literatis apprime commendata, 153. 156. ſeq. nec non ſpiritualis, 160. ſeq.
Sapientia animalis qvæ, 986.
Sapientia divina qvomodo ſe habeat ad diſciplinas humanas, 990.
Sapientiæ primæ laus & præſtantia inſignis, 29. 37. 41. vera & genuina ratio, 119. ſeq.
Sapientiæ Chriſtianæ & mun-

mundanæ pugna perpetua, 35.37.
Sapientiæ liber apertus qvis dicendus ſit literatus, 64.
Savonarola *Hieronymus*, Prædicator Florentin. ferventiſſimus, nefariè ſuſpenſus & combuſtus, 620. ſeq. laus & gloria ejus inſignis, 622. juſta defenſio, 627. ſeq. 643. 645. 650. 656. 663. ſeq. parrheſia ſumma, 639. Satanæ in eum odium maximum, 640. livor in defunctum, 643. confeſſio malitioſè illi ſuppoſita, 660. munus propheticum, an temerè ab eo ſuſceptum? 666.
Scaligeri *Jul. Caſ.* jactantia, 403.
Schegkij *Jacobi* calamitas fortunata, 1060.
Schikardi *Wilhelmi* miſeria felix, 235. propenſus in ſtudia abſtruſiora affectus, 941.
Schulzij *Godofredi* Medici Isleb. laus eximia, 1068. inſignis ex praxi pietatis felicitas, ibid. juſta reprehenſio tenacitatis Medicæ, 1070.
Sciendi deſiderium, 816. 865. ſeq. qvomodo refrœnandum, 867. ſeq.
Scientiæ & conſcientiæ nobile conjugium, 32.
Scientia anagrammaticè qvid indicet, 62.
Scientiæ infinitas, 870.
Scientia multijuga, pietate non decocta qvalis, 979.
Scribendi Cacoëthes ſanatum, 447.
Scribendi negotium à qvibus ſuſcipiendum, ibid.
Scriptorum piè-felicium deſignatio, 311. 459. 945. ſeq.
Scriptorũ nævi freqventiores, 449. tarditas & velo-

velocitas culpabilis, 464. maledicorum pœnæ juſtiſſimæ, 719. 727. vaniloqvorum vituperia, 298.
Scriptores qvi æſtimandi & evolvendi præ cæteris, 299.
Scripturæ Sacræ utilitas ſumma, 261. 306.
Seditio populi Byzantini ob expulſum Johan. Chryſoſtomum, 597.
Seldeni *Johannis*, gloria literaria, 908. ſolertia jugis, 909. ſeq. ſcripta inſigniora, 910. ſeq. otium negotioſum, 915.
Seneca temerè infamatus, 49. ejus de vita producendâ ſalutare conſilium, 162. 163. monitum de lectione fructuosâ, 305.
Sennertus *Daniel*, idea Medici piè-felicis, 1064.
Servilius Varia literati ócioſi imago, 167.
Similis, ſerò ſapientis epitaphium, 168.
Simonis Religio portentoſa, 354.
Simplicium ſors melior qvam eruditorum, 57.
Siricius Papa Paulino Nolano cur fuerit infenſior, 475.
Socrates reprehenſus ab Ariſtophane, 47. ejus obſcuri natales, 971. ultima ad Athenienſes oratio, 95. dæmon ſeu genius ejus qvalis, 190.
Solertia jugis literatis apprimè commendata, 885. ſeq.
Sophiſtæ litigioſi, 22. corruptores Reip. liter. unde dicti, ibid.
Spinoſæ *Benedicti* irreligioſitas, 363. impudentia ſumma, ibid.
Spiritus Sanctus qvibus literatis ſit familiaris, 192. præſentia ejus qvibus indicijs cognoſcatur, 193. 194. 196. ſeq. 201. ſeq.

Spi-

Spiritus, qvi viris literatis familiares, 188.

Spiritus proprij noxæ graviſſimæ, 198.

Spiritus mali, doctis hominib⁹ inſidiantis præſtigiæ, 191.

Spiritus vehementia unde? 199.

Stellæ errantes, qvi literati, 932. illarũ genera & claſſes variæ, 933. ſeq.

Stellæ myſticæ cadentes, 774, ſeq.

Stimuli ad pietatem excolendam valentiores, 38. ſeq. 61. 239. ſeq.

Strauchij *Johannis*, Jurisconſulti egregij laus præcipua, 1044.

Studiorum felix ſucceſſus, qvibus ſperandus, 1016.

Studiorum fructus ære non æſtimandus, 73.

Studioſorum nomen unde in tanto paſſim ſit contemptu, 359.

Studioſorum malè-viventium pœnæ graviſſimæ, 1009. mores eorum corrupti qvâ ratione emẽdandi, 1002.

Stunica *Jac. Lopis*, literati rixoſi imago, 682.

Sturmij *Johannis* polypragmoſyne juſtaqve reprehenſio, 825.

Svareſij *Franciſci* ſtudium demiſſionis propriæ, 390. 391.

Sulzeri *Wolffgangi* laus, 1056.

Superbia literatorum hominum graphicè à J. L. Vive delineata, 70. noxa ejus graviſſima, 371. ſeq. 375. exempla & documenta evidentiora, 375. ſeq. 381. ſeq. 388. ſeq. effectus pudendus, contentio, 711. deſcriptio memorabilis, 372. 374.

Superbiæ falsò accuſatus Johan. Chryſoſtomus, 578.

Superborũ ſcientia qvalis, 701.

Symachi jurisperiti virtus ſingularis, 1031. exitus miſerabilis, 1032.
Symmyſta lividus, ſive Eccleſiaſticorum invidorum ſpeculum, 495. ſeq.
Syncretiſmi Babelici eliminatio, 978. 1025.
Syncretiſmus ſalutaris qvis, 977. ſeq.
Synodus Chalced. adverſus Chryſoſtomũ condregata, 585.

T.

TAbulæ Cebeticæ, viam per anguſta ad auguſta præmonſtrantis commendatio, 136.
Taſſani *Alexandri* genius maledicus, 725.
Templis Bibliothecæ cur olim fuerint contiguæ? 464.
Tempore fugiente captanda occaſio, 280.
Temporis pretioſitas, 875
Tentationes literatorum virtuoſorum, 203. ſeq. 216. ſeq. earum utilitas inſignis, 205. claſſis gemina, 206. graviſſimæ qvæ, 207. ſeq.
Tertullianus *Q. Sept. Florens* laudatus, 499. 961. exagitatus ab invidis, 498. 501. ſeq. ejus ſcripta ad pietatis ſtudium ſpectantia, 961. ſeq. tranſitus in caſtra Montani unde factus, 506. parrheſia paulò rigidior, 501. acris in eum cenſura, 503.
Teſtes falſi conducti adverſus Joh. Chryſoſtomum, 586.
Themiſtoclis memoria admirabilis, 117.
Theologica profeſſio in Collegio ſinceræ pietatis, 257.
Theologiæ in matæologiam horrenda metamorphoſis qvomodo contingat, 25.
Theophilus Alexandrinus idea Doctoris invidi, 567. ſeq. ejus ar-

tes & technæ nefariæ in Joh.Chryſ.582.ſeq. odium immane erga eundem,587.

Theophili Antiocheni converſio ad pietatis ſtudium memorabilis, 956.

Theophraſti Paracelſi extrema ex faſtu inſania, 405.

Theoſophiæ ſacræ Candidati ſummis Doxoſophis mundanis ſapientiores,266.

Theriaca ſpiritualis, 1107.

Timoris Dominici inſignis utilitas,263.praxis genuina,ibid.

Timothei Epiſc. Alexandrini arrogantia livida,529.

Trapezuntij Georgij ex faſtu immenſo calamitas,383.

Typi [ſeu præli typographici] & Typhi cognatio,457.

Tyrannis in præſtantiora ingenia neutiqvam exercenda,180.

V.

VAdiani *Joachimi*,laus ex pietatis & doctrinæ medicæ conſociatione,1059.

Valetudinarij literati,158 ſeq. eorum tres claſſes ſeu ordines,160.

Veſalij *Andreæ* ſtudium Anatomicum,941.calamitas ingens & exitus miſerabilis,1064.magnanimitas ſumma,ibid.

Verulamij *Franc.Baconis* calamitas felix,233.ſermo de profectu in virtute faciendo egregius,283.ſeq.

Via ad ſalutis perpetuæ domicilium arcta & anguſta literatis commendata,141.ſeq.239.240.ſeq.

Villani *Nicol.* mordacitas,725.

Vincentij Rogatiani hære-

reticì pertinacia ſumma, 175.
Virgilius Maro lentus feſtinator, 468.
Virtuoſus profectus, 272. ſeq.
Virtutis exſuperantia, qvantoperè olim fuerit exoſa, 219.
Virtutis μόρφωσις ſollicitè evitanda literato felici, 225.
Virtutis præmiũ incomparabile, 417.
Viſio memorabilis de facie Eccleſiæ Chriſtianæ anticâ & poſticâ, 19. 20.
Vita literatorum hominum qvibus pereat modis, 166.
Vita bona doctrinæ qvomodo ſocianda, 64. 81. ſeq.
Vitæ cœlitus comparandæ ratio falſa & vana, 154. 155. vera & ſana, ibid.
Vitæ producendæ ratio optima, 162.
Vitæ *Sanctorum* hominum attentè legendæ, 197.
Vitia literatorum hominum, 168. (adde ſerm. præliminar.)
Vitia Clericorum acriter notata à Joh. Chryſoſtomo, 570. ſeq.
Vitia *Scriptorum* juxta qvatuor cauſarum genera, 449.
Vitioſorum Doctorum dedecora, 48. ſeq.
Vivis *Johan. Ludovici* meletema præclarum de vita & moribus Viri Erud. 67. ſeq. deteſtatio ſuperbiæ literariæ, 70. it. avaritiæ infrunitæ, 72. 73. vanitatis glorioſæ, 76. ambitionis, 81. contentionis liter. 86. maledicentiæ, 88. invidiæ, 89. curioſitatis nimiæ, 96. ejuſd. Vivis humilitas ſeu demiſſio animi inſignis, 395. 405.
Voces & termini recepti haud-

haudqvaqvam temerè eliminandi, 181.
Voetij *Gisberti* ſermo de pietatis & doctrinæ conſortio amicabili, 991. ſeq.
Voſſij *Gerardi Johannis* laus egregia, 895. ſolertia jugis, ibid 898. calamitas domeſtica, 897. merita in Remp. literariam ampliſſima, 899. ſeqq. philoſophiæ melioris ſtudium, 906.

W.

Weigelij *Valentini* Theologia tumida & fanatica, 225. 226.
Weigelianorum nomine qvi falsò traducantur, 226.
Weſenbecij *Matthiæ*, JCti egregij virtus inſignis, 1039.
Widmanſtadij *Johan. Alberti*, peritia inſignis lingvarum orientaliū, 940. labor editioni N. T. *Syr.* impenſus, ibidem.
Wolfij *Hieronymi* propenſus in ſtudia meliora affectus, 941.

X.

Xylander *Gvilelmus* ex paupertate literatus felix & clarus, 231.

Z.

Zamolxis Thracis nobilitas ex literis, 972.
Zelus amarus & contentioſus, 710.
Zelus calumniatorum ementitus, 752.
Zelus lenitate qvomodo temperandus, 1122.
Zeuxis lentus pictor, 469.
Zenonis Veronenſis Homiliæ fructuoſæ, 969.

EMENDANDA:

Pag. 166. *lin.* 25. *pro* niſi *lege* niſu. *pag.* 167. *lin.* 22. *l.* propius. *pag.* 200. *lin.* 21. *l.* malus. *pag.* 206. *lin.* 3. *lege* atrociſſimus. *pag.* 226. *lin.* 5. *pro* eum *l.* cum. *pag.* 271. *lin.* 6. *l.* Candidati. *pag.* 369. *lin.* 19. *l.* labium. *pag.* 382. *lin.* 22. *lege* foràs. *pag.* 470. *l.* 20. *lege*: ac ſi putemus. *pag.* 492. *l.* 17. *lege* imperturbatam. *pag.* 648. *l.* 4. *ante finem l.* meo. *pag.* 680. *lin.* 24. *lege* ſalutiferæ. *p.* 737. *lin.* 7. *lege* adverſus. *pag.* 810. *lin.* 17. *l.* Advocatus. *p.* 813. *lin.* 1. *pro* qvod cupiditatem, *lege* cupiditas. *ead. pag. l.* 10. *lege* qvia, *pro* qvibus. *p.* 858. *l.* 22. *lege* redundaturos. *p.* 909. *l.* 23. *lege* literas. *p.* 955. *lin.* 17. *lege* impugnatas. *p.* 1122. *lin.* 3. *à fin. lege* comparatione. Neſcire deniq; Te L.B. nolui, EPISTOLICAM Sam. Bocharti de REGICIDIO ANGLICANO *Diſſertationem*, [qvâ p. 923. perijſſe indolui] recentiori *Geographiæ S.* editioni annexam fuiſſe, ſub tit. Epiſt. *qvâ reſpondeatur ad tres quæſtiones vexatiſſimas, &c.* ed. Francof. 1674.

FINIS.

00564 2184

Digitized by Google

Digitized by Google